






CYRIACI LENTULI

IMPERATOR:

SIVE

DE JURE CIRCA BELLA

ET PACEM OBSERVANDO:

ET

DE PRUDENTIA MILITARI.

PARS PRIOR:


QUÆ EST

De jure belli ac pacis:

NEC NON

DE ROMANORUM MILITIA.





HERBORNÆ NASSOVIORUM,

M DC LXIV.



AD LECTOREM
Præambulatio.



Vgonem Grotium ut fortunæ varietate, ita ingenii ad omnes res celeritate, si quis miraculum ævi nostri dixerit, non inconcinnè dixerit. Quanta in eô homine juris, quanta rerum civilium, quanta sacrarum cognitio! Nec historiarum profundam notitiam, nec poësin versu pondus trahente exasciatam, inter inania duxeris. Omnium verò, quos luce dignatus est, animi non vulgaris fætuum, supremum plausum opus de Jure belli ac pacis, nec id immeritò, abstulit. Versatur in junioris & senioris ætatis manibus: JCtorum simul & theologo-


rum scriniis admovetur. Multa enim, quæ nec Justinianéis edictis, nec sacræ scripturæ oraculis expedias, in illo rerum mari continentur. Verum enim verò ut nihil humanarum inventionum simul inceptum & perfectum est: ita & in hoc magni viri conatu quædam à viris doctis, cætera gratè amplexantibus, desiderantur. Sunt qui luctantem arido nisu verborum & styli tarditatem, sunt qui ordinis vel novitatem vel neglectum, plures qui sensuum obscuritatem arguant. Mihi autem, admiratorum ejus inter primos habendo, iteratâ operis lectione deprehensum: multa ab eo poëtarum, multa oratorum, historicorum multa dicta vel mutilata, vel in diversum sensum, sæpè etiam autori repugnantem, tracta. Unde suspicari mihi in mentem venit, virum negotiorum

fluctu

fluctu obrutum, & ad res penitiùs introspiciendas otio indigentem, vel indicum manuductione, vel manuensium lectorum fide stetisse. Ferenda hæc utcunque fuerant, nisi ingenii volatibus indulgendo, plusculum sibi audaciæ in sacri codicis interpretationem permisisset. nec id temeritate ubiq; & lapsu judicii: sed, ut mihi videtur, quæsito in supremas potestates, & alios ecclesiarum omnium primatum asserentes, palpo. Quæ me res præter cæteras monuit, ut incautæ juventuti pro virili consulturus, animi cogitata meâ unius conscientiâ diutiùs ne premerem. Quorundam igitur altiora petentium desiderio satisfacturus, calamo sine morâ arrepto, methodum arbitratu meo formavi, verba superflua rescidi, rerum defectum supplevi, noxia inprimis à profuturis segregavi. Sicubi

censoria virgula stringenda erat, famæ ac nomini magnæ autoritatis viri, quantum sine dispendio veritatis fieri poterat, peperci. Jus militiæ Romanæ, sed, uti rem obliteratæ consuetudinis, in paucitatis gyrum contractæ, adjeci. Quia verò militarem prudentiam copulaturus eram; Imperatorem opus universum inscripsi. Sed rerum copiâ aliud semestre, alium tractatum poscente, filum istic abrupi. Dum igitur militaris prudentia peculiari vultu prodeat, quisquis es benigni judicii lector, si quid inscriptione dignum produxi, labori exantlato gratulare: sin minùs, incœpto ignosce. Dabam Marpurgi, sub verni temporis ingressum; indictionis Christianæ anno M IↃ C LXIII.

CYRIA-



CYRIACI LENTULI
DE JURE BELLI
LIBER I.

CAPUT I.

INTROITUS OPERIS, ET BELLI DEFINITIO.



VIRTUTUM fundamentum esse mentis perspicientiam, culmen supremum fortitudinem, *ἁπάσης ἀρετῆς ἀρχὴ μὲν σύνεσις, πέρας δὲ ἀνδρεία*, orator Atticus pronunciat. *Demosth. oratione funebri.* Istam solam viro, inprimis militari, dignam; vel supra cæteras virtutes eminere; multarum gentium persuasio est. Non erubuit edacitatem Hercules, temulentiam Dionysius, bellis confectis gloriosi. Nomen & claritatem Hannibal, fidei in Deum & homines colendæ negligens, prœliorum ardore captavit. Nec tam solertiâ ingenii, quam armorum ferociâ, magnus vel Alexander vel Pompejus haberi gaudebat. A fortitudine heroës, ut hominum vulgarem sortem excedentes, carminum grandiloquentiâ canuntur. *Fortitudinis præstantia.*

Nec ulla nos à pueris æquè vel rerum gestarum historia, vel ficta fabularum enarratio afficit, quam quæ stupendis periculorum exantlationibus, quasi præsenti animi intuitu defixos, rapit.

non amotâ justitiâ, Hoc quanquam ita esse, memoriâ teste deprehendimus: tamen justitiâ seclusâ aut veram fortitudinem non esse, aut plausu dignam non haberi, tacito animi judicio arguimus. Non enim pariter Amuratem Turcam, & Scanderbegium Epirotam, miramur: nec invasoribus Dario ac Xerxi, ut vim injustam depellentibus Miltiadi & Themistocli favemus. Quod ipsum nobis indicio est, armis laudem merentibus justitiam comitem, vel ducem potiùs, adesse oportere. Sed ne sic aut prudentiâ. quidem omnes boni ducis numeros expleveris, nisi belli peritiam, & ingeniosæ inventionis acumen, ut oculum formoso corpori, adjunxeris. Unde propositum nobis, de jure simul & prudentiâ belli expediendi, quæ duo imperatorem exactum adjunctâ fortitudine absolvunt, è priscâ seculorum memoriâ, ideam bellicosi Principis delineare. Quare ad id, quod libri frontispicio præfiximus, missâ in præsens inconcussi animi præstantiâ, quæ in artis præcepta non cogitur, nos accingamus.

JUS armorũ vel in jure belli, vel in militiæ jure versatur.

Illud nobis cum hoste intercedit; hoc ducem reipublicæ, militem duci devincit.

Jus belli est, quo legitimè

armis

armis concurritur, & bello capta acquirentium fiunt.

JUS quid sit, è generali Politicæ doctrinâ, civili Romanorum jure, vel etiam Pontificio, petendum. Belli, quod ibi leniter attingitur, natura hîc aperienda.

BELLUM est publica rerum armis commotis perturbatio.

Sunt qui bellum definiunt, *statum per vim certantium, quâ tales sunt.* Obscurè sanè, nec ad rem explicandam satis accommodatè. STATUS enim, civili locutione, vel pro vitæ singulorum conditione, vel pro temporum & rerum secundo vel adverso fluxu capitur. Neutrum hominibus per vim certantibus, quà tales sunt, quadrabit. Nec me movent, quod *status* voce, ut latibulo, in stationem belli induciarum tractatio commodè recipitur. Inducias enim à bello, ut à motu quietem interuenientem, ut à maris procellosâ jactatione malaciam, separamus. Inducias pacem, belli rediturí exspectatione suspensam, vocamus. quæ si in dies & horas contractior fuerit, ad corpora cæsorum funeranda, vel ad immotæ pacis leges proponēdas, pacem sequestram nominamus. Quare, pro statu per vim certantium, rerum per arma commotionem reponimus: & eam quidem PUBLICAM. Singulorum enim in pace conflictum, belli nomine venire, nullius puto linguæ usus admittit. Et aliter sentientes ipsi sibi ob- Induciæ.

ſtrepunt, dum τ͂ πολέμου notionem à ſignificatione multitudinis deducunt. Aliàs non ægrè admitto, Bellum ex antiquo *duellum*, ut *duonum* bonum, *duis* bis, eſſe conflatum. ſed quatenus duo diſtractionem, ut unitas concordiam, ſignificant. niſi commodiùs à δύω, quod eſt λύω, à diſſolutione, duellum deducamus.

Belli notatio.

A duello fit *perduellis*, quem hoſtem nunc, atrocitatem rei mitigatione verbi emollientes, vocamus. *Hoſtis* enim, quivis non noſtræ civitatis homo, priſca locutione fuit. Bellum Hebræis *Milchamá*, à pugnæ ardore: quæ vox induciarum ſerenitatem à belli furioſo nimbo repellit. Polonis *Woina* dicitur, à perturbationum ſalo. unde *Woiwodá*, belli dux: qui hodiè dignitatis in Poloniâ locus. Germanis olim *Guerra*, ab armatâ defenſione, arriſit. Quæ vox in Gallicano & in Hetruſco idiomate, pronunciatione variante, tandem reſedit. Anglicanum *Warre* propiùs ad recentiorem Teutonum pronunciationem, wehre/ accedit. Noſtrati in Germanis ævo, quo ob rapacitatem arma à collectitio milite ſumuntur, Krieg/ à kriegen/ à capiendo & rapiendo, allubeſcit. Guerræ vox Allemannica, & nunc magis Italica, etiam in inficetã & inſipidã JCtorum latinitatem irrepſit. Quâ vocis depravatione, aliquando pro ſingulorum violento congreſſu, duello, populari ſignificatione, accipitur. Non tamen in gratiam ob eam rem cum iis, qui monomachiam bello, ut generi ſpeciem, ſubjiciunt, redimus. Quæſtio tamen hac ſede nobis ventilanda: Quid ſentiendum de Monomachiâ; quid juris aut iniquitatis præ ſe ferat? Sitne in benè legibus fundatâ Republicâ

De Monomachia jure.

publicâ permittenda; an verò ex hominum consortio ad fines Morboniæ ſemovenda?

Singulare certamen vel ab iis committitur, qui ſui juris ſunt; vel ab iis, qui alienæ poteſtati ſunt ſubjecti. Qui ſui ſunt arbitrii, quo jura arma inter multos, eodem ſoli capiunt. Quin etiam laudi rerum moderatoribus datur, ſi priuatæ ſimultatis, aut potentiæ certamen ſuo periculo, non involvendâ ciuium ruinâ, decernant. ſi tamen in illorum vitâ aut obitu ſalus & interitus reip. non vertatur. Sic Carolus V. Romanorum Imperator, & Franciſcus Galliæ Rex, ævo ſuperiori; noſtro, Daniæ & Sueciæ Reges, per literas belli denunciatrices, irrito tamen effectu, alter alteri duellum obtulerunt.

Qui altiori poteſtati parent, aut ſuo motu arma, aut ſuperiorum juſſu vel permiſſione, corripiunt.

Proprium motum vel pugnandi neceſſitas imperat, vel provocandi conſuetudo perſuadet.

Neceſſitas, ut eſt à latrone invaſi, ſi unquam aliàs, iſtic excuſationem admittit.

Provocandi & parendi temeritas, non ſine ratione ſeverè jure Pontificio, (fruſtrà renitente Baldo,) & nuper Regum Galliæ edictis, vindicatur.

Superiores vel in pace duellum, vel belli tempore permittunt. In pace, ad juris in foro non liquentis vindicationem: quod in Saxoniâ olim, cauſis dijudicandis, factitatum. Hanc in jure abſque jure probationem, quâ brachiis non cauſâ firmior ferè ſuperat, juſtam eſſe non cenſemus.

In bello vel honor nationis vindicatur, vel bello finis imponendus quæritur.

Ignominiam nationis duello suscepto justè depelli posse, Davidis contra Goliathem pugna suscepta innuit. Nec Romani, severi quondam juris vindices, Torquati aut Corvini, Gallorum ex provocatione victorum, palmæ & gloriæ inviderunt. Mitto crebras inter maris Baltici accolas, Danorum cum Suedis vel cum Vandalis, regum permissu decertationes.

Bellum verò paucorum armato interventu dirimi non posse, viros eruditos audere scribere, miror magis quam invideo. Nam quibus inter multos, pari sæpè periculo, arma ferre & expedire permissum, cur in paucorum certamine vetetur? Et sanguini aliâs parci, si ad effectum æquè perveniri potest, humanius ducendum. Si quis objiciat, rarò pactis iis de bello finiendo stari; quæstio ea commoditatis & prudentiæ, non liciti & juris, huc non pertinet. Quanquam & fides hic non semper vacillat, & post justum prœlium pacta peræquè labefactantur.

CAPUT II.

BELLI DIVISIO.

Bellum vel cum externis, vel cum cive committitur.

ILlud in jure belli propiùs, quam hoc civile bellum, intuemur. In patriam enim arma piè rarò sumuntur: nec quicquam civili bello miserius. quare nec effectum juris, v. gr. postliminii, captivitatis, triumphi, arma civilia sortiuntur. Quod adeò à belli communi sorte recedit, ut ne belli quidem nomine illud Græci scriptores dignetur.

Εμ

Ἐπὶ μὲν οὖν τῇ τοῦ οἰκείου ἔχθρᾳ στάσις κέκληται, ἐπὶ δὲ τῇ τοῦ ἀλλοτρίου, πόλεμος: inquit Plato. Quam loquendi distinctionem, ut domi seditio, foris tantum bellum moveatur, Romana lingua non admittit. Seditionem enim vel clamosas sine armis populi concursationes, vel inordinatas armorum procellas, vocamus. Ubi verò in diversas partes apertè, nec momentaneo motu, disceditur: ubi legiones legionibus adversâ fronte comparantur: bellum civile nominamus. Hoc enim nomine Marianam, Sertorianam, Julianam, Antonianam cum senatu dissensionem appellamus. *V. Polit.* Seditio.

Bellum externum est vel remissius & remotum, vel terribilius & propinquum.

Illud proprio nomine Bellum, istud Tumultum insigniunt. Bello vacationes valebant; tumultu non valebant. Tumultu decreto saga sumebantur, justitium indicebatur: secus in quovis, quod minus terroris habebat, bello. Tumultum Italicum, quod erat domesticus; tumultum Gallicum, quod erat Italiæ finitimus, Romani, si Ciceroni credimus, vocabant. Ego tumultum fuisse repentinam, propinqui nec exspectati hostis, Gallorum inprimis, furore omnia sternentium, irruptionem autumo. Unde & Ciceroni, de armis Antonianis differenti, tumultus à majori timore deducitur. *Quid enim est aliud tumultus, nisi perturbatio tanta, ut major timor oriatur? unde etiam nomen ductum est tumultus.* Hæc de belli naturâ, & ejus varietate, præmittenda putavimus. Tumultus. *Philip VIII.*

CAPUT III.

DE VAGA BELLI GERENDI LICENTIA.

UT igitur ordine & viâ procedamus, certos nobis cancellos, intra quos omnis dissertatio decurrat, circumscribemus.

Omnis de jure belli tractatio vel de suscipiendo bello, vel de gerendo, vel de legitimè finiendo agit.

Circa susceptionem quæritur.

1. An jus in armis movendis unquam sit spectatum.

2. An bellum gerere cum hominis naturâ conveniat.

QUÆSTIO I.

An gentes bellicosæ juris in bello rationem habuerint?

Oculos cum in exactum ævum, & gentes axi circumjectas, curiosè ejaculamur: furor bellis gerendis, aut habendi libido, non jus & ratio, ducem se præbuisse videri queat. Belli, quod antiquissimæ memoriæ à legislatore Hebræo describitur, juris nec vola nec vestigium apparet. Vel si justè id bellum susceptum est & gestum, injusta in victores arma Abrahamus cepit. Defectio quidem Regum, Jordanis metæ assitorum, excusso

Gen. 14. Bellum Sodomiticum.

Regis

Regis Babylonii jugo, & tributorum intermissio, ansam expeditioni dedit. Sed quæritur quo jure anteà servitutem illis, & tributorum ferendorum onus, imposuerit? Eo nimirum, quo in eâdem regione Nimrodus gentes, ut feras venatione captas, imperii sui caveæ inclusas vi adegerat. Quo jure nationes in medio sitas, defectionis aliorum non conscias, terrore circumlato excîdit? Eo quo Holofernes, Nabuchodonasaris legatus (quanquam temporum ratio non convenit) minarum flammas, & occidentis interitum spiravit. Age Jacobi posteri Cananæos, à quibus nec verbo ullo læsi erant, suis majoribus beneficiis & humanitate cognitos, ultimo excidio sibi destinaverunt. Sed illos quidem expressum Dei mandatum, Cananæorum in naturam culpa, & absolutum Dei in omnes terras dominium, absolvit. Sesostrim (ut ab historiâ sacrâ abeam) Ægyptiorum antiquioribus temporibus Regem, ferũt universum, ad Herculis columnas usque, terrarum tractum, armis cruentis peragravisse. Bacchum in Indos usque, ab omni belli immixtione sepositos, belli furore penetrasse. Utrumque non injuriâ aliquâ lacessitum, ac ne subjugandi quidem cupidine illectum, sed ostentandæ potentiæ. Denique, ut spatium temporum intermedium transsiliam, Hunni, Gothi, Vandali, Heruli, Rugii, Gepidæ, Longobardi, Alani, Suevi, Franci, Angli, quid ad lacerandum imperium Romanum juris habuerunt? Nam Cimbri quidem & Teuthones, antiquiores Romanorum hostes, pœnas interfectorum manibus dederunt. Scythas, & ex abstrusiori rigentis orbis angulo Turcas & Tataros, orbem

Gen. 10.

Hist. Judith.

Bella sacra.

Ægyptium.

Dissentit Herodotus.

Barbarorum.

dominio suo aut prædæ destinantes, ut barbarorum omnium fæcem, non commemoro.

Subjecerit aliquis emunctioris nasi: non in barbariei caligine, sed in humanioris orbis luce, exempla ut humanitatis, ità juris quærenda. Quasi
Summi imperii. verò non in cultiori orbis parte cultarum gentium, Assyriorum, Chaldæorum, Medorum, Persarum, Græcorum, Arabum, Romanorum amplissima imperia, ex injuriâ nimirum orta, sedem
Græcorum. fixerint. Græcia præ cæteris humanitatis, doctrinæ, legum & sapientiæ officina celebratur. Hanc igitur, & quidem ad exterorum cupiditatem nondum porrectam, oculo, ut sic cum Plauto dicam, emissitio speculaturi, viæ ducibus Thucydide & Demosthene usuri, lustremus.

De antiquis Græciæ cultoribus, belli Peloponnesiaci scriptor: Μάλιστα δὲ τῆς γῆς ἡ ἀρίστη ἀεὶ τὰς μεταβολὰς τῶν οἰκητόρων εἶχεν. quo terra quæque præstantior, eò incertiori possessione fuit: libro primo Thucydides. Ergo terrarum bonitas arma finitimorum, aut longè etiam dissitorum, non prægressa injuria, invitabat. Quâ de causâ sine ferri gestamine nec in publicum prodibant, nec epulabantur. qui mos pacatis temporibus Græcis à mari reductionibus, ex antiquâ latrocinandi memoriâ, in usu permansit. Τό,τε σιδηροφορεῖσθαι &c. Aut igitur alius alium possessione expellebant; aut, quæ mitior belli conditio est, potentiores lucri cupiditate inferioribus jugum non renuentibus imponebant. ἐφιέμενοι γὰρ τῶν κερδῶν, &c.

De Spartanis Athenienses:

Τὰ μὲν ἡδέα καλὰ νομίζουσι, τὰ δὲ ξυμφέροντα δίκαια.

Thucd. l. Honestum illis, quod jucundum; & justum, quod utile.

utile. De iiſdem Ariſtophanes: *Acharn.*

Οἷσιν οὔτε βωμὸς, οὔτε πίστις, οὔθ' ὅρκος μένει.

Queis nec ara, nec fides, nec ulla *jusjurandum:*

i.e. pactio jurejurando munita. pactio manet.

Sed nec Athenienſes nimii religionis in inferendo bello ſcrupuli. de quibus Corinthiorum legati: πεφυκέναι ἐπὶ τῷ μήτε αὐτοὺς ἔχειν ἡσυχίαν, μήτε τοὺς ἄλλους ἀνθρώπους ἐᾶν. *ita à naturâ informatos eſſe, ut quietem* *libro 1.* *nec ipſi ferant, nec alios habere ſinant.* Quin ipſi ſuo ſe indicio ut ſorices prodentes, fatentur ſe ad arma corripienda impulſos, ὑπὸ τῶν μεγίστων νικηθέντες, τιμῆς, καὶ δέους, καὶ ὠφελείας. *cogente honore, & metu, & emolumento, rebus in mundo maximis.* Iidem legem quaſi naturæ eſſe arbitrantur, τὸν ἥσσω τῷ κρείσσω ὑποχωρεῖν, *ut minor majori cedat.* In oratione autem ad inſulanos Melios ſermonis ejuſmodi eos non puduit: Δίκαια μὲν ἐν τῷ ἀνθρωπείῳ λόγῳ ἀπὸ τῆς ἴσης *lib. 5.* ἀνάγκης κρίνεται. δυνατὰ δὲ οἱ προὔχοντες πράσσουσι, καὶ οἱ ἀσθενεῖς ξυγχωροῦσι. *dum pari neceſſitate utrinq; mortales conſtringuntur, juſtitiæ locus datur: ubi verò alter alterum exſuperat, potentia in operando & in patiendo ſpectatur.* Ratio eos, apud ſapiẽtes vix ratio, movit: Τὸ ξυμφέρον μὲν, μετὰ ἀσφαλείας εἶναι, τὸ δὲ δίκαιον καὶ καλὸν, μετὰ κινδύνου δρᾶσθαι. *Utilitatem in ſecuro poſitam eſſe; juſtum autem & honeſtum non ſine periculo fieri.* Euphemi verò, Athenienſium legati, acumen omnem pietatis, reſpectum ſuperat: Ἀνδρὶ δὲ τυράννῳ, ἢ πόλει ἀρχὴν ἐχούσῃ, οὐδὲν ἄλογον ὅ,τι ξυμφέρον, οὐδ' *lib. 6.* οἰκεῖον, ὅ,τι μὴ πιστόν. πρὸς ἕκαστα δὲ δεῖ ἢ ἐχθρὸν ἢ φίλον μετὰ καιροῦ γίγνεσθαι. *Regi, aut civitati imperatrici, utile pro ratione eſt; ſtabile pro familiari conſuetudine. Semper autem cum opportunitate rerum, in hoſte vel ſocio eligendo, circumagendi ſumus.* Demoſthenes verò, oratorum Athenis gloria, oppida, præſidio

Philip. A. ſui roboris non ſatis munita, ἆθλα τοῦ πολέμου, κείμενα ἐν μέσῳ, *præmia belli, occupaturo ceſſura*, vocat. Et addit: naturâ abſentium bona præſentibus, negligentium induſtriis cedere. Quanquam φύσιν iſto loco, pro eo quod frequenter fieri ſolet, & pro inveteratâ conſuetudine, quæ naturæ vim propter vetuſtatem obtineat, accipere videtur. Nam aliàs juſtitiæ in bello colendæ aſſiduus hortator eſt. Ita tamen ut, ubi de Athenienſium rebus agitur, utilitatem ferè admiſceat. Ut in oratione pro Megalopolitis: Δεῖ δὴ σκοπεῖν, &c. *Id opera danda eſt, ut juſtitia actionibus noſtris præluceat, nec tamen noſtrum commodum negligatur.* in oratione autem De fœdere Alexandræo nervosâ ſententiâ ſe explicat: Ἀνεγκλήτως πρὸς ἅπαντας χρῆσθε τῷ συμφέροντι: *Utilitati veſtræ ſine cujuſquam offenſione incumbite.* Quod hic rotundius, paulò infrà diductiùs: ἅμα καὶ τοῦ δικαίου &c. *Juſtitiâ comite inculpatè, temporibus ad utilitatem ducentibus opportune utimini.*

Et Græcorum in univerſum, & principum Græciæ çivitatum, mores & ſenſum vidimus.

Romanorum. Quid Romani, qui gravitate vitæ, dictorum conſtantiâ, juris pace & bello obſervantiâ, omnibus palmam præripere voluerunt? Hi ſunt, qui jus ab antiquâ gente Æquicolis, quod fœcialibus poſteà commiſſum, deſcripſerunt. Horum ab ore

Liv. lib. 5. dictum manat: *Sunt & belli ſicut pacis jura: juſteq; ea non minùs quam fortiter didicimus gerere.* Attamen ſub umbrâ fœderis æqui ſervitutem ſe pati, Romanorum ſocii conquerebantur. Et ſociis de-

lib. 1. fendendis terrarum omnium populum Romanum potitum eſſe, conſularis vir audacter aſſeverat. Quin audiente Romanorum ſenatu, aſſerere

Car-

Carneades non dubitavit, si justitia hominibus colenda esset, ad casas populo Romano redeundum esse. Quo igitur in angulo jus belli cultum reperiemus, spretum Græcis, ignoratum Scythiæ eremo, adulteratum Romanis?

Fortè apud Gothos justitiæ in armis respectus quærendus: nam eos barbarorum justissimos, & in victoriâ moderandâ lenissimos autores describunt. Multi Romanorum, aut imperio Romano subjectorum, detestati dominorum & præsidum avaritiam, Gothorum in tutelam confugerunt, *quærentes apud barbaros Romanam humanitatem.* Quibus consentientia Cranzius: *Tanta sævitum emunctione pecuniæ,* (nimirum à Justiniani legatis) *ut omnes Gothorum imperia, etiam Itali, rursum invocarent.* Non igitur de nihilo est, quod qui à se desciverant, Italis Gothi apud Procopium exprobrant. *Ipsas quoq; sacratas Romanorum ædes summâ veneratione colimus: nemo unquam qui ad ea perfugit, mali vel minimum perpessus est. Publicos honores indigenæ tenent, nemine Gotho participe.* Quod quidem Theodorico, & post eum Amalasuntha, imperantibus factum non dubito. Aliàs ferociam Gothorum Totilas non dissimulat: *Gothi anteà jus postremo loco ponentes, in populares & subditos plurima iniquè agebant.* Eamque ob causam, cum multitudine, animi robore, belli paratu superiores essent, vi quadam latente, infra exiguam Belisarii manũ dejectos fatetur. Sed fuerint sanè moderati, fuerint lenes in usurpandâ victoriâ: quid hoc ad belli inferendi causam? nisi quis forte perfractorem ædium eo nomine laudat, quod non omnem cum pulvisculo supellectilem abstulerit.

Gothorum.

Salu.

libro 4. Sueciæ, cap. 1.

libro 2. Gothicæ Historiæ.

Procop. lib. 3.

Mite hominum genus Dani, Sueones, Normanni, belli fortaſſis jura coluerunt. Mitto nuperam Sueonum in Pruſſiam & Poloniam, (cauſam eorum non diſputo) mitto Danorum patrum memoriâ in Sueoniam invaſionem. Quid

Normannorum.

Danos olim in Angliam; quid Normannos in Galliam, & ex eâ in utramque Siciliam attraxit?

Cranzius, Norvagia libro IV.

Illic ſe collocaverunt per arma, quo illos clementia cœli & agrorum ubertas invitavit. Adeò ut Cranzii, de ſeptentrionis ingenio omnes nationes judicantis, cantilena toties repetita referatur: *Magna imperia non tam legibus, quam armis quæruntur.* Certè eodem judice eorum populorum ſententia fuit

Wandalia libro 1.

juſtè poſſideri, quicquid vi aut armis quæreretur.

Circumferamus in alias mundi partes lumina, ſicubi latentem belli juſtitiam protrahamus.

Germanorum.

Germanorum in paganiſmo, jus in manu portantium, mutuæ vexationes, & crebrę in Galliam, aut cum Gallis in Italiam, irruptiones, primam hiſtorię paginam faciunt. Imò nec Chriſti nomen jam profeſſi, Gothi, Wandali, Franci, in lacerandis imperii Romani membris jus quæſiverunt. Anglos iſtis & Saxones adjicerem: niſi gentilitiis dæmonibus invaſionis tempore ſerviiſſe conſtaret.

Hiſpanorum.

Luſitani, & alii Hiſpaniæ populi, bellis & latrociniis mutuâ ſe feritate conſumſerunt. Solos

Libro 3.

propè Turditanos ab iſto latrocinandi more Strabo excipit. Τῇ δὲ τῆς χώρας εὐδαιμονίᾳ καὶ τὸ ἥμερον καὶ τὸ πολιτικὸν συνηκολούθησε τοῖς Τυρδιτανοῖς.

Afrorum.

Hiſtor. Vandalica l. 2.

De Mauris Procopius: *Spretis fœderibus arma inferunt Romani imperii populis, nihil eâ in re alienum facientes ſuis moribus, quippe ſueti nec Deum nec homines vereri.* Carthaginienſes Africam, Afri cum iſtis Hiſpaniam,

Sici-

Siciliam, Sardiniam, Corsicam, Italiam, nullo juris aut fœderum respectu, vastaverunt. Numidarum populi non Masinissâ tantum duce, sed longinquo seculorum usu, belli rapinis graves finitimis, & sibi ipsis, fuerunt. Getulorum, interiori Libyæ tractu errantium, latrociniis intuta omnia fuerunt. Æthiopes, ob æquitatis cultum, dignos deorum convivio fuisse, Homerus commentatur. Sed & reges Æthiopiæ Ægyptum subjugasse historiæ produnt: & Augusto Romanis imperante Æthiopes Romæ invasionem, nunquam à Romanis lacessiti, meditabantur,

Pœnè occupatam seditionibus — *Horat. libro 3. Odâ 6.*
Delevit urbem Dacus & Æthiops:
Hic classe formidatus, ille
Missilibus melior sagittis,

Dacorum (ut & hos obiter corripiam) metuendum tumultum tangit & alibi poëta: *Ecquid de Dacis audisti?* nec eos Ister interjectus à Pannoniç & Dalmatiç invasione cohibuit, quorum tandem ferocia à Trajano imperatore contusa est. Dacis ad orientem affines Getæ, miro justitiæ encomio eidem Lyrico ornâtur. Versus adscribere, quamvis in promtu sunt omnibus, non piget. — Dacorum. Getarum.

Immetata quibus jugera liberas — *libro 3. Odâ 24.*
Fruges & Cererem ferunt:
Nec cultura placet longior annuâ:
Defunctumq; laboribus
Æquali recreat sorte vicarius.
Illic matre carentibus
Privignis mulier temperat innocens:
Nec dotata regit virum

Conjux, nec nitido fidit adultero.
Dos est magna parentium
Virtus, & metuens alterius viri
Certo fœdere castitas;
Et peccare nefas, aut pretium est mori.

Tristium libro 3. eleg. 7. De Getis aliter Ovidius:

Non metuunt leges: sed cedit viribus æquum;
Vitaque pugnaci jura sub ense jacent.

Sed nihil vetat, domi justitiam colentes, foris & erga exteros injusta arma stringere: quod plerisq; ad Aquilonem gentibus in more fuit. Et eo sensu justissimos mortalium Hamaxobios & Glactophagos ab Homero pronunciatos censeo. Sic a-*Scytharum. &c.* pud Scythas nullum delictum furto gravius, Justino teste, punitum: qui tamen alieni imperii non usque adeo abstinentes fuere. Quod & de Russis, Slavis, Sarmatis, pronuncies. Nam Cimbri supra modum vagis latrociniis dediti fuerunt. *libro VII.* λῃστρικοὶ ὄντες καὶ πλάνητες οἱ κίμβροι; inquit Strabo. De *Goth Hist. lib. 2.* Herulorum rege Rudolpho Procopius: *Bellum per se semotâ juris specie placebat.* qui Longobardos bello, *ne coloris quidem quicquam habente*, lacessivit. *Francorum.* Franci iterum in censum veniunt: qui Italiam *eodem libro.* Gothico bello attritam invaserunt, *ejecta ex animo fœderum juratorum memoriâ.* nimirum quia, quamvis Christo nomine dato, *multa retinent pristini moris.* Nam, si Vopisco testi credimus, ei nationi *Vop. in Proculo.* *familiare est, ridendo fidem frangere.* Sed hæc quidem, ut & Maurorum supra nominata, separata à communi gentium injuriâ nequitia est. Pictos olim & *Scotorum.* Scotos fames in Albionem, non belli ulla ab æquitate causa, protrusit: Anglos in eâdem insulâ amœnioris, præ patriâ antiquâ, terræ cupiditas

retinuit.

retinuit. Sed tædio tandem, ab exemplorum cumulo oborto, meipsum & lectorem libero.

CAPUT IV.

DE GOTHIS, LONGOBARDIS, VANDALIS.

Superiori capite, in gentium bellandi temeritate describendâ, Gothos, Langobardos, & Vandalos Germanorum nationibus, contra vulgatas opiniones, non contra veritatis testimonium, accensui. Sunt enim viri non postremæ eruditionis, qui Getas, Græcis & Byzantinis ob vicinitatem notiores, cum Gothis confundunt. Plures Gothos è Scanziæ angulo, Sveonibus vicinos aut immixtos, educunt. Vel Jordanes eis, & ejus ponderis autores, vel Gotlandiæ nomen imposuit. qvasi non & insulæ alibi ejusdem nominis reperiantur, aut terræ præ Svediâ reliquâ fertilitas appellationem invenire potuerit. Gut Land.

Langobardos ex eâdem peninsulæ caveâ, Danis viciniores, promunt. Hugo inter eos, famâ & eruditione Magnus, in Historiæ Gothicæ Prolegominis. Albertum Cranzium consentientem, vel potiùs errore præeuntem, habuit. qui lapsu non leviori Hunnos, immanitate barbarorum extremos, ab omni seculo Germaniæ indigenas recenset. Germaniæ, non Magnæ illius, quam à Rheno ad Tanaim producunt, sed veræ & vicinioris. Idem inter Germaniam & Teutoniam distinguendo, Vandalos diversi generis, linguæ à Germanicè sonantibus diversæ, novâ officinâ procudit. Slavicæ enim eos origenis, imò Slavorum originem, credulis propinat. Sic illi homines De Groote Belgis.

cum Gothis, Langobardis & Vandalis, sedis quærendæ causâ errantibus, à vero passim aberrant, *O quam difficilis est ignorantibus veritas, & quam facilis scientibus!* in re licet dissimili cum Lactantio exclamem. Nullo enim negotio, veritate ultrò se ingerente, viri illi licet magni refutabuntur.

Institut. l.2. cap.5.

De Gothis.

Gothos esse succi Teutonici, & germanissimos Germanos, primò sermonis odor evincit. Goth sedis Gothicæ incolis, Brandeburgiis & Stetinensibus, bonum indigetat. Visigothi, West Gothen/Ostrogothi, Oost Gothen/à situ terrarum postmodùm invasarum. Si quis vocabula hæc communia cum Suedis & Danis objiciat, arctiori eum persuadendi nodo, ab oculorum & aurium testimonio petito, constringam. Narbonensem Galliam Gothos, & ripas fluvii Garumnæ, diu insedisse, à nullo disceptatur. Oppida in eo tractu à Germanis condita, sermonis idioma indicat. *Bodensac*, non spernendæ capacitatis oppidum, ad sinistram Garumnæ ripam, nobis tum Burdegalâ Agennas navigantibus dextram, ostendebatur. A fluvio autem reductiùs, ab Albigensibus Tectosagos ingredientibus, Rapestani (ut Franci corruptè pronunciant; incolæ nostro more *Rabenstein*) in conspectu oppidi *Galgiac*, pernoctare contingit. Unde in Galliæ extremitate Bodensack & Rabenstein/nisi à conditionibus Germanis?

Gothorum nominis vis.

in Galliâ ulteriori oppida.

Accedit pronunciationis quamvis mutatâ linguâ similitudo, candor in eo meridiei calore & animorum & corporum, conversandi cum Germanis facilitas. Contrà vicini Vascones, qui ex Hispaniâ pulsis Aquitanis in Galliam se infuderunt,

Non de omnibus promiscuè in GalliâNarb. hæc accipe. Supersunt enim finc

runt, quanquam objectâ ad Austrum Pyrenæi montis altitudine fervore solis fracto, fusci magis facie, animis & sermone truculenti, nec æquè ac Languedoccii Germanorum, ac ne Gallorum quidem, appetentes. Quamvis enim Franci, Clodovæo rege & deinceps, imperii jus in hos & illos armis acquisiverunt; gentis reliquias, vetustate commorationis radicatas, evellere aut non potuerunt, aut commodo suo noluerunt.

dubio multi Gallicani, fortassis & Romani, seminis, Montispelii autem, & locis circùmjectis, non paucos e Mauriscis, quos rex Philippus Hispaniam ejecerat, natos color subluridus indicat.

Penè Cornelium Tacitum, nequaquam contemnendæ autoritatis virum, pro nobis apertè stantem, omiseramus. *Trans Lygios Gothones regnantur, paulò jam addictiùs quam cætera Germanorum gentes, nondum tamen supra libertatem.* Et situs loci pro nostrâ sententia, & gentis consuetudo militat. A Danubio enim Albim & Viadrum secutus Cornelius, medio inter Lygios & Rugios Lemovicosque loco Gothones locat. A meridie Lygii, ab Aquilone Rugii & Lemovii, mare tangentes, attingunt. *Protinus deinde ab oceano Rugii, & Lemovii.* Vicinitate in societatem tracti Rugii (credo etiam Lemovii. de Rugiis apertè testatur Procopius) unà cum Gothis Italiam irruperunt. Vacuam sedem Heruli, & iis in amœniora loca excedentibus, Venedi sive Vendi occupaverunt. A quibus Pomerania deinceps nominata. *Pò more* enim Slavorum linguâ (Polonicè *Pù morze*) idem quod *ponè* vel *juxta mare* sonat. Mansit vetus Rugiæ insulæ, Stralsundię oppido vicinæ, nomen: sive quod ii societatem cum Gothis non induerunt, seu Venedi navium olim expertes locum non attigerunt; vel potiùs quod non tam juxta

Situs.

De moribus Germ.

Hist. Goth. l. 2.

Pomerani.

Rugia.

mare, quam ipso in mari sedes ea arrepta. Si quis objiciat, Gothones à Tacito, non Gothos, nominari, parum moramur. Sive enim Gotho latinâ flexione, sive Gothus, quod Teutonibus est *Goth*, efferatur, parum ad rei veritatem interest.

Pergit Cornelius, in Boream tendendo: *Suionum hinc civitates, ipso in oceano.* Sunt autem procul omni dubio Sviones, alibi Sveones, qui suâ se linguâ *Sventi* nuncupant. Germani è Sveon, ut fit, *Sveden* fecerunt. Svionibus ab occidente Sitonas Tacitus, non ullos Gothos, annectit. *Suionibus Sitonum gentes continuantur.* ab occasu nimirum: nam à septentrione, *Trans Svionas aliud mare pigrum.* ab ortu autem Fenni & Bastarnæ locantur. Quod autem Svionum civitates *ipso in oceano*, non appellato mari Baltico, Tacitus figit, neminem scrupulo ullo offendat. Omnia enim extra Gades & Herculis columnas maria, etiam in sinus aliquos reductiora, oceanum Romani vocaverunt.

Silesii. Ab Aquilone res est expedita. Meridiem versus Lygios esse Silesios ut credam, non difficili conjecturâ adducor. *Si* enim, quod correptè Germanis hic effertur, aut temporis occulto tractu arrepsit, aut à Tacito (nisi scribendum *Sligii*) omissum. G autem litera, mollioribus vocabulis interjectum, Gallorum sono efferri potuerit. Sed quid in nodo scirpum quærimus? In Lygiorum populis Tacito *Elysii:* quo quid cum nomine Silesiorum convenientius?

Hæc de situ antiquæ Gothorum patriæ: de moribus gentis minùs etiam laboramus.

Gothorum instituta. *Gothones regnantur, paulò jam addictiùs quam cæteræ Germanorum gentes, nondum tamen supra libertatem.*

tem. Cæteræ Germanorum gentes aut in libertate vivebant, quod non ignotum antiquas historias terentibus, aut precarium ducibus in se & regibus imperium concedebant. Gothorum magna in reges veneratio, non tamen servilis & projecta. Nec id de antiquâ tantùm in Germaniâ sede accipi velim. Etiam alibi regnis fundatis, nec libertatis Teutonici, nec in regem obsequii obliviscebantur. Minùs addicti regibus Langobardi in Italiâ, Vandali in Hispaniâ & Africâ, fuerunt.

Si hæc nondum præfractis contra veritatem satisfecerint: clarioribus rationum fidiculis consensum extorquebo. Aut inter Sveonas comprehendendi Gothi, aut inter Sveonum accolas, Sitonas. (nam versus orientem, aut à latere Svedorum nemo, quod sciam, Gothos posuit.) Non Sveonibus accensendi Gothi. Nam illic *unus imperitat, nullis jam exceptionibus, non precario jure parendi.* Gothi verò regnantur illi quidem, *nondum tamen supra libertatem.* Multò minùs Sitonibus, qui *non modò à libertate, sed etiam à servitute degenerant.*

His argumentis in unum collectis, pertinacissimi fuerint, qui in eâ sententiâ perstiterint, Gothos vel apud Sveonas, vel ad Thracum confinia quærendos fuisse.

Si quis etiamnum molestus objecerit, Gothos Theodorico duce, zenonis impulsu, & ante eum alios, è Thraciâ aut vicinâ Mœsia Italiam, non è Germaniâ, irrupisse: noverit, quæstionem de antiquâ Gothorum patriâ, non de recenti & incertâ sede, ventilari. Alioqui & Græcos eos & Romanos faciemus: siquidem Theodoricus, referente Occupatio.

Hist Goth. l. 1.

Procopio, & ad patriciatus honorem, & ad consulares fasces Byzantii pervenerat.

Hæc de Gothis. De Langobardis quia minore contentione res peragitur, succinctiores erimus.

De Langobardis.

Langobardos Danubio trajecto, sedem in Pannoniâ non diuturnam fixisse; Narseti in pellendis Italiâ Gothis auxiliarem manum præbuisse; ab eodem illectos, bello Italiam inundasse, ferè consentitur. Sed quâ mundi plagâ profecti ripam Danubii attigerint, non est unius res judicii.

Warnefredi & Jornandis autoritas.

Warnefredus, Langobardus & ipse, cujus fidem plerique sequuntur, è Scandinavia, peninsularum Europæarum maximâ, adventasse eos testatur. Sed ei, ecclesiæ diacono, & rudi literarum seculo scribenti, ut & Jornandi Vandalo, in antiquitatis eruendæ acrimoniâ non nimium credendum.

Cranz. præfat. Hist. Vand.

Quos enim annales, quos codices rerum vetustarum indices proferunt? Quod de Vandalis Albertus Cranzius, id nos de gentibus Aquilonaribus in universum; diu nullas literas, quibus antiquitatum memoria servaretur, viguisse; primùm illis in Christianismo invectas. Tutiùs Romanis de suo seculo scriptoribus, maximè iis qui bonæ sunt & fidei & diligentiæ, fidem habemus. Quorum non in postremis Cornelius Tacitus, quingentis fermè annis ante bellum Narseticum scribens, mediâ in Germaniâ Langobardos commemorat.

De moribus Germ.

Langobardos paucitas nobilitat, &c. *Reudigni deinde & Aviones, & Angli*, &c. Anglos autem Saxoniæ populum fuisse, ipsi Angli voce, scriptis, & antiquissimis regum conditorum monumentis, quæ Londini in Vestmonasteriensi suburbio conspexi-

ſpeximus, teſtantur. Idem Cornelius Tacitus Langobardos è regno Marobodui ad Arminium Cheruſcorum ducem, Tiberio Romæ imperante, defeciſſe, & cum Cheruſcis pro libertate dimicaſſe, quod integro ante ſcribentem Tacitum ſeculo accidit, diſertè aſſeverat. Marobodui autem regni ſedem Danubio, quam mari Baltico, propiorem fuiſſe, nulli ambigitur. Ab eodem Tiberio, Auguſti auſpiciis belligerante, *fracti Langobardi, gens etiam Germanâ feritate ferocior.* Atqui nunquam Tiberium, nunquam Romanos Albim ferendis armis tranſiiſſe, conſentiens librorum veterum teſtificatio eſt. Si igitur ne Auguſto quidem rerum potiente, ſexto ante irruptionem ſeculo, Langobardi alibi quam in Germaniæ meditullio quærendi: quo tempore è Daniâ & Scandinaviâ egreſſi? Nomen purè Germanicum, Lang bart/ quanquam argumentatione non explodendâ, in hac causâ non urgeo. Sive igitur fortitudinis laudem fert Langobardorum irruptio; ſive iniquitatis maculam: nec Germanorum nomini gloriam partam detrahamus; nec Danis falſam notam aſpergamus.

Annal. libro 2.

Vell. Pat. l. 2.

De Vandalis.

Nunc mihi res cum iis erit, qui Slavonici Vandalos generis, ſermonis Slavonici fuiſſe, ſatis audacter aſſerunt. Venedos ultra Viſtulam, loco quo Tacitus Æſtyos, Ptolomæi tabulæ depingunt. Hos vel ab ingruentibus Boruſſis pulſos, vel non ferente ſe multitudine exundantes, loca à Gothis & Rugiis relictos, poſt Herulorum abſceſſum, inſediſſe crediderim. Niſi Wenden Germani orientales homines alienæ linguæ, quaſi ab inverſione

sermonis, ut occidentales eâdem ratione Walen & Wälsche / appellare sveverunt. Sanè nec illi Vendorum nomine, nec hi Valonum appellari gaudent. Ut & in insulâ Britanniæ, qui se Cambros ipsi, ab Anglis Germanici succi natione, Walschmänns nuncupantur. Quicquid sit de tenebricosâ, & sibi ipsi sordescente, Vendorum natione; viri eruditi illi quidem, sed non satis antiquitatem expendentes, vicinitate soni decepti, Vendos & Vandalos eosdem fuisse, sibi persuasum eunt. Quos vel unius Procopii autoritas, etiamsi cætera omnia deficiant, refellerit. Unum ex eo & alterum locum producam: quibus qui non accesserit, solem è mundo eâdem opera sustulerit.

Primus Procopii locus.

Gothos, Vandalos, Gepidas orationis contextu conjungens, *lingua*, inquit, *una, Gothica quæ dicitur. Utque ego existimo, ab unâ omnes origine, è dutum sibi nominibus discrimina sumpsere. olim ultra Danubium habitabant.* Mitto, quod proximè præcesserat, leges iis easdem, nec Dei cultum discrepare. OLIM, à longâ temporum memoriâ, ULTRA Danubium: non nimium à Danubio remoti, (nam aliàs ultrà Albim dixisset, vel ultrà mare Balticum) HABITABANT: sede in diuturnitatem, non in temporariam commorationem fixâ. Sed majus in eo argumentandi argumĕtum, quod *ab unâ omnes origine*. Non igitur, si Teutonicæ originis Gothi, addo, quod illi volunt, si Scandinavicæ, alio in hominum genere Vandali censendi. LINGUA UNA. Nihil autem Teutonicâ, nihil etiam Danicâ & Slavonicâ linguâ (nisi

Hist. Vand. lib. 1.

Vetus Vandalorum habitatio.

Stirps.

Lingua.

(nisi me omnis ratio fugerit) discrepâtius. At falli potuerit Procopius homo Græculus, qvi aliorum rumoribus temerè, nec auritus nec oculatus testis, accesserit. Nihil minùs: qui tot per annos Belisario, in Africâ contra Vandalos, in Italiâ contra Gothos, comes in intimis, utramque gentem benè cognitam habuerat. idem loqvendi eorum rationem si non perdidicerat, saltem ut Gręcus, ideoque & curiosus & acutus, perceperat. Sed nihil nos juverit Procopius: nihil demus tantę autoritati. Vel sine eo facilè obtinebimus, Vandalos non aliâ quam Germanorum linguâ (nisi posteà diuturnâ cum Afris consuetudine Punicam, aut etiam latinam addidicerint, usos fuisse. Nomina duntaxat quædam, & appellationes principum, quæ se memoriæ oggerent, ob oculos ponamus. Nullum in appellationibus Vandalicis vestigium Slavonicæ lingvæ, manifesta Teutonicæ indicia.

Prolepsis.

Linguarum comparatio.

Slavorum Nomina.

Bogomilus, *Bogu mily*, Deo charus: Episcopi Bulgariæ nomen est.

Wenceslaw, plus gloriæ adeptus. *wency* plus, copiosius. *wiecy* Polonis, virgunculâ E trajecto, sonat quasi wiency. *Sláwá*, gloria.

Wladislaw. præliis gloriam adeptus. *Wládá*, prœlium.

Cazimirz, bellicosus, quasi pacis eversorum diceres. *Mir*, pax, *Kaze*, destruo. Zeta autem molliùs Polonis, ut & Belgis & Gallis, non ut consonans duplex, pronunciatur.

Bogislaw, à Dei gloria, *Bog* Deus. *Sláwá*, glo-

ria. Unde se ipsos quasi gloriæ plenos, denominârunt. Cranzius *clamosos* vertit: verbosos debuit, si ad vocem *slowo* respexit. Dei interim justum judicium adoremus. Quod sibi quasi gloriosum nomen indiderunt, extremæ ignorantiæ factum est. *Sclavo* Italis, *Esclave* Gallis, Schlawe Germanis quam in partem accipiatur, docere nihil attinet. Satis de Slavonicæ linguæ principum nominibus.

Vandalorum Nomina.

1. Godigesiell, Gut gesell/ fidus principi comes vel socius.

2. Guntharis, gunstreich/ benevolus.

3. Gizeric, ut Græci: ut verò Latini, Genseric, vel ex aviditate, vel anserum copiâ locupletatus.

4. Huneric, gallinarum, vel etiam Hunderic, canum affluentiâ beatus.

5. Gundamund, Gund mund/ os come, vel benevolum.

6. Hilderic, vel idem quod Helderic, reich an Helden/ bellatoribus egregiis instructus; vel quod Childeric, Schildreich/ à copia parmarum.

7. Gelimer, geele vel gelbe Meer/ ab aquarum flavedine.

In Gelimere desiit transmarinum Vandalorum imperium: cum quo & exemplorum nobis copia sistatur. Cernis, lector, non me legisse nomina, sed succedentium sibi ordine regum obvia sumsisse. Nullum hic scoriæ Slavonicæ, nullum non metalli Teutonici indicium.

Alter Procopii locus.

eodem libro. *Illorum autem Vandalorum, qui domi manserant, ad*

atem nec memoria nec nomen exstat. Ven-
& memoria & nomen exstabat. Ergo non
andali. Quid dici poterat, ad extorquen-
confessionem, clarius?
& Justiniani, sub quo vixit Procopius, &
Magni temporibus, & multis posthac æta-
osum rapinis & latrociniis Wendorum
uit. donec tandem Saxonum viribus &
riti, consumti, excisis habitandam rursus
bus terram diu possessam reliquerunt.
amen, & manet hanc in ætatem, Vendo-
nen, & eorum in Brandeburgicâ regione
eliquiæ, paupertate ac ignominiâ squa-

poterat & tertius, à morum diversitate,
andalorum notis lautitiis; Vendorum
iam cum rerum potirentur, illuvie. Sed
multitudine testium; qvam fide stan-
in causarum cognitione, ita in veritate
quirendâ, arbitror.
um tamen cuiqvam movere potest alius
, ex eodem historiæ Vandalicæ libro, lo- Objectio.
ndali ad Mæotidem veteres habuerunt sedes:
pressi ad Germanos, qui nunc Franci dicuntur,
partes se tulere, adscitis Alanis, Gothicâ &
ne. inde Godigisclo duce in Hispaniâ consede-
e prima est ab oceano Romanorum provincia.
RES, ut sua Procopio constet autoritas, Solutio.
sedes, paulò ante irruptionem Hispani-
ut è Germaniâ ad Mæotidem paludem
int. Vandalos enim sive Vandilios Ta-
i quinque seculis Procopium antecessit,
aniæ descriptione inter Germanos (ne

aliis commemorem)numerat. Alioqui Vandalorum ea natio, vagis peregrinationibus, & sedibus mutandis, mirum in modum dedita fuit. mihique semper non tam à duce Vandilio, quam ab eâ locorum instabilitate, itineribusque crebrò faciendis (quod wandelen Germanis & wanderen) nomen adepta visa est. Tantum verò abest, ut Mæoticę paludis frequentatio Germanicam originem Vandalis eripiat, ut eam stabiliat potiùs. Germanicæ enim linguæ vestigia iis locis, in nominum impositionibus, adhærent. Ipsa palus Mæotis, pro teste sit: *Temerinda* jam dudum nominata. Te mer inda: des Meers ende. *Te*, Angli *The* scribunt, articulus omnium casuum & generum priscis Germanis, ut hodie Anglis, minùs articulatè loquentibus. *Inda*, einde Belgis, facili τῶ jota in diphtongum transitione. Quod de terminatione A: omnia ferè nomina substantiva priscis Germaniæ incolis, imò etiam adjectiva pleraque, in A desinebant, V.Gr. quod apud Hassos remanet, *Stilla mutscha*, ein stiller Mund. *Mutsch* enim vel *Moutsch*, Anglis hodie & Scotis *Mouth*, *th* cum sibilo pronunciato, oris habet significationem.

Sed ne & nos cum Vandalis, vagationis enixè amantibus, nimium digressione evagemur, ad id quod initio proposueramus revertimur.

CAPUT V.

DE COMPRESSA BELLI GERENDI LICENTIA

JUS in stringendis armis non usque quaque ab omnibus, vel inferendo bello vel gerendo, observari; non ea tantum quæ capite tertio accumulavi-

lavimus, sed & rerum experientia docet. Non tamen ex eo rectè sequitur; vel nullum esse jus armorum, vel nullum ejus unquam rationem habitam: Nam & jus belli populo sibi peculiari Deus ipse præscripsit; & gentes pleræque omnes tacito pacto; licet non pari omnibus religione culto, septa quædam sæviendi licentiæ circumscripserunt..

Divina juris belli sanctio.

Deut. 20. v. 10.

Cum accedes ad aliquam civitatem ad belligerandum contra eam, primùm invitabis eam ad pacem. causa nimirum belli sublatâ, sublatis redditis, perfugis & fugitivis traditis, scandalo submoto, legitimo in se imperio admisso. &c. *Erit autem si pacem tuam responso probet*, satisfaciendo postulatis tuis: *aperiatque tibi*, aut aliàs justæ petitioni tuæ non refragetur: *ut populus totus, qui aderit in eâ, sit tibi tributarius, & serviat tibi.* Hic enim est effectus, hic finis belli non internecini. *Quod si non ineat pacem tecum, & gerat contra te bellum, tum obsidebis eam. Quumque tradiderit eam Jehova Deus tuus in manum tuam, percuties omnem marem ejus acie gladii.* permissione magis, qvam immotâ sanctione, hanc legis partem accipiendam puto. *Tantum fœminas parvulosque, & jumenta, & quicquid erit in eâ civitate, omnia spolia ejus diripies tibi: fruerisq; prædâ hostium tuorum.* &c. v. 19.

Belli susceptio: finitio; gestio: effectus:

Cum obsidebis aliqvam civitatem diebus multis, oppugnando eam ut capias eam, ne perdito arbores ejus securis impactu, nam ex iis comedes; easq; ne exscindito: nam homini sunt arbores agri, ut procedant ante te ad propugnaculum: adeo omnem, absque fructu vi=

gestio:

ctoris, belli sævitiam Deus & æquitas naturalis prohibet. *Veruntamen arborem, quam nosti non esse esculenti fructus, eam perdes & exscindes, ut exstruas propugnaculum contra civitatem, quæ gerit in te bellum, donec ea corruat.* Parcendum ergo agris, parcendum hortis, parcendum ædificiis circumjectis, quæ nocere obsidenti non possunt, prodesse possunt. saltem dum spes est compositionis aut victoriæ, rebus inanimis parcendum.

Belli jus quoad effectum maximè, nec non quoad gestionem, hac lege comprehenditur. Suscipiendi causa impulsiva in voce *ojeb*; inimicus, adversarius, qui tuam perniciem omni modo machinatur, latens includitur. Justam enim belli causam omninò subesse oportet, si justum ad effectum pervenire voluerimus. Quod ne quidem atrocem Ammonitarum regem, Jabesitas contra fas belli obsidentem, fugit. Jephtæ enim, iniquitatem exprobranti, commentitias potiùs causas, quam planè nullas, appendere voluit. Adeò in omnium animos lumen justitiæ irradiat: etiam qui tenebris perversitatis eam obrutum eant, tamen conspiciunt.

Iudic. 11.

Gentium consensio.

Græcos & cultioris orbis barbaros, imò & desertioris aliqua, juris in bello observandi opinio pervasit. Ut à Græcis incipiam: Oedipi filii, Etecoles & Polynices, bello quo uterque interiit, ob regni individuam majestatem exarserunt. Etheocli, contra pacta alternæ successionis regni habenas retinenti, qui cum fratre ejus erant primores Argivorum, aut cessionem regni, aut bellum indixere. Superiores prœlio Thebani, aut cum

Bellum Thebanum.

æquo

æquo Marte pugnatum esset muro defensi, cadavera cæsorum hostium ad sepulturam auferri non permittebant. Alterius hæc belli causa: Theseo causam Argivorum suscipere dignato. Theséum:

Belli necessitatem Theséa clarigatio præcessit:

Aut Danais edice rogos, aut prœlia Thebis.

Contra jus enim belli erat, ultra vitam in prœlio cæsorum sævire: quare

—— bello cogendus & armis

In mores hominemque Creon. —— *Statius Theb.l.12.*

Non enim injuriâ Argivorum legati conqueruntur:

Nec querimur cæsos: hæc bellica jura, vicesque

Armorum. ——

Sed cecidere odia, & tristes mors obruit iras.

Nec si magis virorum armatâ manu, quam justâ belli causâ, Theseus erigit:

Terrarum leges & mundi fœdera mecum

Defensura manus. ——

Sunt ergo terrarum quædam omnium leges, sunt mundi non scripta fœdera: quæ in belli jure spectantur.

Circa eadem tempora bellum Thebanis contra Teleboas, ob pecora & alias res abactas exortum est: cujus ordinem Sosias plauti in Amphitryone depingit. Nos ea, quæ ad præsentem tractationem faciunt, maximè seligemus. Teleboum: *Act.1.Sc.1.*

Continuò Amphitruo delegit viros primorũ principes:

Eos legat Telebois: jubet sententiam ut dicant suam.

Si sine vi & sine bello velint rapta & raptores tradere;

Si, quæ asportassent, redderent: se exercitum extemplò domum

Reducturum, abituros Argos Argivos; pacem atque (otium

Dare illis: sin aliter sient animati, neq; dent qua pe- tat: (gnassere;
Sese igitur summa vi virisq; eorum oppidum expu-

Præter scopum scripti nostri tironibus, minùs in lectione Plauti versatis, una & altera vox elucidanda est. ARGOS, proprio significatu civitas Peloponnesi medio ferè situ inter Corinthum & Lacedæmonem, à quâ, ob antiquæ potentiæ memoriam, Græcia universa Argos aliquando nominatur. IGITUR, deinceps, posteà. EXPUGNASSERE: expugnaturum. Nunc ad telam, quam exorsus eram, revertor.

—— nimis ferociter, legatos nostros increpant.
Respondent, bello & se & suos tutari posse, proinde uti
Properè de finibus suis exercitus deducerent.

Hinc jam justa Thebanis vi agendi causa, in medio tamen justè vel injustè pugnandi ardore, de pactis belli & quasi legibus convenitur.

Deinde utriq; imperatores in medium exeunt:
Extra turbam ordinum colloquuntur simul.
Convenit, victi utri sint eo prœlio,
Urbem, agrum, aras, focos, seq; uti dederent.

Victoria à Thebanis, justam causam foventibus, à juris violatoribus aversa, stetit.

Postridie in castra ex urbe ad nos veniunt flentes principes.
Velatis manibus orant, ignoscamus peccatum suum.
Deduntq; se, divina humanaq; omnia, urbẽ & liberos,
In ditionem atq; in arbitratum cuncti Thebano poplo.

Hæc de armorum ante Trojanum bellum observato jure.

Trojanum. Nobilius mole, animorum suspensione, & eventu rerum Trojanum bellum, Asiam & Europam,

pam, Græcos & Barbaros collisit. Quamvis classe jam magnis sumtibus paratâ, mari Ægæo non sine periculo, navigandi iis temporibus inscitiâ, superato: tamen legatos ad Priamum pacem offerentes, si Helenam & rapta redderent, obtulerunt. Trojani, ob virium fiduciam ferociores, & ab Alexandro persuasi, bellum cum Helenâ, quam sine eâ pacem maluerunt. In quo tamen gerendo à communibus terrarum legibus, ipsi & socii populi, non planè abhorruerunt. Multò minùs Græcorum proceres, ipsa in iræ aut cupiditatum flagrantiâ legum humanæ sortis memores.

De Achille Horatius: *Arte Poët.*

Jura neget sibi nata: nihil non asserat armis.

Hic tamen legatos, & legatos quidem ab infenso quam maximè rege venientes, legatos iniqua & ipsi amarulenta petitum venientes, reveritus blandè appellando perterritos ultrò confirmavit. *Homer. Iliad. α.*

Χαίρετε κήρυκες, Διὸς ἄγγελοι ἠδὲ καὶ ἀνδρῶν.

Legati salvete, Jovisq; hominumq; nuncii ministri.

Ad jus belli spectabat Hectoris cum Agamemnone, de finiendo monomachiâ Menelai & Paridis bello, conventio. Ut in ludicro gladiatorum conflictu instituta quædam servantur, armorum dimensione, spatii determinatione, numeri congressuum conventione, crurum feriendorum interdicto: sic Græci & Trojani spatium pugnæ futuræ mensurabant; qui primus hastam ejacularetur, sorte in galeam conjectâ, divinabant. *Iliad. γ.*

Χῶρον μὲν πρῶτον διεμέτρεον. &c.

Vota etiam & preces utriusque aciei, & quidem sincero frustrà pereuntium animo, promeban-

tur; eum qui causam bello dederit, truculentâ morte pœnam luere; cæteris pacem & fœdera constare.

Ὁπότερος τάδε ἔργα &c.

Cumque Pandari, telum in Menelaum jaculati, fraude fœdus irritum Trojani redderent: rex regum Agamemno interitum illis, verus vates, prædixit.

Iliad. 4.

Ἔσσεται ἦμαρ ὅταν ποτ᾽ ὀλώλῃ Ἴλιος ἱρή.

Illa dies aderit, quâ diruta Troja jacebit.

Multa sunt ejusmodi apud Homerum, ad deos autores, aut ad justitiam bello cultam, eventum armorum referentem: quæ nunc accumulare nihil attinet.

Pelopon- nesiacum.

A recondita seculorum antiquitate, ad propiorem ævi fluxum; à poëtis ad gravem temporum suorum testem, Thucydidem accedamus. Genus hominum eâ tempestate Græciam tenebat, quod noverat magis, quam religiosè colebat, belli jura. Nihilominus externâ justitiæ specie, belli indictionibus, legatorum admissionibus, causis armorum prætexendis, & similibus in rebus, ea manebant.

Thucyd. libro 1.

Corinthii Corcyrenses, belli necessitatem deprecantes, & vel ad judicii apud neutrius partis civitates disceptationem, vel ad oraculi Delphici decisionem, armorum interstitio facto, provocantes, armorum vi aggressuri, misso legato bellum iis apertum indixerunt. Atheniensium oratores, aliis de rebus præsentes, Lacedæmonios in bellum ruentes frustrà monebant: σπονδὰς μὴ λύειν, μηδὲ παραβαίνειν τοὺς ὅρκους, τὰ δὲ διάφορα δίκῃ λύεσθαι κατὰ τὴν ξυνθήκην. *inducias ne rumperent, neve fœdera juramen-*

juramento sancita transgrederentur, controversias autem judicio, juxta conventionem, dirimerent. Incrementum potentiæ Atheniensium, & arreptus post Medorum ruinam principatus Græciæ, Lacedæmonios urebat. Ut autem specioso juris titulo bellum iis indicerent: missis legatis postulaverunt, τὸ ἄγος ἐλαύνειν τῆς θεοῦ, *ut tædii piaculo obstrictos homines urbe pellerent.* Ubi per τὸ ἄγος, ut ipse autor explicat, ἐναγεῖς καὶ ἀλιτήριοι τῆς θεοῦ, *piaculares & nefarii sacrilegio*, intelliguntur. Cum iis à Pericle responsum esset, τὸ ἀπὸ Ταινάρου ἄγος ἐλαύνειν, *ut & ipsi piaculo Tænari pulso se exalverent: &* τὸ τῆς χαλκιοίκου, *& piaculo in æde Junonis chalcoœcæ commisso*: ad alia vertuntur. Potidæâ abducere exercitum, & Æginam sui juris esse permittere jubebant. Ulteriùs progressi, decretum, quo Megarensibus foro interdicebatur, abrogari petebant. Tandem Græcos omnes in libertate esse postulabant. Quasi ipsis aut Megarensium nundinatio, aut Græciæ libertas curæ esset. Quare benè iis responsum est, obtemperaturos Athenienses, si ipsi Spartani aut Græciæ civitates, imperio subjectas, liberas dimitterent; aut peregrinos omnes urbe suâ non pellerent. Verùm Spartani, non admissâ Atheniensium exceptione, bello gravi universam Græciam implicabant. Demosthenis gnome, armis movendis vel ex..piendis, audienda: τὴν ἀρχὴν τοῦ πολέμου τηρεῖν, ὅπως δικαία γενήσεται· τὸ παρασκευάζεσθαι δὲ ὡς δυνατὸν πάντα. *principium belli, ut quam justissimum sit, observandum: belli autem ad usum apparatus omnis parandus.* Et hæc quidem de Græcorum, in jure belli torquendo, vafritie. Quod ad Romanam in

Vera ejus causa.

Prætexta.

De classibus.

Commentariis in Tacitum editis.

jure belli fidem: Livii in hoc genere, & Romanæ historiæ, nervos dudum exhausimus.

Gallorum, & his affinium Germanorum, quod ad priscam memoriam, eximia memoratur ferocia. His tamen, si non in bello inferendo, saltem gerendo, juris quædam notitia inhæsit. Cum urgentibus Romanam urbem fatis, Fabii Romanorum legati contra jus gentium arma in Gallos, Clusinum obsidentes, cepissent, ferox Celtarum juventus in vindictam statim sumendam exarsit, Sed vicere Gallorum seniores, ut legati prius mitterentur, questum injurias, postulatumque, ut pro jure gentium violato Fabii dederentur. Τὰ κοινὰ καὶ νενομισμένα πᾶσιν ἀνθρώποις ὅσια καὶ δίκαια, *communia, & omnibus hominibus usu recepta, instituta & jura*, apud Plutarchum hæc jura belli vocant. Cum micâ igitur salis accipiendum illud Ammiani Marcellini: *Barbaris esse omne jus in viribus assuevit.* Nam nec Græci ac Romani semper æqui cultores: & Barbari juris aliquando meminere.

Liv. l. V.

in Camillo.

Libro XVII.

Sive igitur Barbari, sive Græci; istud Belisarii in animum velim advocent: *Et membrorum vires, & armorum peritiam, & omnem istum belli apparatum, posteriora ducere oportet juris & rerum divinarum cultu .&c. Neque enim vincere potest fortitudo, nisi quam justitia gubernat.* Quo magni ducis effato, sæpè eventu rerum comprobato, caput hoc obsignamus.

Procop. Hist. Vand. libro I.

CAPUT

CAPUT VI.

DE IURIS CUM BELLO CONVENIENTIA.

QUÆSTIO NIMIRUM II.

An belligeratio ulla sit justa?

JUS omne constat *Naturâ, lege, consuetudine, judicato, æquo & bono, pacto.* Ad has juris universi partes quæstionem propositam, ne elumbis aut jejuna oratio vacillet, examinabimus. *Cic. ad Herenn. lib. 2.*

NATURA.

Naturæ humanæ integritatem, & primum hominis ortum, si spectemus: nihil minùs, quam truculenta in mutuum exitium concursatio, placido animali & ad rationis usum facto, convenit. Nam ne feræ quidem ita ruunt, ut aut agminatim in partes discedant, aut in sui generis animal ad necem usque sæviant. Naturæ repugnantia.

——— ——— ——— ——— parcit Juven.
Cognatis maculis similis fera. quando leoni
Fortiter eripuit vitam leo? quo nemore unquam
Exspiravit aper majoris dentibus apri?
Indica tigris agit rabidâ cum tigride pacem
Perpetuam: sævis inter se convenit ursis.

Martem, bellorum præsidem, & insipidum & juris nescium poëtæ fingunt.

Ἄφρονα τοῦτον ἀνέντες, ὃς οὔτινα οἶδε θέμιστα.
Insano hoc, superûm qui nescit jura, relicto:

Juno cum sapientiæ deâ Minervâ inquiunt. Quare & supremo deorum, Jovi, invisum eundem faciunt. Hom. Il. 5.

Ἔχθιστος δέ μοι ἐσσὶ θεῶν οἱ ὄλυμπον ἔχουσι.
Αἰεὶ γάρ τοι ἔρις τε φίλη, πόλεμοί τε μάχαι τε.

Præ reliquis odio te dîs habeoq; deabus:
Nam tibi deliciæ sunt rixæ, prælia, bella.

Jovis est ad Martem, à Diomede vulneratum, expostulatio.

conniventia.

Sed nimirùm non belli simpliciter gestionem (nam & Minerva bellatrix dea) sed belli temerariam gestionem, sed amorem belli & delectationem in eo carpunt.

Internam animorum figuram, & similes hominum mores, fictis deorum & dearum nominibus, poëtæ laudant aut vituperant. Insanus Mars, & patri ipsi infensus, qui ἀλλοπρόσαλλος temerè in acie versatur? at sapiens Minerva habetur, & filia Jovi charissima, quæ ratione bello inito, injuriam passorum causam constanter defendit; alienæ pudicitiæ raptores, & pacis gentium turbatores, armis ad pœnam deposcit. Atque hi sunt aut soli aut præcipui, in quibus belli justitia vertitur, armorum cardines, quos & juris Canonici consarcinator agnoscit: *Omnis militia vel ob injuriam propulsandam, vel propter vindictam inferendam est instituta.* Nam vel ad defensionem sui & suorum, vel ad comprimendam sceleratorum audaciam, rerum justis moderatoribus arma capiuntur.

Cardines justi belli.

c. 23. q. 1.

Natura sui conservatrix.

Et sui quidem ac suorum defensio à primo naturæ, non humanæ solùm, sed in commune animantium, principio fluit. Se enim quodque natum diligit, & ad sui conservationem naturâ impellente fertur. Nobismet enim ipsis à naturâ, communi omnium matre, commendati sumus. quæ natura nec se deserit unquam, nec primæ suę institutionis obliviscitur. Est autem prima ejus institutio, ut contra omnem adversantis impetus insul-

insultum, in genere & in statu conservetur suo. Hinc contra tela hostium, contra vim inferentium crudelitatem, omnis honesta ratio est expediendæ salutis. *Hoc & ratio doctis, & necessitas barbaris, & mos gentibus, & feris natura ipsa præscripsit, ut omnem semper vim, quâcunque ope possent, à corpore, à capite, à vitâ suâ propulsarent.* nec enim quisquam, mentis compos, ita à se discedere poterit, ut incolumitatem suam & interitum nullo discrimine habeat. *Cic pro Milone.*

Sed poterit altiori fortassis animi erectione, vitam suam vel communitati, & plurium hominum saluti, impendere; vel necessitati commaculandi manus, cujuscunque hominis cæde, post habere. Plus enim humanitati, cui omnes nascimur, quam uni homini, quam nobis ipsis debemus. In inclinatione autem sui amandi, & se sibi commendandi, potest quædam esse in excessu perversitas; aut certè non multum officii. Perferre enim ob virtutem, non sui amore propulsare, damnum & injurias, laudem meretur. Limitatio.

Patiare potius ipse, quam facias, scelus:
cothurnatus poëta admonet. Quod propè ad illud Isocratis accedit: ἀδικεῖσθαι μᾶλλον ἢ ἀδικεῖν. imò ad illud Apostoli: διὰ τί οὐχὶ μᾶλλον ἀδικεῖσθε; διὰ τί οὐχὶ μᾶλλον ἀποστερεῖσθε; Nec satis aptè ab incitato brutorum impetu, ab infirmâ parvulorum ætate, & ab imbecillo hominum de triviis animo, vim naturæ per caliginem cernente, charitatis in se reflexæ confirmatio ducetur. Id largiendum ultrò videtur, nec nostri negligentes esse nos debere, & vim illatam licitè vi depelli. *Sen. Thyeste.* *1. Cor. 6.*

Qui verò populorum curam delatam suscepe- Limitationis restrictio.

runt, minùs ad publicę rei ruinam, quibus & ipsorum salus est involuta, connivere debebunt. Hos enim, præter naturam magistram, divina sanctio; & ex instituto humano conventio; ad arma contra vim urgentem capienda obstringit. Iisdem & ultorem gladium, & enormitatum grassantium vindictam, sceleribus impunitatem non permittens; severitas officii porrigit. de quâ, & omni pœnæ exprimendæ genere, suo commodiùs loco dicetur.

Contaminatio. Nec igitur juri naturæ bellum per omnia adversatur; nec omne ad bellum, quamvis illiciente injuriâ, continuò prorumpendum. Non tantum quia vires tuæ ad vires hostium metiendæ sunt: verùm quia exacta etiam sanguinis humani prodigalitas puritatem, saltem externâ coinquinatione, collultulat.

Tu genitor cape sacra manu, patriosque penates:
Me bello è tanto digressum, & cæde recenti,
Attrectare nefas, donec me flumine vivo
Abluero.

Æneid. 2. ait ille, quem ad virtutis togatæ & bellicæ ideam poëtarum princeps effinxit, Æneas.

Iliad. ζ. Quod & Homericus ille Hector, sacrorum & precum attrectationem deprecatus, intellexit:

—— —— ὐδ᾽ ἔπη ἐσὶ κελαινεφέι κρονίωνι
Αἵματι καὶ λύθρῳ πεπαλαγμένον εὐχετάασθαι.
—— —— —— *neq; enim pia vota Tonanti*
Sanguine conspersum decet & perferre cruore.

Ne quis gentilium ineptias; largo è poëtarum latifundio, afferre me causetur: Davidem, licitis bellis commaculatâ manu, ædem Deo exstruere vetitum; Israëlitas, jussu Dei Midianitas ultrice

clade

clade persecutos, ut ob hoc ipsum immundos, extra piorum conversationem septiduum seclusos, mihi quis contempletur. Licet igitur, naturæ jure vel permissu, ferrum in grassatores stringere: sed circumspectè, lentè, & vitabundâ manu licet.

LEGE.

Quod populi sanctione jussum, civiles juris effectus sortiebatur. Sic jam à primis Urbis primordiis, *bellum erat consensu fieri solitum*: lege nimirum per populum, rege rogante, latâ. Quod apud Dionysium Halicarnassensem, accuratum antiquitatis Romanæ scrutatorem, clariùs patescit. In liberâ autem civitate procul omni dubio patres censebant, populus bellum jubebat. *Liv. lib. 1.*

Bellum autem ita decretum, vel utroque foro, naturæ & civitatis, vel altero tantum, justum erat. Priori in censu ponamus, verbigratiâ, quod Lege Maniliâ contra Mithridatem, Asiæ raptorem, gestum. Posteriori, quo Porcia lege Carthago, pacifica & imperata faciens, eversa est. Quædam bella, ab omni justitiæ colore recedentia, nec naturaliter nec civiliter justa dicuntur. Qualis fuit Crassi in Parthos nihil merentes, tribunis & populo reclamantibus, suscepta expeditio. Medii generis, quæ C. Cæsar contra Gallos, Germanos, & Britannos populo non jubente gessit, censeantur. Provincia enim Galliæ, id est, Narbonæ & Allobrogum, qui tum ditionis Romanæ erant, ei à populo demandata erat. Quo administrandæ provinciæ jure vel prætextu, catenatam bellorum insequentium seriem attraxit. *Legis, justitia.*

Generatim de hoc ex lege belli jure illud Platonis audiatur: ὁ δὲ νόμος, τύραννος ὢν τῶν ἀνθρώπων, *Protag.*

πολλὰ παρὰ τὴν φύσιν βιάζεται. *Lex, ut tyrannus hominum, ad multa quæ non ſunt naturæ, cogit.*

CONSVETUDINE.

Jus Conſvetudinis non minus crebrò, ſi ad naturam revocetur, in ſalebrâ hærebit. Hoc verò jus vel per gentes diffuſum eſt, vel civitatis alicujus, aut etiam ſocietatis vel collegii, finibus includitur. Gentium receptâ diu, & ægrè præceptis evellendâ, injuriâ potius qvam jure, non modo finium lites gladii arbitrio permittuntur, de honorum prærogativâ diſceptatur, ſed etiam fines imperii proferuntur, novæ agrorum ditiones acquiruntur. Quod minus habet injuriæ & violentiæ, ubi legitimè indictum bellum, ubi è juſtâ offendendi causâ ortum.

Piratica.

Qvibuſdam olim civitatibus piratica honeſtæ conſvetudinis fuit: non barbaris tantum, Ponti aut maris Caſpii accolis, qvi rapta pretio convento antiquis dominis reſtituebant:

fide Strabonis:

ſed etiam Græciæ non ignobilibus populis: ut ex Homeri Odyſſæâ liquet.

Homeri, & Thucydidis.

Sacræ prædationes.

Societates Templariorum, Marianorum, Rhodienſium & ex iis Melitenſium, qvando ſanctitatem piis rapinis & jus originarium prætexunt, ægrè ad conſvetudinem refero.

Duella.

Ad conſvetudinem etiam, & longo uſu jus qvæſitum, provocant, qvi in regum aulis, vel Germaniæ & Galliæ academiis locum & horam duello, cum ignominiâ detrectantis, denunciant. Sed non eſt conſvetudine jus quæſitum, cui non taciturnitate aſſentitur, ſed legibus & mulctis infligendis reclamatur.

JUDICATO.

Non tantum leges & humana jura, ſed & divini ſanctio oraculi quædam bella permittit. quod, ut majoris

majoris ad momenta rerum inclinationis, ad calcem capitis reservo.

ÆQVO & BONO.

Plumbeo pugnare pugione, populorum decretis, & cõsvetudine gentium, alicui videbimur. siquidem non gravissimum est multitudinis testimonium; & optimum quodque rarissimæ frequentationis est. Igitur quid æqui & boni in armis capiendis appareat, sicco pede lustrabimus. Nec æqvum ergo, nec humanæ tranqvillitati cõveniens est, rapiendi vagam omnibus permittere licentiam, libertatem populi opprimendam flagitiosè prostituere, & ipsam vitam ac corpora libidini nefariorum hominum exponere. Armis igitur arma, qvibus coërceatur audacia, alacriter opponenda. sed cum eo moderamine, quo capitis initio statueram, & ut invitus ad vindictam accedas, opponenda. *Defensionis æquitas.*

Sola gerat miles, qvibus arma coërceat, arma:
Canteturq; fera nil nisi pompa tuba.

Ovid. Fastorum libro primo.

PACTO.

Pactis aut ad corripienda arma, qvod rarum, decurritur; aut de eventu armorum secuturo decernitur. Priori in genere, aut de controversiâ uno prœlio dirimendâ convenitur, aut fructus aliqvis ex inferendo bello per pactionem deposcitur. Stultitiæ simile hoc postremum videtur: sed tamen de Barbaris qvibusdam, ultra Pontum Euxinum, Strabo commemorat: agrorum fructum & culturam vicinis populis eâ lege permissam, ut qvinto qvoqve anno rapi & ferri agros & pecora sua à concedentibus permitterent. Nisi hæc Stra- *Barda conventio.*

bonis narratiuncula eâdem fide tradita credatur; qvâ idem in Hiſpaniâ mulieres agrum colere, & partu edito maritis decumbentibus miniſtrare, comminiſcitur. Γεοργῦσι γὰρ αὗται, τεκῦσαί τε διακονῦσι τοῖς ἀνδράσιν, ἐκείνους ἀνθ' ἑαυτῶν κατακλίνασαι.

Libro 3.

Hom 11.

De eventu vel ſingularis pugnæ, ut Hectoris cum Ajace, vel univerſi belli ſæpius transigitur. quod, ubi ad locum de Pactis ventum fuerit, examinandi copia non deerit.

Bella ſacris elogiis fundata.

Sacrum veteris Teſtamenti codicem evolventi, aures circumſtrepit armorum & tubarum ſonus, ut te in Alexandri aliquâ aut Scanderbegii hiſtoriâ verſari putes. Mortalium ineptiſſimus forem, ſi omnium prœliorum numerum ſubducere, locis & temporum momentis adjectis, conarer. Adeò ut viri pii, nec illi rerum omnium rudes, de ſpiritualis typo certaminis ea accipiant. Qvorum anteſignanus Gregorius: *Niſi bella iſta carnalia figuram bellorum ſpiritualium gererent, nunquam, ut opinor, Judaicarum hiſtoriarum libri diſcipulis Chriſti, qvi venit pacem docere, legendi in eccleſiis fuiſſent ab Apoſtolis traditi.* Sic omnis veteris ævi memoria, tanti viri judicio, in fluxas interpretationes & fabularum commenta tranſibit. Qvid in legendis iis libris emolumenti carpatur, non eſt hujus loci inquirere. Satis eſt mihi ad præſentis rei tractationem, bellorum omnium geſtionem à Deo, exercituum ſupremo ductore, ne quidem ſecreto à cęteris nationibus populo interdici. Pluſculum in Novi Fœderis, quod pacis totum dicitur, explanatione ſudatur. Ad qvam anteqvam accingar, quæ Doctorum in eccleſiâ poſt Chriſtum exhibitum

c.23. qv.1.

Tertullianus militiæ abominator.

tum fuerit sententia, paucis expendam.

Tertullianus, qui propiùs ab ortu lucis in ecclesiâ Latinâ abfuit, magis militiæ Christianorum non favet; qvam bellum omne detestatur. Sacramentum militare, & propinquorum in eo ejurationem, abominatur. *Credimus ne humanum sacramentum divino superduci licere, & in alium dominum respondere post Christum, & ejerare patrem ac matrem, & omnem proximum, quos & lex honorari & post deum diligi præcepit?* Conjecturalis est hæc argumentatio præsbyteri, non evidentiæ plenissimæ. Obedientia enim Deo debita ab officiis in homines; & terrenarum potestatum reverentia, neminem absolvit. nec honor parentum publica munia, & patriæ obligatum amorem tollit. *De Coronâ militis.*

Aliud argumentum Tertulliani à miti Christianorum ingenio: *Et prælio operabitur filius pacis, cui nec litigare conveniet?* Aculeatum contra eos dicterium, qvi vagâ militiâ delectati, causam armorum gerendorum non expendunt. *Et excubabit pro templis, quibus renunciavit?* Exolevit jam ista ratio; templis deorum aut eversis, aut in pientiorem usum conversis. Nec sibi ipsi constat Doctor, dum in militiâ ante conversionem deprehensis militandi licentiam plenâ manu largitur. *Planè si quos militiâ præventos fides posterior invenit, alia conditio est.* Atqvi si cum scelere conjuncta est omnis militia, si cum pace Christianâ apertâ fronte pugnat, omnibus absqve mora abjicienda fuerat. Qvod verò contra excusationem qvorundam adducit. *Non admittit status fidei allegationem necessitatis*, adversus ipsam autoris exceptionem militat: Nam nec militiâ præventos alligatio necessitatis

qvicqvam juvaret. Deniqve abruptæ armorum deteſtationi ſcopus autoris, militem laudantis qvi lauream abjecerat, repugnat. Qvare ad ſe reverſus, hoc dicto militis factum comprobat: *Laurea iſta Apollini vel Libero ſacrata eſt: illi ut Deo telorum, huic ut deo triumphorum.* Nondum tamen in gratiam cum militantibus reverſus, alio tractatu contortâ argumentandi jaculatione utitur. *Non convenit ſacramento divino & humano, ſigno Chriſti & ſigno diaboli, caſtris lucis & caſtris tenebrarum.* Paucis tamen, puto, conſenſum extorſit: plena enim, quod ipſe non diffitetur, caſtra militantium Chriſtianorum fuere. *Externi ſumus, & veſtra omnia implevimus: urbes, inſulas, caſtella, municipia, conciliabula, caſtra ipſa, tribus, decurias, palatium, ſenatum, forum. Sola vobis reliqvimus templa.* Si prioribus Tertulliani rationibus locum Chriſtiani dediſſent, orbe humano iis excedendum fuiſſet. qvod non admittit Apoſtolus: 1. Cor. 5. v. 10.

De Idololatria.

Apologetico, cap 37.

Magni qvidem eſt ingenti, avocare animi ſenſum ab opinionibus, & aſſenſionem ab autoritate abducere. Soli tamen Tertulliano, & ei quidem vacillanti, contra conſenſionem fermè omnium, ſubſcribere non audemus. Nihil tale, ævo non multum inferior, Cyprianus docuit, nihil Minutius, nihil Arnobius; Lactantius nihil. Qvi verò confirmatâ jam Chriſtianorum pace (pacem eccleſiarum voco cum Cypriano, ab inſectationibus gentilium vacuam qvietem) floruerunt; Ambroſius, Auguſtinus, alii, belli neceſſarii jura apertè propugnant. Pleraqve ex iis Gratianus in decreto congeſſit: cujus labores in gloriam ſuam convertere, ingenui non duco.

Non æqvè reliqvi Doctores.

c. 23. q. 1. l. 1 3.

Cir-

Circumfusi & ipsi, siquidem homines erant, caligine; ad dispiciendam clariùs veritatem, manu nos ad lucidiora Evangelii oracula deducunt. Qvam disserendi materiam à Theologis, Anabaptistarum errorem refellentibus, occupatam cum videam; actum agere supersedere, veteri proverbio moneor. Cautiùs tamen exempla centurionum (Matth. 8. Act. 10) & Baptistæ ad milites orationem, (Lucæ 3) ut tela omnibus militiæ generibus apta, vibrari velim. Alia enim fuit Tiberiano ævo, & extremis Augusti annis, militandi ratio. *Bellum eâ tempestate* (sub Augusto) *nullum, nisi adversus Germanos, supererat : abolendæ magis infamiæ ob amissum cum Qvinctilio Varo exercitum, qvam cupidine proferendi imperii.* Qvod ipsum cum Germanis bellum Tiberius, abducto inde Germanico, tertio imperii anno sopivit. Milites non nisi ad tutelam imperii, & pacem ubiqve locorum firmandam, conscribebantur. Ergo centuriones illi, & qvos Joannes tingebat milites, ad reprimendam Parthorum & Arabum irruptionem, & rebelles Judæorum animos in officio continendos, in oriente alebantur. Qvid hæc ad vagam convenarum, prædæ & sangvini passim inhiantium, & patriam suam laniena & vastationibus cupidissimè involventium, militiam? Sergium Paulum, Cypri proprætorem, qvi huic quæstioni immiscent, perperam meo judicio faciunt. Inermem enim provinciam, inermis ipse, administravit. Nota est enim è Dione provinciarum, in populares & Cæsareas, distributio. Nota est Corneliana legionum, quas libris ante editis diduxi, locis certis assignatarum descriptio. Argumenta, quæ

Tac. Ann. 1.

Ann. 2.

Sententiæ vulgaris moderatio.

à votis pro summo magistratu concipiendis, (1 Tim.2) à principis gladium gerentis officio, à compescendâ scelerum licentiâ, à Pauli ad imperatorem provocatione, à tributis imperatori solvendis, ducuntur; sunt illa qvidem non spernenda: sed non nisi obliqvè id qvod indagamus demonstrant. Illud non rejiciendum, *qvod Christi lex solam legem Mosis, qvâ gentes ab Hebræis separabat, sustulit*. Leges autem militares, & jura belli gerendi, hos & illos in æqvo tenebant.

Rom. 13. Act. 25. Matth. 22.

Loca scripturæ, qvæ pro adversâ opinione adducuntur, partim suâ se imbecillitate produnt, partim à Theologis legitimâ interpretatione vindicata sunt.

Collectio. Concludimus igitur & suggestione rationis, & barbararum nationum ac eruditorum consensione, quæ naturæ quædam vox est, & divinæ vocis effato; Bella non omnia temeritatis aut culpæ esse arguenda.

CAPUT VII.

DE BELLI MOVENDI AUTORITATE.

Suscipiendi belli cum causa tum objectum consideratur.

Causa vel efficiens, princeps nimirum & administra; vel impellens, vel alliciens expenditur.

Causa

Causa princeps est, cujus au- ritate bellum movetur.

USPICIO dicerem Romanâ locutione, nisi avium inspectio, de cœlo observatio, adii animadversio olim intercidisset. Imò ne lem auspicium cum summâ potestate con- i videtur: nisi Sosia Plautinus hallucinatus itur:

Ut gesserit rempublicam ductu, imperio, auspicio suo.

Amphitryone enim, Creonti Thebanorum operam navante, verba facit. *Amph. act. 1, Sc. 1.*

utoritas belli gerendi cum nma potestate cohæret.

In Politeiâ igitur populus, in Aristocra- proceres, in Monarchia reges bellum de- unt. Nec fas igitur seorsim qvenqvam, aut em civitatis, bellum cum aliquo aut pa- colere. Τὸν αὐτὸν φίλον τε καὶ ἐχθρὸν νομιζέτω πᾶς λεω. ἐὰν δέ τις ἰδίᾳ ποιῆται πρὸς τινας εἰρήνην ἢ πόλε- ἄνευ τοῦ κοινοῦ, θάνατος ἔστω καὶ τούτῳ ζημία: ait Pla- eundem & amicum & inimicum qvisqve, qvem s, existimet. Si qvis autem seorsim pacem aut bel- um qvibusdam gerat, secluso publico consilio, capite m luat. E quo principio Stephanus Batorius niæ rex ducem Cosaccorum, Turcas non ju- ello lacessentem, gravissimo insomniæ sup- o confecit. Jura enim gladii invadit, qui su- rum non exspectato imperio, privatim sibi ulit. Ne quidem defensionis necessitas, nisi

Bellorum arbitri.

De legibus l. 12.

Batorius.

extrema & inevitabilis urgeat, semper excipitur.
Libro 8. *Tutiùs visum est, defendi inermes Latinos, qvam pati retractare arma*: inqvit Livius. Hostis agros Latinorum vexabat: Latini, ut se armis defendere liceret, à Romanis petebant: Romani abnuebant. Durum: sed imperandi arcanum suberat. Sed hi qvidem cives Romani non erãt. De civibus idem
Libro IV. Livius: *Qvem enim bonum civem secernere sua à publicis consilia.* Rectè *consilia*; nam manus à necessariis
Hospitii jus. in prœlii concursu olim licebat abstinere. Ut si qvi hospitii tessera, qvod maximum necessitudinis vinculum, devinciebantur,

Ἔγχεα δ' ἀλλήλων ἀλεώμεθα καὶ δι' ὁμίλου.

Hom. Iliad. 6. *Mutua conflictu vitemus pila coorto*; inqvit ad Glaucum, paternum hospitem, Diomedes. Qvanqvam feroculus ille Campanus, hospitem suum Romanum in prœlio ad singulare certa-
Liv. L. 25. men provocans, *publicis fœderibus ruptis diremta simul & privata jura*, arbitrabatur.

Arctior confœderatio. In plurium civitatum pari jure coagulatione, de pace bellóve publico in conventu agitur. Sic Jones Asiatici, ante Persarum susceptum jugum, in Panionico, Ætoli in Panętolico & Pylaico consilio, Achivi Sicyoni aut Corinthi, aut per vices aliis in oppidis, de pace & bello acturi convenerunt. Hetrusci, duodecim civitatibus conjuncti, ferè legationibus rem expediverunt. Belli autem sejunctim initi pœna, cum increpatione publicâ, urgentibus rebus desertio erat. Sic Vejentes, qvi Romanos ultrò lacessierant, auxilium petentes,
Liv. l. IV. jubebantur. *Suo consilio bellum initum, suis viribus exeqvi.*

Belgarum unitorum proceres Hagæ, Princi-

pum

i sub oculis, congregantur. Libertati consul-
Helvetii Badæ, servo in oppido, vitandæ emi-
iæ suspicationi. Qvi tamen fœdera seorsim,
um Hispano, cum Gallis alii ineuntes, ar-
em colligationem aut non intelligunt, aut
gunt. Nisi commoditas loci, & accessus fa-
s, Badam alliceret, decentiùs fortassis Achi-
Helvetii imitarentur: qvibus aliqvando de-
im, *ut in omnibus civitatibus, qvæ Achaici concilii* Liv. l. 38.
, *invicem conventus agerentur.* Sed ad civita-
re & conjunctione loci unam, stylum erran-
retorqveo.
liberâ civitate, utrum de bello movendo ad
lum ferre satis foret, an ad senatum referre,
s ex usu, qværitur. Sed de more priùs: de
postmodùm agetur. Athenis populum ab
ribus consultum, belli & pacis autorem fuis-
mo non mihi dabit. Sed Athenis eâ tempe-
Democratia, plebis magis qvam populi im-
m, vigebat. Romæ, si Livio credimus, bello
im postremo Macedonico, cum populo agi
um, *Cum anteà semper priùs senatus de bello con-* Lib. 45.
esset, deinde ad populum latum. Sed aut sui obli-
at Livius, aut temporum vetustas mutatio-
ntroduxit. Nam rudibus etiamnum impe-
tiis, rem per tribunos ad populum tractam,
le primâ scripserat.
l populum autem universum summam pa- Popularis
belli consultandam deferri, non est è publi- consultatio.
atis usu. 1. Qvia plurimi in eâ turbâ impru-
s, rerum imperiti, aut sagacitate mentis de-
te, consiliorum arcana non penetrantes.
casu fit, ut qvod stultissimi decreverint, sa-

Plato. pientissimi seqvi cogantur. Exolescitq; illud Aristophanéum:

Οἱ γὰρ βλέποντες τοῖς τυφλοῖς ἡγούμεθα.

Nam qvi videmus præsumus cæcis duces.

2. Multum in populo levitatis, ineptiarum, & inconstantiæ. *Nam extraordinarium semper imperium populare, atq; ventosum est, minimè vestræ gravitatis, minimè hujus ordinis:* inquit orator consularis. (Philip. XI)

3. Ad suum qvoqve commodum tendente, publici cura negligitur. Tria hæc Demosthenes facundâ brevitate unum in fasciculum colligit; Ὡς ὁ μὲν δῆμός ἐστιν ὄχλος ἀσταθμητότατον πρᾶγμα τῶν ἁπάντων, καὶ ἀσυνετώτατον. ὥσπερ ἐν θαλάττῃ πνεῦμα ἀκατάστατον. ὡς ἂν τύχοι κινούμενον· ὁ μὲν ἦλθεν, ὁ δ' ἀπῆλθε. μέλει δ' οὐδενὶ τῶν κοινῶν, ἀλλ' οὐδὲ μέμνηται. *Populus est turba omnium rerum inconstantissima, & insipientissima. ut in mari ventus instabilis, temerè se movens. alius venit, alius abiit. Nulli autem publica cura sunt, sed neqve recordatione.* (De perperam obitâ legatione.) 4. Secretorum non est tenax populus: multa vel casu, vel datâ operâ emanant. Qvâ de re Demosthenes, consilia benè cogitata Philippo prodi condolens, multis in locis conqueritur. Plura popularis imperii incommoda alibi congessimus. Paucis igitur sapientioribus, publicæ libertatis amantibus, & rationem functionis populo reddituris, etiam in acri populo libertate, de gravioribus rebus consilia committi svaserim. Tales enim ad arduarum rerum deliberationem adhibendi, qvi celeri mentis agitatione, & multo rerum usu, præterita teneant, præsentia complectantur, & qvantum homini mortali datum, futura provideant.

Rerum monarchæ. In regno penes qvem est majestatis amplitudo, penes

es eundem est jus pacis & belli, Jani claudendi
eriendi. Pro remissiori tamen aut ardentiori
erandi vi, jus id laxatur aut restringitur. Ut à
nâ, exemplorum in utramqve partem fœcun-
on abeam: Primus regum Romanorum, qvi
à se conditæ nomen dedit, *ex consilio patrum* Liv. L.4.
ulus legatos circa vicinas gentes misit. Misit, non
nubia tantum petitum, sed & bella indictum,
acem & fœdera ex eorum consilio pactum,
erbo, ut extremum tyrannidis, impingitur,
l bellum, pacem, fœdera, societates per se ipse, cum eodem volumine.
is voluit, injussu populi ac senatus fecit diremitq;.
usto, Tiberio, Claudio, Nerone, nec non Ve-
ano ac Tito, imperantibus, acriori sub impe-
mbra veteris reip. ac nomen remansit. Cajus
& Domitianus, domini rerum ut erant, ita
llari gaudebant. Ergo sub iis omne jus belli
cis, consulto interdum qvasi per larvam se-
, claudebatur. Nerva & Trajanus, qvi tan-
n cœlo delapsi fovebantur, aliqvid de sum-
ure remiserunt. Qvod paulatim Adrianus,
ictiùs paulò imperans, attraxit. *Reges Bactria-* Spartianus.
n legatos ad EVM, amicitiæ petendæ causâ, suppli-
iserunt. nec ille ad senatum remisit. Seqven-
i imperatorum, ut qvisqve mitioris fuit aut
bioris ingenii, ita senatum de bello & pace
suluit, aut flocci fecit. Donec Constantinus,
Imperii Byzantium translatâ, absolutum sibi
osteris imperium firmavit. Ergo ex eo tem-
, ut omnibus in rebus, ita & belli negotiis,
a fine re senatorum, umbrata consulum, do-
hæc ipsa abolerentur, nomina Imperii appel-
one per Carólum Pipini filium ad Françós, ab

his ad Svevos & Saxonas, traducto, patrium qvidem in ſuos, ſed non aſtrictum pacis ac belli imperium gerebatur. qvod pedetentim laxatis incedere habenis cœpit: usqve dum per Bohemiæ reges enervatum, propemodum in bullas, aureæ Bullæ autore, evanuit. Maximilianus, pius aliàs & rebus gerendis idoneus imperator, ferro hoſtium inſidias, non patrum decretis, diſſecuit. Cujus nepos & ab nepotes, Capitolationum interventu ad mediocritatem reducti, qvod jus armorum habeant, à Juris publici ſcriptoribus, & à nobis in *Principe abſoluto*, oſtenſum eſt. Suis igitur magis qvam omnibus temporibus accommodatè ſcri-
c. 23. q. 1. pſit Auguſtinus: *ſuſcipiendi belli autoritas atq; conſilium apud principes ſit.* Qvod & nos fatemur: ſed non ubiqve locorum ac temporum cum Senatorum regni ſecluſione.

CAPUT VIII.
DE FOEDERIBVS.

Cauſa belli adminiſtra eſt vel animata, vel inanima.

Animata eſt vel intellectu, vel ſenſu tantùm prædita.

Qvæ intellectu pollet, eſt vel humana & naturalis, vel ſupra naturam.

Iſta eſt vel ſublimior homine,

,vel ſtatu ob inflictam pœ-
m depreſſior.

ſublimior eſt vel ſupra ca-
ım humanum, ut Deus o-
ıem intelligentiam exce-
ıs; vel captum non omninò
ıiens, ut ſpiritus beati.

um precibus in partes, imò directionem & ꝓremum ductum, belli vocare; hos ut ſan-ım à Deo datos miniſtros gratè accipere; ıonum verò omne conſortium, & incanta-s magicas, procul fugare convenit. De ina-s & ſenſu præditis, ut ſunt arma & machina-s, vetitæ aut licitæ, jumenta uſitatæ ſpeciei ſolitæ; alterâ hujus tractatus parte, quæ eſt llo GERENDO, uber dicendi locus da- Cauſæ non naturales.

Iumana eſt externa & ſo-
,vel civilis & domeſtica.

vicivium, aut ſervorum domi natorum, mi-ıdſcribantur, aut ab eâ excludantur; infrà, ıre militiæ, dicetur.

ocia eſt vel liberior, & ęqvo
dere junctorum; vel addi-
ɔr, & imperata auxilia fe-
tium.

Libera fœderatio est vel HONORIS, & amicitiæ colendæ; vel OPERIS, & auxilii mutuò ferendi.

Prior illa in hac belli commentatione propriè locum non habet: non est tamen omninò nobis negligenda. Ea vel est æqvalium potentiâ, vel inæqvalium.

Carthago. Æqvalium: qvalis fuit Carthaginiensium & Romanorum, ante conflatum inter eos in Siciliâ bellum. Inæqvales vel ab initio fœderis tales fuere; vel ex enormi alterius civitatis incremento. Priori in censu Athenas & Spartam; posteriori Massiliam loco. Nam illæ in fœdus post subactam Italiam, & Pœnos debellatos venere; hæc tenuibus opum Romanarum initiis, plus

Massilia. contulit opis & adjumenti, qvam tulit. Mansit tamen, etiam in summâ potentiæ Romanæ amplitudine, veteris amicitiæ memoria.

Strabo libro IV. τὴν αὐτονομίαν ἐφύλαξαν, ἣν ἐξ ἀρχῆς εἶχεν ἡ πόλις, ὥστε μὴ ὑπακούειν τῶν εἰς τὴν ὑπαρχίαν πεμπομένων στρατηγῶν. i. e. *Libertatem, qvam ab initio civitas habuit, conservaverunt ita ut proconsulibus in provinciam missis dicto audientes nō essent.*

Athenæ. libro IX. De Athenis Geographus: Τόνγε ἐλοχερῆ τύπον τῆς πολιτείας τὸν αὐτὸν διετήρουν. *Formam reipublicæ eandem, nihil imminutâ libertate, conservaverunt.* Et mox: ἐφύλαξαν τὴν αὐτονομίαν αὐτοῖς καὶ τὴν ἐλευθερίαν. *Ut sui juris essent & liberi, operam* (Romani) *dabant.* Καὶ μέχρι νῦν ἐν ἐλευθερίᾳ τέ ἐστι καὶ τιμῇ παρὰ τοῖς Ῥωμαίοις. *In hunc diem in libertate, & apud* Romanos *honore, persistit.*

Sparta Libro VIII. De Spartanis idem: Ἔμειναν ἐλεύθεροι, πλὴν τῶν φιλικῶν λειτουργιῶν ἄλλο συντελοῦντες οὐδέν.

Liberi

i permanserunt, præter amicas operas nihil præs. Famæ id Græcanicarum civitatum, & ane virtutis memoriæ, Romani dederunt. Sunt æ fœderatarum civitatum, dignitate & æsti one apud Romanos minores, nec omni penliberæ. Qvo spectant nomina congregatioex jure ducta: Coloniæ, municipia, præfec, fœderata oppida, fora, & conciliabula. De iis alibi actum: qvi pactione qvadã, vel aupetitione, in fœdus Romanorum venerunt, l navis vel alia res præbenda imperabatur. avi locus in Verrinâ Ciceronis oratione. *amertinis in ipso fœdere sanctum atq; perscriptum i navim dari necesse sit.* Mamertini autem illi in is Romanorum recepti, ab imploratione ii fuerant.

Fœderata oppida.

Fœderati Justiniani ævo dicti qui fuerint, vide apud Procopium libro primo Hist. Vand. & apud Jornandem cap. 28.

Qvod in opere consistit fœs, vel est togatæ operæ, vel ꝗvod præcipuè hic spectatur) licæ.

Togata opera vel in pari netio, vel in dispari versatur.

ispari negotii exemplum est Salomonis cum Tyriorum fœdus: hoc sylvas cedrinas & cæi peritos ministros, illo frumentum menm præbente. Paris negotii fœdus, in sociecommercii, inter Josaphatum & Samariæ re, ac longinqvæ navigationis.

Bellicæ conjunctionis pactio vel ſine exceptione fit, vel ad certum genus auxilii reſtricta eſt.

Ut nimirum aut omni genere belli; aut tantum defendendo, è fœdere ſuccurramus: Illud

Symmachia. συμμαχίαν freqventatiſſimo vocabulo, iſtud ἐπιμα-

Libro primo. χίαν vocant. Superius Thucydides explicat, ὥστε τοὺς αὐτοὺς ἐχθροὺς καὶ φίλους νομίζειν: *ut eoſdem hoſtes & amicos haberent.*

Epimachia. Ἐπιμαχίαν, fœdus defenſionis interpretatur, τῇ ἀλλήλων βοηθεῖν, ἐάν τις ἐπὶ Κέρκυραν ἴῃ, ἢ Ἀθήνας, ἢ τοὺς τούτων ξυμμάχους. *ut ſibi mutuam opem ferrent, ſi quis Corcyram, aut Athenas, aut eorum ſocios invaderet.* Recentiora exempla: συμμαχίας inter Gallum & Sveonas ἐπιμαχίας inter eundem Gallum & Belgarum unitarum proceres. Qvâqvam nonnihil in exemplis eſt diſſimilitudinis: non tantum ob eminentiam Gallorum regis; ſed qvod regi Rupellas obſidenti operam nauticam Belgæ præſtantes, defenſionem exceſſerunt.

Fœdus non fœdus. Fit hæc auxilii latio interdum ſine pactione fœderis: quemadmodum Rhodii *ita per tot annos in amicitia fuerant, ut ſociali fœdere ſe cum Romanis non illigarent.*

Liv. l. 45. Qvod prudenter ab Inſulanis factum: ut auxilium latum, promtitudinis ac beneficii, non legis & neceſſitatis, videretur: & ne ſtrictiori nexu potentioribus, & bellandi ſemper cupidis, illigati, perpetuo bellorum curſu implicarentur. Qvod caput cautionis eſt: ne proſerpente potentiæ Romanorum auctu, jugum ipſi ſibi auxiliatrice ſocietate fabricarentur.

Qvæ verò est humanæ fidei inconstantia, fla- Fœderum
sæpè & fluidum est mutuæ auxiliationis pa- vinculum.
n, nisi utrinqve urgente necessitate, aut blan-
te commodo, constringatur. Τὸ δὲ ἀντίπαλον Thuc. l. 3.
, μόνον πιστὸν ἐς ξυμμαχίαν; *Sola metus paritas fi-
societatis bellicæ continet.* uti animi sensa effuti-
itylenæi non erubescunt. Non igitur de ni-
est, qvod Corcyrensium legati Athenienses
t, auxilium petentes apertum facere debere,
ξύμφορα δέοντα, εἰ δὲ μὴ, ὅτι γε οὐκ ἐπιζήμια, Libro primo.
δὲ, ὡς καὶ τὴν χάριν βέβαιον ἕξειν. *utilia esse qvæ
t, aut saltem non damnosa. præterea gratiam fir-
futuram.* Argivi societatem armorum cum
nienisibus jungentes, per omnes deos & dea-
tactâ arâ juraverant: ἐμμένω τῇ ξυμμαχίᾳ κατὰ libro 5.
γεγραμμένα, δικαίως καὶ ἀβλαβῶς καὶ ἀδόλως, καὶ οὐ πα-
σομαι τέχνῃ οὐδὲ μηχανῇ οὐδεμιᾷ. *Societati armorum,
fœdus, justè, sine fraude & dolo, inhæreo: neq;
rte vel machinâ prævaricabor.* Qvi tamen levi
is à Lacedæmoniis vento sibilante, relictis
cultrum & Scamnum Atheniensibus, à pa-
e discedunt. Cujusmodi pactiones hoc ævo
ina, oceanum ad Boream influentes, & ipsi
m oceani æstus marini, non semel abstule-

Ποῖ δὴ συνθεσίαι τε καὶ ὅρκια βήσεται ἡμῖν;
Fœdera qvo nobis jurataq; pacta recedent?
us, qvam tempore Trojano, Homericus A- Iliad. β.
mno exclamaret.

Addictior populorum aut
um conventio fit vel cum

libertatis imminutione, vel libertate integrâ.

Illa est Deditionis, hæc Clientelæ, aut fœderis inæqvalis.

Deditio est vel bello subactorũ, vel spõte accedentium.

Qvi bello superantur, vel omnem libertatem amittunt, vel jure sociali imperata faciunt.

Hinc orta apud Romanos juris Latialis, Italici, & provinciarum divisio. Latini, ut consangvinei & genere propinqvi, mitiùs præ cæteris nationibus habebantur. Præter enim auxiliorum ad bella ingruentia missionem, nihil ferè oneris subibant. Alterum autem tantum legionum, qvantum Romani, ex fœdere conferebant. Cæteræ Italici generis civitates, præter auxilia imperata, & tributa pendebant. Provinciales verò & ad delectum respondebant, & gravi tributorum ac vectigalium onere premebantur, & servitutem acriori sensu fatebantur. Nam & legum domesticarum ademtio, & prætoris qvi eos regeret jurisdictio, libertatis nec umbram relinqvebat.

Latini. Itali. Provinciæ.

Campani. Deterioris conditionis Campani, ob receptum post cladem Romanorum Cannensem Hannibalem, fuerunt. Nam provincialibus ordo qvidam

dam civium, & senatus, & sui post gubernatorem Romanum magistratus manebant. *Capua qvidem sepulcrum ac monumentum Campani populi*, ob deletam compositæ civitatis faciem, à Livio vocatur. *Urbs trunca, sine senatu, sine plebe, sine magistratibus:* ut pagus, misso qvotannis Româ rectore, jussa faciebat. *Livius, libro 31.*

Separatæ ab his omnibus naturæ, qvoad imperium, socii reges ac populi, nec non Fratres in Galliâ Ædui, fuere. Strictioris amicitiæ socii, Masinissa & cum eo Numidia, Eumenes rex cum Bithyniâ & propriè dictâ Asiâ, Rhodii & in Peloponneso Achivi, fuerunt. Hi nec bello victi in societatem, ut Latini, venere; & suppetiis adversus hostes ultrò ferendis Romano populo spectati; tamen duriorem paulatim serviendi conditionem, jussis obedire condocefacti, admiserunt. *Ædui.* *Socii regum.*

Iniqvitate sociis imperandi Romanis Athenienses, à qvibus & legum tabulas mutuati sunt, præiverant. Insulares Græci, & qvidam in continenti, societate armorum cum Atheniensibus initâ, bellum contra Persas, ad Salaminem & ad Platæas victos, perseqvebantur. Naves in eum finem, viros, & præcipuè pecuniam alacres conferebant. Insula Apollinis natalibus à violatione exemta, congerendis pecuniis, & cœtibus accipiendis, seponebatur. Novi Athenis quæstores, ἑλληνοταμίαι dicti, colligendis sociorum pecuniis, & in usum Barbarici belli convertendis, consensu instituti. Vigebat aliqvandiu, Cimone maximè duce, bellum in Medos & Persas, eorumqve in Asiâ minori satrapas. Sed mox omisso Barbaro Athenienses, pecuniâqve publicâ privatum in *Atheniensium socii.*

usum conversâ, non tolerandâ servitute socios premebant. Leonum hæc est cum animalibus infirmioribus societas, nec altitudine gravis imperii digna, & civitatibus potentiâ minoribus solicitè cavenda.

Deditio oblata, seu sponte accedentium, plerunqve fit metu expressa.

Voluntas invita.

Metu nimirum hostis potentioris: aut jam incumbente calamitate. ideoqve aliqvid inviti admixtum habet. Nemo enim sua libens, nisi tempestate premente, aut hoste inseqvente, jactat: nec qvisqvam se libertate populus, nisi majoris formidine mali, exuit.

Deditionis firmior qvam societatis nexus.

Si non interiori fidei persvasione, saltem constanti voluntate hominum, utilitatem arctiùs præ fide complectentium. Ita nimirum Romanis, antiquiorem Samnitum societatem longè valere jubentibus, *deditionis qvam societatis fides sanctior erat.*

Liv. l.6.

Deditio est vel plena, vel cum exceptione.

Plena est, qvâ corpora civium, agri, delubra, divina humanaqve omnia in ditionem alienam deduntur. Exemplum apud Livium est, in spontaneâ Campanorum deditione. *Vestra certè defendetis. itaq; populum Campanum, urbemq; Capuam, agros,*

Lib. 7.

agros, delubra deûm, divina humanaq; omnia, in vestram Patres conscripti, populiq; Romani, ditionem dedimus, qvicqvid deinde patiemur, dedititii vestri passuri.

Deditio cum exceptione certos imperio alieno cancellos præscribit. Cujus exempla multa, in nondum edito Historiæ Belgicæ opere, congessimus.

Clientela est potentioris tutelæ, salvo libertatis jure, amplexus.

Honoris enim amplitudine, non incremento dominii, patronus inclarescit. Lubrico tamen gradu à clientela ad subjectionem, nisi qvis caveat, delabitur. Borussi olim in clientelare Casimiri jus, Teutonici ordinis violentum imperium non ferentes, concesserant. Majestatem nunc regum, plusqvam tutelari jure, pleriqve agnoscunt. Raguzani inter Venetorum patrocinium, & magni Orientis domini imperium, dubiâ libertate vacillant. Lucani libertatem, placato muneribus vicino Hetruriæ principe, ægrè tutantur. Genevæ tutela susceptâ, præter honoris appellationem regi Galliarum nihil accedit. Acri tamen, nec id immeritò, excubatione portas, animos diffidentes obsepiunt. Exemplum fœderatorum Belgarum, & Elisabethæ Anglorum reginæ, viri docti huc referunt. Sed ea temporaria tantùm, sine perpetui juris accessione, fuit protectio. Protestantium Germaniæ Principum, cum Heinrico II. Galliarum rege, sociale magis fœdus, qvam clientelam dixerim. Est enim & inæqvali ut potentiæ,

Clientelæ labilis sedes.

ita dignitatis respectu, coeuntium belli societas.

Fœdus ergo armorum vel æqvum est, vel iniqvum.

Iniqvum hic non juris æqvitati, sed inæqvalitati potentiæ, vel amplitudinis in imperando, opponitur.

Æqvum est, qvo neutra pars alteri, ductu vel dignitate, cedit.

Cautiones. Qvod ut constare sine animorum dissensione possit, vel sejunctim hostem invadant oportet, vel in suâ quisq; ditione supremum ductum habeat. Thucyd. l. V. Ἡ δὲ πόλις ἡ μεταπεμψαμένη τὴν ἡγεμονίαν ἐχέτω, ὅταν ἐν τῇ αὐτῇ ὁ πόλεμος ᾖ. *Civitas qvæ auxilium accersiverit, si bello domi lacessatur, ductum habeat*: in Argivorum cum Atheniensibus fœdere habetur.

Iniqvum est, qvo viribus inferior majestatem potentioris amici comiter conservat.

Pro L. Cornelio Balbo. De fœdere Gaditano Cicero: *Adjunctum illud etiam est, qvod non est in omnibus fœderibus, Majestatem populi Rom. comiter conservent. Id habet hanc vim, ut sit ille in fœdere inferior.* Pergit: Majestatis conservatio. *Primum verbi genus hoc conservandi, quò magis in legibus, qvam in fœderibus uti solemus, imperantis est, non precantis. Deinde, cum alterius populi majestas conservari jubetur, de altero siletur: certè ille populus in superiori conditione*

ditione causâq; ponitur, cujus majestas fœderis sanctione defenditur. qvo luculentiorem interpretem non qværimus.

Sunt & alia pactionum belli & pacis genera; qvæ, qvia à naturâ causæ bellorum administræ longiùs recedunt, per saturam hic congerentur.

Pactionis genus est, qvo id agitur, ne alter alterum, posteri posteros, transitis per vim limitibus ullâ injuriâ lacessant. Cujusmodi pactio fuit, qvæ inter Isaacum & Abimelechum regem, inter Jacobum & Labanum, intercessit. Inter pactiones & hæc commemoratur, ne ullum pro transitu aut statione vectigal exigatur; aut ne consvetum excedatur. cujusmodi fœdera inter Danum & Batavos, recentiori memoriâ inter Svecos & Danum, sed armis extorta, sancita. Sunt & conventiones aliæ, qvæ ab Hugone Grotio inter æqvalia fœdera recensentur: Ut, *ne in confinio alterius alter arces habeat, ne subditos alterius alter defendat, ne iter alterius hosti præbeat.* Et qvæ pro singulorum arbitrio alia (non enim sunt definiti numeri) excogitari poterunt. Inprimis fœderibus impropriè dictis induciæ & pacificatio accensentur: de qvibus suo loco rectiùs agetur. Nos fœderis naturâ explicatâ, unum & alterum dubii scrupulum eximere, per qvæstiones propositas, conabimur.

Impropriè dicta fœdera.

Gen. 26. & 31.

Libro 2. cap. 15.

QVÆSTIO I.

Utrum fœdera cum Barbaris, & Christiano nomini infensis, inire liceat?

Fœderis nomine armorum conjunctionem, & eam qvidem non ultimâ necessitate expressam, qvalis fuit Francisci Galliarum regis cum Soleimanno Turca, obliticulas cum domo Austriacâ de possessione partium Italiæ, hic capio. Eam non
Negatur. sine causâ Christianos, & cultiores omnes nationes, exhorruisse censeo. Nam si ne bruta qvidem animalcula, canes puta vel oves, lupo se adversus gregales adjungunt; si viso lupo vel audito in concordiam redeunt: HOMO præteriti & futuri sentiens, solertiæ minoris erit? Maximè cum ea consociatio cum impiis, cum Christianorum sacrorum irrisoribus, in ignominiam & sancti nominis vituperium cedat. Ergo monentem Paulum audiamus: Μὴ γίνεσθε ἑτεροζυγοῦντες ἀπίστοις. *Ne* (2. Cor. 6. v. 14.)
jugum ducite cum alienis à fide. Qvanqvam enim de armis disertè ibi non agitur; à genere ad speciem, & speciem qvidem principaliorem, rectè procedit argumentatio. Frivolum verò est, qvod nonnemo hic excipit, hoc Pauli monitum ad eos tantum spectare, qvi in idoliis convivabantur. Oculos citiùs lectori erueris, qvam id non insipienti persvaseris. Qvid verò ad Psalmorum, qvid ad Salomonis, de vitando impiorum consortio, præcepta, vir Magne, exceperis? esse *prudentiæ monita, non legis præcepta? & illa ipsa monita, ut moralia pleraq;, plurimas habere exceptiones?* Absit ut ita cum divinis oraculis, ac si decreta alicujus Epicuri vel Metrodori essent, agamus. Tot igitur Prophetarum contra Israëlitarum cum Syris, contra Judæorum cum Ægyptiis, & aliis impiis, fœdera vociferationes & minæ, in ventum aut in pulverem scribebantur? Nec infelicia saltem regum qvorundam,

rundam, cum alienis à verò Deo, fœdera,& in secutæ prophetarum exprobrationes, aliter, sentientes convincent? Si nihil nos divina elogia, si nihil priscarum rerum exitus commovebunt: saltem oculis in vicina conjectis, veritati cedamus. Claustris recessus Caspii educta latronum colluvies, Persarum primò, deinde Græcorum regum, per fœdera ad eam potentiam excrevit, qva superiorem, qvid? superiorem? cui parem vel secundam sol non aspicit. Sangvinem omnium & opes, maximè Christianorum, *Musulmanni* non verè nominati sitiunt, Anglos, Belgas, Hispanos (& qvos non?) mari; Germanos, Dalmatas, Polonos, Hungaros terrâ lacessunt. Et nos de fœdere cum Turcis, de fœdere contra Christianos licitè neundo, disputamus. Qvod si omnem honesti respectum abjecerimus, prudentia saltem seculi, proprii commodi vel damni respectus, nos abduceret. Cyprum Veneti amissam dolentes, tertium jam lustrum dubio eventu de Cretæ possessione certant. Hunc illi fructum fœderis, cum Turcis dudum initi, reportant. *i. e. orthodoxi.*

Qvi contra sensum fermè omnium offendiculum hic infirmis ponunt, à sacris depulsi ad sacra confugientes, cum pondere certare neqveant, mole & numero decertant. Abrahamum, Sodomitas bello adjuvantem, adducunt. Asmonæos, cum Lacedæmoniis & Romanis fœdus pangentes, & pro eorum salute sacra publicè facientes, producunt. Davidem & Salomonem ob fœdus, cum Hiromo initum, partim non reprehensos, partim laudatos asserunt. Salomonis cum Ægypto rege affinitatem pro se interpretantur. Plus *Objectionum expositio.*

etiam præsidii in lege Evangelii qværentes, *jubemur nullum hominum genus à beneficiis nostris excludere*, inqviunt. Tertullianum pro se testem laudant. Ulteriùs progressi, à convictu familiari cum hominibus alienæ religionis argumentantur. E qvibus omnibus ita concludunt: *Sicut autem benefacere profanis malum non est, ita nec opem eorum implorare, sicut Cæsaris & Tribuni auxilium Paulus invocavit.* Scrupulo tamen nonnullo puncti, fœderum ejusmodi pravitatem ex circumstantiâ æstimandam statuunt. Cavendum præterea, ne nimia commixtio contagium adferat infirmis, & ut sedes distinctas, ut in Ægypto Israelitæ, habeant admonent. Paulatim castris nostris adrepentes, abstinendum extra summam necessitatem ejusmodi fœderibus, *si ex societate tali profana opes magnum sint habituræ incrementum*, industriosè svadent. Locum in eum, uti arbitrantur, sensum è Thucydide producunt.

φυγομαχία. Eqvidem Hugonem Grotium arbitror, cum talia post Gallos qvosdam scriptitaret, aut dormitione nictitasse, & mox excusso somno ad se reversum; aut regibus qvibus inservivit gratificatum, superante conscientiæ ardore abjectis armis, ad nos transfugam venisse. Pro nobis enim, Qværendum primò loco esse regnum cœleste, Evangelii propagationem, apertè commentatur. Optat, Fulconis Archiepiscopi liberam & piam vocem à multis observari; *Qvis non expavescat vos inimicorum Dei amicitiam velle, ac in cladem & ruinam nominis Christiani, pagana arma & fœdera suscipere detestanda. Nihil enim distat utrum qvis se paganis societ, an abnegato Deo idola colat.* Immò plus qvam

nos

nos postulamus largitus, Christianos omnes ad arma Turcis inferenda, & mutuo auxilia ferenda, adhortatur. Ad se tamen in Annotatis reversus, vel potius ad τὸ ἴδιον ἐξέραμα, & post lotionem ad κύλισμα βορβόρου, novis exemplis, Abrahami cum Escole & Anero, Davidis cum Achi & Naaso, Salomonis cum Ægyptiis, Asæ cum Benadado, negotium nobis facessit. Reges præterea Christianos, Constantinum, Justinianum, Theodosium, & alios in Græcia imperantes, adjectis Hispaniæ quibusdam regibus, & super omnes Rodolpho Habspurgensi, accumulat. Cur non his & Carolum Simplicem, ab Archiepiscopo liberè objurgatum, & alios recentiores, quorum de causâ quæritur, si autoritate ac numero, non robore argumentorum causa ventilatur, adjungit? 2. Petr. 2, v. 22.

Invitus qvidem ulcera tanti viri attingo: sed qvia nisi attrectata sanari non poterunt: dabunt mihi hanc lectores benigni veniam, si argumenta veritati obstrepentia verecundè explorem. Objectionum refutatio.

1\. Nec fœdus unqvam Abrahamus cum Sodomitis pepigit, nec Sodomitarum causâ Sodomitas adjuvit. Lothum patruelem suum, unà cum Sodomitis abreptum, liberare voluit. Adeò verò sibi nihil rei cum impio Sodomæ rege esse voluit, ut ne oblatis qvidem spoliis manum polluere dignaretur.

2\. Nec Romanorum cum Judæis fœderis Romana historia, nec Spartanorum fœderis cum Judæis Græcanica, usqvam mentionem facit. Liber Maccabæorum apocryphus, & Romanâ in historiâ & Græcâ peregrinus, sæpiculè in multis hallucinatur. 1. Τὰς ἀνδραγαθίας ἃς ποιῶσιν ἐν τοῖς χαλκώμασι. Maccab. 8.

res ab iis præclarè in Galliâ gestas. Præclarè sanè: si Cæsaris in Galliâ res gestas, centum annos Maccabæo posteriores, autor respexerit. Bellum enim Allobrogicum, qvod & ipsum Hircano apud Judæos regnante cœpit, tantum verborum strepitum non meretur. Gallos verò Romanis Cisalpinos, & ignobile illud obscuritate gloriæ bellum, autor non nominasset; cum obvia calamo scribentis bella cum Pœnis eâ tempestate gesta essent. 2. *Χώραν τὴν ἰνδικὴν, καὶ μηδίαν: Indiam & Mediam* nec possedit Antiochus, nec Romani ab eo concessâ pace petierunt. 3. *μετὰ δὲ τῶν φίλων αὐτῶν, καὶ τῶν ἐπαναπαυομένων αὐτοῖς, συνετήρησαν αὐτοῖς φιλίαν. cum amicis, & ipsis acqviescentibus, amicitiam sine fraude coluerunt.* Hoc qvam verum sit, Judæi ipsi, si unqvam socii & amici Romanorum fuerunt, suo cum damno & dedecore didicerunt. 4. *καὶ οὐ περιεβάλλοντο πορφύραν: purpuram non induerunt.* cur igitur Juba Mauritaniæ rex Scipioni, qvi post victum Pompejum Africam obtinuit, ibiqve reliqvias Pompejanorum collegit, purpuram coram se indutam exprobravit. 5. *καὶ πιστεύουσιν ἑνὶ ἀνθρώπῳ ἄρχειν αὐτῶν κατ' ἐνιαυτὸν, καὶ κυριεύειν πάσης τῆς γῆς αὐτῶν, καὶ πάντες ἀκούουσι τοῦ ἑνός. uni qvotannis homini imperium in se, & omnis ditionis dominium permittunt, & omnes uni obediunt.* Qvid potest dici, si tempora Maccabæi respicias, imò si qvævis tempora, Romanæ historiæ ignorantius? 6. *καὶ οὐκ ἔστι φθόνος οὐδὲ ζῆλος ἐν αὐτοῖς: nec invidia apud eos, nec æmulationi locus est.*

> Καί τοι δάκνων γ' ἐμαυτὸν, ἀλλ' ὅμως γελῶ:
> Remorsa labra non tamen risum tenent.

Turbarum ex æmulatione ortarum perpetuum Roma-

Romana civitas theatrum. 7. *Παρὰ Δαρείου τοῦ βασι-* Macc. 12.
λεύοντος ἐν ὑμῖν. à Dario rege veſtro. Qvis unqvam Darium Spartanorum regem audivit?

8. *ὅτι εἰσὶν ἐκ γένους Ἀβραάμ. qvòd ſint proſapiæ Abra-hami.* etiam in Moſaicam hiſtoriam autor libri impingit. Spartani, & Græci omnes, à Japheto, Abrahamus à Semo fratre ejus ortum ducit. Ejuſmodi igitur argumentationibus, ſuſpectâ ab hiſtoriâ petitis, pugnans Grotius nervos omnes probationis elidit.

A beneficii autem, quod nullum hominum 3.
genus excludat, communicatione ad arctiorem fœderis,& qvidem bellicam,connexionem argumentatio claudicat. Multos operâ, conſilio, pecuniâ ſublevamus,qvibus cum nulla nobis intercedit ſocietatis pactio. Nec Tertullianus decorè in partes teſtimonii vocatur, qvi ne qvidem juſtæ ſub impiis militiæ, adeò non fœderibus belli cum iis favebat. Sin beneficentia omninò ad belli operam navatam extenditur: cum ea *ſalvâ gradus differentiâ* intelligatur; priùs nobis Chriſtiani contra Turcas, qvam contra Chriſtianos Turcæ, adjuvandi.

Debilior etiam ab eorum,qvi à religione alieni 4.
ſunt,convictu familiari,nemini nocente, nec nos in aliena negotia implicante,ratiocinandi modus.

Subdola verò hæc eſt illatio: *Sicut benefacere* 5.
profanis malum non eſt, ita nec opem eorum implorare: & probatio ſubleſtior: *ſicut Cæſaris & Tribuni auxilium Paulus invocavit.* Qvid? ergóne Paulus, miſer qvoad ſplendorem humanum homuncio, fœdus vel cum tribuno Lyſiâ, vel cum imperatore Romano, pepigit? aut imperatorem vel tribu-

num in Judæos, secundum carnem fratres, armavit? Rom. 9. v. 3. Mortem obire millies, qvam id ab animo suo impetrare, qvi & animam suam pro iis devovere, & æternæ spem salutis abjicere optaverat, Act. 21. v. 32. maluisset. Non invocanti Claudius Lysias Paulo, nec vim Judæis illaturus, adfuit. Et ab iniqvâ Act. 25 v. 10. 11. Festi sententiâ Paulus, ad juris cognitionem, non ad armatam manum, provocavit. Provocavit, non accusandi Judæos animo, ut ipse se convocatis Act. 28. v. 19. benignè Judæis explicat, οὐχ ὡς τοῦ ἔθνους μου ἔχων τι κατηγορῆσαι: sed absqve cujusqvam offensione de decreto iniqvo se subducturus. Nihil igitur in hac Pauli, nihil in aliis judiciariis actionibus, fœderibus cum impiis faciendis præsidii.

Exceptiones Grotianæ. Sed ne tantum ramos dolosæ impugnationis amputemus, sed hærentes etiam radicum fibras evellamus: exceptionibus Grotianis, orationis textui occultè ut mellitum venenum insitis, occurrere audeamus.

1. *Qvæ verò contra adferuntur*, inqvit, *causas habent peculiares*. Qvasnam? *Nam si qvos reges aut populos, extra eos qvi in lege expressi erant, exosos sibi & infortunio damnatos per prophetas Deus significasset, eorum tutelam suscipere, aut cum iis arma sociare, haud dubiè nefas erat.* Haud dubiè, fateor. num inde colligemus, nisi aversationem suam ab aliqvo Deus, expresso prophetarum nuncio, indicasset; arma cum eo piè sociari, aut interioris amicitiæ fœdus sanciri posse? Ezechias ob amicam, nuncii Babylonii acceptionem, & familiarem thesaurorum ostensionem, culpæ notam incurrit. Et nos à vulgari benevolentiæ indicio, notos & ignotos non semper discernente, sejunctiorem ab aliis hominibus

nibus conjunctionem induemus? Auxilii contra Ægyptium pro Babylonio, pro impio contra impium, lationem Josias violenta morte luit. Et nos Turcis auxilium feremus; Turcarum contra Christi vexillum gerentes auxilium implorabimus?

Nec ita distinctiunculis, & causis, vis increpa- 2.
tionum vel admonitionum, qvas ipse Grotius è libro Paralipomenorum adducit, eliditur. Qvasi verò aut Ezechias ante factum, aut Josias cum aliis, qvi pœnam subierunt, de infelici exitu admoniti fuissent. Apices hoc est literarum sectari, apertum verborum sensum torqvere. Sufficiunt nobis generalia, de vitandis à Deo recedentium consortiis, præcepta: nec novi ad omnes negotiorum casus prophetę exspectandi; nec contra scripta Mosis mortui ab inferis excitandi.

Pergit distinctionum intricatis nodis legen- 3.
tium animos involvere. *Hoc verò non venire ex naturâ fœderis, sed ex persona peculiari qvadam qvalitate*, ait. Ex hominum vitiosa qvalitate fœdera, non ex naturâ suâ, vitiari; ultrò largimur. PECULIAREM qvalitatem, (ad Gallicum *qualité*, & patrium ipsi *qualiteit* fortasse respexit) & qvasi προσωποληψίαν in Deo, non concoqvo. Hiromus aut à veri Dei cognitione, & absqve ceremoniis Mosaicis cultu, non alienus fuit: (qvod non obscuris indiciis colligimus) aut certè templi Hierosolymitani promovendi enixo studio excusatur. Qvid hic ad Ochoziæ impietatem? qvid ad Turcarum contra viva Christi templa furores? Nec explicatione constitutionum vel clementis, in re tam clara, indigemus. Habuisse autē Deum

ſuos extra Moſaicum ſeptum fideles, ne ipſe qvidem Grotius inficiabitur.

4. Illud non eo inficias, *pejorem fuiſſe cauſam eorum, qvi à Jacobo orti, Deum benè cognitum deſeruerant, qvam populorum extraneorum.* Ex eo tamen non juſtificatur cauſa aliorum: nec fœdus cum iis permittitur. Dantur gradus ut defectionum à Deo, ita odii & averſationis. Nec in cæcitate vel corporis vel animi natum ideò ſocietate dignum judicabo: ſi is qvi ſibi ipſi oculos eruerit, vel ſtuporem mentis libidine accerſiverit, à ſocietate removendus.

5. Illud non ferendum, etiam liqvidam Aſæ reprehenſionem, ad ſuperiores lecythos non referendam, interpretationis denigratione offuſcari. Cauſam objurgationis in ſolâ Dei diffidentiâ Grotius quærit: cum diffidentia Dei viam, non licitæ cum Syro conventioni, præiverit. Ad illuſtrationem verò illuſionis, à medicorum imploratione accerſitam, Horatianum illud repono:

Nil agit exemplum, qvod litem lite reſolvit.

Multa non illicita vitiat animus: accedo tuæ, ſed non depravatæ, ſententiæ.

6. Cenſus, qvem obtorto collo invitum adducis, non modò licitus erat, ſed Dei mandato inſtitutus. Fœdus cum profanis hominibus non inſtitutum à Deo, ſed ſeveriſſimâ comminatione interdictum, ideoqve nec licitum. Fœdus nimirum bellicum, & armorum conjunctionis: de qvo ſerra propoſitæ qvæſtionis ducitur. Multa verò in cenſu Davidico, præter animi elationem, acceſſiſſe qvæ eum cenſum vitiarent, virum in ſacris non peregrinum fugere non decuit. De Ezechiæ theſau-

thesaurorum ostensione, ut nimiâ lætitiæ ob amicitiam regiã exultatione profecta, suprà egimus.

Ab Ægypti prohibitâ fiduciâ, & sæpe reprehensâ, Salomonis affinitatem inculpatam excipit. 7.
Qvid si dicam, graviùs in filio affinitatem hanc; qvàm in patre censum; punitam fuisse. Vivo Salomone rebellis Idumæus in Ægypto receptus; auxilio dimissus: mortuo arma Israëlitis illata; aurum qvod immensâ copiâ in templo condebatur oblatum: cum ad hoc tempus altissima pax; qvod ad Ægyptios, terram Cananitidem seposuerit. Qvi omnia Salomonis facta & cogitata defenderit; idem & uxorum ac pellicum multitudinem, insatiabilem auri congerendi sitim, eqvorum millena agmina, contra expressam Dei legem defendat. *Deut 17.*

8. Tandem, imbecillitate telorum diffisus, ad hoc latibulum confugit: *Hebræos sub statu legis veteris disertas habuisse promissiones victoriæ, si legem observarent, qvominùs recurrendum habebant ad humana auxilia.* Ergo pleniori fidei & gratiæ divinæ tempore, diffidere, qvod antea non licuit, licebit. apage humanam, in rebus divinis distorqvendis, audaciam.

9. Pœnè ob infirmitatem constringendi prætеrieram, in qvo maximam sibi spem firmitatis collocat. *Neq; ab eo qvod subeunda sponte non sunt profanorum imperia, nec conjugia cum eis contrahenda, rectè procedet argumentatio.* rationes novæ assertionis audiamus. *Nam in utroq; hoc casu apparet majus periculum; aut certè plus difficultatis injici veræ religionis usui. adde qvod magis perpetua sunt ista vincula: & in matrimonio liberior electio: cum fœdera ex temporum*

& locorum occasione sumenda sint. R. 1. Dilucida fœderum ejusmodi interdicta, argumētis à comparatione petendis, propriâ vi nixa, non indigent. 2. Minùs Christiano orbi nocent, qvi se imbelles Turcarum defensioni subjiciunt, aut affinitate cum iis copulantur, qvam qvi armis feroces, fœdere sancito Barbaros in Christianorum perniciem illiciunt. 3. Nec serviendi perpetuitas, & matrimonii liberior electio, fœderum spontaneam crudelitatem emollit.

10. Telis Pharetrâ frustrà exhaustâ, ad fratris Ajacis umbonem Teucer noster, ad grande Juris consultorum asylum, circumstantiam, se recipit. Nullam esse in ejusmodi fœderibus pravitatem ait, sed ex circumstantiis æstimandam. Circumstantiam autem loci inprimis ponderat: *ne nimia commixtio contagium adferat infirmis.* Qvasi verò cum Babylone excedere jubemur, lateritiam olim dirutæ urbis fabricam, & non potiùs animorum complexionem, intelligamus. In Peloponnesi Isthmo degebant. Corinthii, cum illis verba prophetarum Paulus accommodaret: *Egredimini, &* (2. Cor. 6. v. 17.) *separamini ab iis, inqvit Dominus: & immundum non attingite.* Sed hæc de spirituali immundorum communicatione. Armorum cum Tartaris & Muhammedanis consociatio non à loci vicinitate, sed à culpato animo, aspersionem maculæ contrahit.

11. Necessitatem porrò excipit: qvasi ulla peccatum necessitas absolvat. Necessitatem verò eam nobis cudit, qvæ omni sæviendi armis cupiditati applicari poterat. Dictum pro se Thucydidis, vel potiùs apud Thucydidem Archidami, allegat.

His

His qui insidiis impetuntur, ut nos ab Atheniensibus, invidia fieri non debet, si salutem qværunt non Græcorum modò, sed & barbarorum auxilius. Incrementi Atheniensium & principatus Græciæ, invidentia tibias, qvibus pro classico Spartani utebantur, iis inflabat. Illi necessitatem prætextui, & salutem defendendam captabant. Et tamen non Persas in Græciam, non Hyrcanos & Medos, sed ad ornandam classem pecuniam Persicam adducebant. Thuc. l. 1.

Gratum nobis facit, qvod sententiæ suæ vel pœnitens vel moderator, SUMMAM saltem necessitatem excipit. Sed non qvid verba sonent, sed qvo scribentis animus feratur, intuendum. *Etiam C. Gracchus, cum largitiones maximas fecisset, & effudisset ærarium, verbis tamen defendebat ærarium.* In animi & sententiæ candore honestas, non in verborum latebris qværenda. Cic. Tusc. qu. l. 3.

Qvæ enim summa necessitas Constantinum, qvæ Justinianum, quæ alios, qvos pro exemplis adducit, ad barbarorum fœdus adegit. Laudarem verò Constantini propositum, nisi enervatâ Romanorum militiâ, à fœderatis Gothis & Vandalis Romanum in occidente imperium concidisset. Plenis buccis Justiniani prudentiam decantarem, nisi per fœdus Langobardis iter in Italiam struxisset. Nec liberis Theodosius, & multò minùs Romæ, eâdem ratione consuluit. Maurorum fœdere Alfonsus & Ramirus gaudeant: dum majori zeli laude eorum reliqvias Hispaniâ Philippus ejecerit. Rodolphi Germanorum imperatoris cum Tataris conjunctionem, figmentum esse aut credo, aut cupio. nec Julius II. Pontifex, in bello Turcisusus, calculo meo absolvitur. Obj. 6. refutatio. Theodosio fatis concedente; Barbarorum lues qvam maximè se effudit.

Obj. 7. Abrahamus verò, Escole & sociis in expeditione usus, nec qvicqvam aliter sententientes juvabit, nec nos sententiâ dejiciet. Nam nec in piorum terrorem educebantur, nec à vero Deo alienos fuisse constabit. Terræ verò Cananæorum inhabitatio, ut non Melchisedecum, non ipsum Abrahamum, ita nec eos vitiat. Si circumcisio homines & præputium, non fides per charitatem efficax, coram Deo distinguit; ne Abrahamus qvidem in eâ actione circumcisus erat.

Davidis cum fidis sociis amicitia pari falce demetitur.

QVÆSTIO II.

Si improbetur à rege aut civitate sponsio, in qvid teneantur sponsores; ad id qvod interest, an ad restituendam rem in eum statum in qvo erat ante sponsionem, an ad corpus dedendum.

Verbis Hugonis Grotii qvæstionem proposui: qvi eleganter & acutè ita rem controversam distinguit. *Prima sententia videtur juri civili Romano congruere: secunda aeqvitati, qvam in Caudina controversiâ tribuni plebis L. Livius & Q. Melius urgebant: tertia usu probata est.* Usu nimirum militiæ Romanæ. Titus enim Veturius consul cum collegâ Spurio Postumio, cum in Caudinas insidias incidissent, missis sub jugum legionibus, pacem sponsio-

usus.

ſponſione cum Samnitibus fecerunt. Pace, ut ignominioſa, à ſenatu ipſius Poſtumii ſvaſu improbatâ, dediti Samnitibus nec recepti pacis autores. Iterum Qv. Æmilius & T. Numicius tribuni plebis, pace à ſenatu cum Samnitibus repudiatâ, ut pacis autores hoſti dediti ſunt. Numantino deniqve bello C. Mancinus, qvi ſuâ autoritate fœdus pacis cum Numantinis inierat, rogatione qvam ipſe ſvaſit traditus eſt,

Qvod ſuam incolumitatem patriæ autoritati poſthabuerunt, non vitupero: qvod ſuam ipſi fidem reſciderunt, populoq; Romano reſcindendi ſvaſores fuerunt, laudare non poſſum. Juris enim civilis interpretationem facto ſenatus, & multò magis æqvitatem, præfero. *Samniti populo omnes, qvos in poteſtate habuit, aut pro iis pax debetur*; rectè à Samnitibus reſponſum eſt. Si injuſſu populi nihil ſançiri poteſt, qvod populum teneat: reſtituat legiones in Caudinos anfractus, & tum pacem an bellum velit deliberet. Qvanqvam & Samnitibus, partim moderationis partim prudentiæ omiſſione, peccatum eſt. Non enim, ſi pacem expetebant, furcarum ignominiâ iram populi Romani accendere debuerant. Et miſſis Romam legatis, retinere in clauſtris montium exercitum Romanorum, dum pax à populo firmaretur, conſilii fuerat. Cæterùm fœdere, non tantum ſponſione, pacem Caudinam ictam eſſe (qvæ fuit Poſtumii illuſio) locupletem teſtem virum conſularem habeo. *In eo fœdere*, inqvit, *qvod factum eſt qvondam cum Samnitibus, qvidam adoleſcens nobilis*

Vituperatus.

Liv. l 9.

Cavillatio excuſſa.

Cic. de Invent. l. 2.

porcum sustinuit jussu imperatoris. Fœdere autem ab se senatu improbato, & imperatore Samnitibus dedito, qvidam in senatu eum qvoq; dicit, qvi porcam tenuerat, dedi oportere. Ecce hic fœdus, & fœderi ritus adhibitos. Cæsâ enim porcâ, & similibus gestibus, fœdera confirmabantur. Violatum igitur jus belli à populo Romano est: nec contra sententem Grotium habeo, siqvidem rectè statuit, sententiam istam æqvitati convenire.

Qvæstiunculæ incidentes.

Qvæstio, *An sponsio obliget summam potestatem ex notitiâ & silentio*, & facilis decisu est, & à Grotio soluta, distinctione, an purè facta sit sponsio, an sub conditione si rata haberetur à summâ potestate: &, an præter silentium res aliqua accesserit.

Ad qvæstionem, qvæ non est propriè hujus loci, *Si plures bellum gerant, utri potiùs opem ferre debeat qvi utriq; est fœderatus*, rectè primùm respondet, ad injusta bella nullam esse obligationem. Deindè non insulsè decernit, aut utriq; auxilia mittenda, aut præferendum eum cum qvo antiqvius est fœdus. nisi fœdus posterius ultra promissionem aliqvid habet: puta subjectionis. &c. qvod tamen cum grano, qvod ajunt, salis accipiendum puto.

CAPUT IX.

DE CAUSA IMPELLENTE IN GENERE: ET EIUS DIVISIONES.

Causa ad bellum impellens est; qva qvis ad arma inferenda vel depellenda rapitur.

Sæpe

SÆpe latente homines causâ, arcano fatorum motu, belli tempestas ingruit. Qvin & apertâ, qvoad humanam dispositionem causâ, exortos bellorum tumultus ad divinam voluntatem sapientes, inprimis poëtæ, referunt. De Helenâ, belli funesti Trojanis face, Priamus: *Iliad. γ.*

Οὔ τι μοι αἰτίη ἐσσὶ θεοὶ νύ μοι αἴτιοί εἰσιν,
Οἵ μοι ἐφόρμησαν πόλεμον πολύδακρυν ἀχαιῶν.
Non tu causa mihi, belli mihi causa Superni:
Qvi mihi Græcani gemitum immisere tumultus.

De eâdem Virgilius, Æneam voce Dei à cæde Helenæ reprimens. *Æn. 2.*

Non tibi Tyndaridis facies invisa Lacenæ,
Culpatúsve Paris; verùm inclementia divûm,
Has evertit opes, sternitq; à culmine Trojam.

Idem in discessu à Trojano litore Ænææ: *Æn. 3.*

Postqvam res Asiæ, Priamiq; evertere gentem
IMMERITAM VISUM superis.

Audaciùs, & cum qvadam culpæ contagionis exprobratione, Lucanus: *Libro VII.*

Hoc placet ô superi, cum vobis vertere cuncta
Propositum, nostris erroribus addere crimen.

Nec mitiùs Argonauticæ scriptor expeditionis, Valerius Flaccus: *libro 1.*

Non mihi Thessalici pietas culpanda tyranni,
Suspective doli: Deus hæc deus omine dextro
Imperat: ipse suo voluit commercia mundo
Juppiter, & cunctos hominum miscere labores.

Causam divinæ, in excitandâ calamitate, voluntatis in merâ voluntate alii qværunt: ut Plautus in Captivis: *Prologo.*

Enimverò dî nos qvasi pilas homines habent.

In hominum laboriosâ exercitatione, ne situ &

operum bonorum negligentiâ obtorpeſcant, alii, Τοῖς μὴ θέλουσιν ἑαυτοῖς προστάττειν ἐκπονεῖν τ᾽ἀγαθὰ, ἄλλους αὐτοῖς ἐπιτακτῆρας δίδωσι. *Qvi ſibi bonarum rerum induſtriam non imperant, iis alios imperantes Deus imponit* per bella nimirum, occultis homini cauſis excitata. Alii alias in causâ cauſarum cauſas, temerè in cum induſtriæ laude, ſcrutantur. Nos in humanis motibus cauſas humanas, proprium hujus campi decurſum, rimabimur.

Xenoph. Cyrop. 2.

Cauſa belli impellens eſt vel Proegumena, interno motu ciens, vel Procatarctica, externo tractu rapiens.

Cauſa Proegumena in vitioſâ plerunqve hominis naturâ, non in rebus ipſis, non in jure qværenda.

PLERUMQVE inqvam vitioſâ: generoſum enim animi motum, decertandi [illegible]o violatâ juſtitiâ promtum, non culpo. Vitium illud vel in diritate animi, pugnis & cædibus delectat, vel in efferveſcente ulciſcendi libidine, vel in immoderatâ bellicæ gloriæ appetentiâ, ſimilibusq; animorum ſe non capientium monſtris, freqventiſſimè omnium in prædæ & lucrandi aviditate, conſiſtit. De his in univerſum, copiis & animo valentibus, Tullianum illud in Cæſarem jactari poterit: *Cauſam ſolùm illa cauſa non habet: cæteris rebus abundat.*

Motus ad bellum animorum.

ad Attic. l.7.ep.3.

dat. De animi bello ſe oblectantis feritate illud Neſtoreum capiendum. *Iliad. ι.*

Ἀφρήτωρ, ἀθέμιστος, ἀνέστιός ἐστιν ἐκεῖνος,
Ὃς πολέμου ἔραται ἐπιδημίου ὀκρυόεντος.

Urbe, domo sociâ, tribubus non dignus habendus,
Qvem fera bella truci ducunt dulcedine captum.

De iracundiâ leves injurias ultum prorumpente, Patroclus in Achillem; *Iliad. λ.*

Δεινὸς ἀνήρ· τάχα κεν καὶ ἀναίτιον αἰτιόῳτο.

Dirus homo: culpam cui non effugerit inſons.

De ambitioſâ gloriæ captatione, Alexandrum ſugillans, Juvenalis; *libro 5.*

Unus Pellæo juveni non ſufficit orbis:
Æſtuat infelix anguſto limite mundi.

De explendi aviditatem vagâ libidine multi multa. Qvod ſi antiqvâ victus continentiâ, & ruris blandientis parcâ amœnitate, vita humana conſtitiſſet: bellorum minus haberemus.

Sub te ruris amor, ſub te reverentia juſti
Floruit: ambiguos ſignavit terminus agros.
Blanda tibi vultus gravitas, & mite ſerenâ
Fronte ſupercilium, ſed pectus mitius ore;

de paſtoritiâ priſci ſeculi in campis vitâ, Aurelius *Eclog. 1.* Olympius in Bucolicis. Jam autem moribus degenerante conſvetudine depravatis, fruſtrà occinentem Claudianum audimus: *in Ruf. l. 1.*

Vivitur exiguo meliùs: natura beatis
Omnibus eſſe dedit, ſi qvis cognoverit uti.

Ne qvicqvam tuba Lucani aures non audituras *lib. 5.* circumſtrepit:

——— ——— ——— ô vitæ tuta facultas
Pauperis, anguſtiq; Lares! ô munera nondum
Intellecta Deûm!

Et vaga qvidem collectaneorum militum, pro se-
Avibus. culi hujus captu, colluvies Aristophanéo se dicte-
rio utcunq; defenderit:

Τί γὰρ πάθω; σκάπτειν γὰρ οὐκ ἐπίσταμαι.
Nam qvid geram? nam fodere terram nescio.

Pericles verò, Alcibiades, & similes patriæ suæ & gentium perturbatores, qvid tandem pro causâ suâ adferent? Ejusmodi hominibus rerum perturbatione tranqvillitas, in pace perturbatio.

Ὅταν μὲν ἡ λίμνη καταστῇ, λαμβάνουσιν οὐδέν.
Ἐὰν δ' ἄνω τε καὶ κάτω τὸν βόρβορον κυκῶσιν,
Αἱροῦσι.
Lacu qvieto, nil reportant piscium:
Sursum deorsum cum lutum commoverint,
Equitibus. ***Capiunt:*** inqvit Aristophanes.

Qvo pacto Græciæ turbator Pericles:

Ἤστραπτεν, ἐβρόντα, ξυνεκύκα τὴν Ἑλλάδα:
Acharn. ***Fulmen tonans eviscerabat Græciam.***

Nimirum qvia, suggestione Alcibiadis, rationem impensarum patriæ reddendam fugiens:

Πρὶν παθεῖν τι δεινόν, αὐτὸς ἐξέφλεξε τὴν πόλιν.
Ne qvid ægri ferret ipse, patriam incendit rogo.

idem Aristoph. in Pace.

Sed qvid Periclem, aliis in rebus virum gravem,
Plut. in Pyrrho. solum exagito? *Σύμφυτον νόσημα ταῖς δυναστείαις ἡ πλεονεξία* *Inhærens amplis imperiis morbus, plus habendi cupiditas.*

Sed non pari apud omnes neqvitiæ gradu improbitas se effundit. Sunt qvi ruptis verecundiæ claustris, fas omne & nefas intuendum abrumpunt. Rationi qvum vocant Status habenas ita laxant, ut nullam actionum omnium rationem, nisi utilitatis, agnoscant.

Qvid

Qvid cum illis agas, qvi neq; jus neq; bonum atq; æqvum sciunt?
Melius, pejus, prosit, obsit: nihil vident, nisi qvod lubet.

Uti Terentius Heautont. Act. 4. Sc. 1. Alii juris & æqvi respectum patriæ finibus circumscribunt: ut Lacedæmonii: Οἷς ἐν καλὸν ἁπλῶς καὶ δίκαιον ἐστι τὸ τῆς πατρίδος συμφέρον. *Qvibus, præter patriæ utilitatem, nihil honestum est & justum.* Alii paulò verecundiores, jus erga omnes homines colendum, non nisi magno violationis pretio abrumpunt. Πολὺ τιμητίον τὸ ἀδικεῖν, Crassus pecuniæ cupidissimus olim dixerat. Venationem qvandam, alieni invasionem, pleriq; magnatum arbitrantur. ἡ δὲ σὴ θήρα, πόλεις εἰσὶ καὶ βασιλεῖς καὶ ἤπειροι, *Venatio tua civitates sunt & reges & terræ continentes*, Cleopatra cum Antonio seriò jocata dixit. Civiliores tyranni glaucoma aliqvod injuriæ, ab usu & à metâ injuriarum, accersunt. Ut Jason ille Pherecides, τὰ μικρὰ δεῖν ἀδικεῖν ἔλεγεν, ἕνεκεν τοῦ τὰ μεγάλα δικαιοπραγεῖν: *parvis in rebus justitiam negligendam esse dixit, ut eam majoribus in rebus exerceas.* Ita Cyrus largiendi qvadam siti abrepius, justa in vicinos bella, ut arbitrabatur, gerebat. διψῶ χαρίζεσθαι, *gratificari sitio*, crebrum ejus dictum jactatur. Hi omnes à jure, non tamen perfrictâ fronte, recedentes: Plutarchus in Alcibiade. Xenoph. Cyrop. l. 2.

Ὀνόματι περιπέττουσι τὴν μοχθηρίαν.
Verbo malorum fœditatem collinunt. Aristoph. Plato.

Multò magis illi, qvi ob metum aliqvem, fictum aut incertæ rei, arma priores corripiunt. E qvâ larvati juris scaturigine, Athieniensibus Corcyrenses autores sunt, προτερῆσαι, *prævenire*: καὶ προεπιβουλεύειν αὐτοῖς μᾶλλον ἢ ἀντεπιβουλεύειν, *insidias promere qvam* Thucyd. lib. 1.

qvam repellere. Nec ullus justi belli titulus est, qvem non hic simulatio invenerit. πρόσχημα hoc Thucydides, alii προφάσις, prætextum, vocant. Qvanqvam προφάσις cum principiis, calami currentis licentiâ, nonnulli confundunt. De Brasidæ factione, bellum in pacis fœderibus gerente, noster:

Thucyd. libro V. Πρόσχημα δὲ ποιούμενοι, τοὺς ἐπὶ Θρᾴκης μὴ προδώσειν. *Socios Thraciæ accolas non deserendos, belli continuationi prætexunt.* Alii & joci lepores belli calamitatibus excusandis aspergunt. Ut Philippus rex Macedonum, Oritas cõtra fas omne bello aggressus, benevolentiâ seductum, milites in vicum seditione ægrotantibus misisse, jočulariter profatus est. esse autem sociorum, & verè amicorum, ejusmodi temporibus adesse. uti de eo Atheniensis orator.

Demosth. Philipp. 3.

Ut igitur re, non verborum lusu, jura belli consistant: omnes cupiditatum fibræ, trunco everso, elidendæ sunt. Aliàs in statu rationibus fundando eò devenietur, ut spretâ omni juris qvæstione, in sola temporum opportunitate, aut rerum agẽdarum necessitate, deliberandi ratio vertatur. Ex hac argumentorum sede Pericles, apud Athenienses in bellum utrinq; injustum ruentes, ita ratiocinatur: Ὡς τυραννίδα γὰρ ἤδη ἔχετε αὐτὴν (ἀρχὴν nimirùm) ἣν λαβεῖν μὲν, ἄδικον δοκεῖ εἶναι, ἀφεῖναι δὲ, ἐπικίνδυνον. *Violentum enim jam habetis imperium. cujus qvidem initium cum injustitiâ conjunctum videtur, dimissio verò plena periculi.* Ex paucis interjectis: Τὸ γὰρ ἄπραγμον οὐ σώζεται, μὴ μετὰ τοῦ δραστηρίου τεταγμένον. οὐδὲ ἐν ἀρχούσῃ πόλει ξυμφέρει, ἀλλ' ἐν ὑπηκόῳ, ἀσφαλῶς δουλεύειν. *Otium, negotii expers, conservari neqvit. nec imperatrici civitati, sed subjecta aliis, cum securitate servire expedit.* Splendida aulicorum, contra umbrati-

Thucyd. l. 2.

braticam scholæ justitiam, pro munimento iniqvitatis argumenta!

Non tamen aut opportunitas viro prudenti, aut patriæ utilitas; dum comitem habeat æqvitatem, negligenda. Ὅτ' εἰς αὐτὸ τὸ δίκαιον ἅμα καὶ ὁ καιρὸς καὶ τὸ συμφέρον συνδεδράμηκεν: inqvit oratorum supremus apex. Præclarum enim est magno belli duci, in aciem prodeuntem ita suos affari: *Demosth. fœd. Alex.*

> Τὸ γὰρ δίκαιον μετ' ἐμοῦ, καὶ τὸ δίκαιον
> Ξύμμαχον ἔσται.
> *Namq; Bonum comitem, justitiamq;*
> *Pignus habebo.*

Aristoph. Acharn.

Non enim tantùm ad puritatem conscientiæ, sed ad fiduciam boni eventus, causa belli valebit.

> —— *medio posuit Deus omnia campo.*
> *Causa jubet melior Superos sperare secundos.*

Præclarè, ut cætera, Lucanus. *libro VI.*

Est qvædam propè non iniqva, ex contemtu imbecillitate animi non superato orta, belli injusti illatio. Qvam tangit Claudianus poëta, barbarum, Romanas oras ruptâ qviete invadentem, ita affatus: *In Eutrop. l. 2.*

> *Te qvoq; jam Timeant, admirenturq; nocentem,*
> *em sprevere pium: spoliis prædâq; repletus,*
> *Cum libeat Romanus eris.*

Romani enim qvos pacatos ob barbariei nomen contemserant, ad arma & vastationem finium conversos, civitate donatos, ad consulatus & patriciatus honores evehebant. Stultitiæ qvidem isti pœnam luebant: sed non omni facinoris crimine illi purgabantur, qvi ob morsus qvosdam, & contractiunculas animi, luem immeritis agricolis, rupto iniqvitate fœdere, intulerunt. Id iis *De Romanis imperatoribus Byzantii de gentibus hæc capias.*

ferè usu venit, qvi opinionum inanitate pleni, non expressam virtutis effigiem, sed adumbratam gloriolæ imaginem consectantur.

Causa Procatarctica vel merè politicè, vel ut est propria hujus loci, consideratur.

Illa est, opportunitas rei cum prospero belli effectu gerēdæ.

Ut est, v.gr. in hoste, imbellis & luxu enervata, aut dissidio distracta, opulentia: in nobis, fervida animis, armis exercita, & pace consentiens juventus.

Hæc est, injuria oppositis armis vindicanda.

Atq; ita belli justitia vel à naturæ jure, vel à jure gentium provenit.

Naturæ jure justè bellum vel ob sui & rerum suarum defensionem, vel ob rerum ablatarum reparationem, vel ob atrocis injuriæ vindicationem sumitur.

Qvibus dichotomia magis arridet, ita proccedant: Bellum qvoad justitiam est vel Defensionis, vel Offensionis. Defensio est vel Vitæ vel, sine qvibus commodè vita degi non potest, Rerum: sub qvibus etiam libertas, fama, pudicitia, & cætera vitæ paria vel secunda, comprehenduntur.

Grotius è principiis juris privati, seu actionum forensium, jus belli deducens, ita argumentatur: Qvot actionum forensium sunt fontes, totidem sunt belli. nam ubi judicia deficiunt, incipit bellum. Dantur autem actiones, vel ob injuriam non factam, vel ob factam. Ob non factam, ut qvâ petitur cautio de non offendendo, item damni infecti, & interdicta alia ne vis fiat. Factam, aut ut reparetur, aut ut puniatur. &c. Sub recuperatione etiam persecutionem ejus rei qvæ nobis debetur, nobis non refragrantibus, complectitur.

Illud non omittendum, sæpè principia belli cum causis confundi: idq; non modò ab imperitis, verùm etiam ab eruditè loqventibus. qvæ nobis, Polybium accuratum autorem secutis, distingvenda sunt. qvam distinctionem res & exempla promtiùs, qvam præceptorum subtilitas, dilucidam facient. Belli qvo Græcia, inter Athenienses & Spartanos distracta, suis viribus concussa languit, causa impellens est, proserpens Atheniensium potentia, & inde orta vel invidia, vel metus. Principium, vel auxilium Corcyrensibus contra Corinthios latum, vel Peloponnesiorum in Atticam irruptio. Belli civilis Romanorum causa est, Pompeji ab amicitia Cæsaris distractio: principium, Rubiconis transgressio. Vulgò pro exemplo ponunt bellum inter Æneam & Turnum

conflatum: cui causam nuptiæ Laviniæ, principium cervæ occisio dederat. Sed exemplorum, in re non nimium obscurâ, affatim. Nos ponte ad ingressum rei structo, causas ad bellum jure, vel speciosо juris prætextu, ducentes ordine persequemur.

CAPUT X.

DE SUI ET RERUM SUARUM DEFENSIONE.

Justa est belli expromtio, qvam defendendi se necessitas extorqvet.

JUstissimam belligerendi causam, in sui & amicorum defensione, ab omni ævo collocaverunt. Τί οὖν ἐστιν ἢ τοῦ ἀλέξασθαι δικαιότερον, ἢ τοῦ τοῖς φίλοις ἀρήγειν κάλλιον; *Qvid igitur est aut sui defensione justius, aut amicorum opitulatione honestius?* inqvit Persarum impetator. Sed de amicis bello defendendis alio loco. Nunc primum belli legitimi reqvisitum, & cæterorum basin, expendamus. Illud ante omnia, qvod operi præstruximus, denuò inculcantes: justitiam & æqvitatem bellis gerendis ducem præire oportere. Ἀρχὴν δὲ μηδενὸς μήτε λόγου μήτε ἔργου ἀδίκου *nec sermone ullo nec opere injusto causam gerendo bello præbeamus.* Qvapropter jus & justitiam Jovi, id est regi etiam bellicoso, assidere veteres dixere: Ὅτι τὴν δίκην ἔχει πάρεδρον ὁ Ζεὺς καὶ τὴν θέμιν. non eo sensu, qvem assentatores Alexandri pronunt, qvasi omnia regis dicta & facta justa sint: sed eo qvem ratio & veritas expromit, omnes regum belli & pacis actiones, jure esse, non vi, dirigendas.

Xenoph. Cyrop. 1.

Demosth. de Classib.

Plut. in Alexandro.

gendas.

gendas. Ex hoc principio nihil est violentâ invasione injustius, nihil homine nato indignius. Ei verò qvi sic per vim invaditur, gentium jura, & ipsa naturæ ratio, sui defendendi qvâcunq; ope copiam præbent. *Curam nobis nostri natura mandavit.* Curam, non solùm educationis & victus, sed & legitimæ defensionis. Κατὰ τὸν πᾶσι νόμον καθεστῶτα, τὸν ἐπιόντα πολέμιον ὅσιον εἶναι ἀμύνεσθαι. *Lege omnibus præfixâ, ab invadente hoste licere se defendere*, Platæensium oratio est. *Jure gentium ita comparatum est, ut arma armis propulsentur:* nonnemo apud Livium disserit. Inde fiduciæ spes, &, si qvid præter spem acciderit, adversarum solatium exurgit. Hac freti anchorâ Melii, contra insultantes injusti ab Atheniensibus belli fluctus, & spe divini auxilii, se erigunt. Πιστεύομεν τῇ μὲν τύχῃ ἐκ τοῦ θείου μὴ ἐλασσώσεσθαι, ὅτι ὅσιοι πρὸς οὐ δικαίους ἱστάμεθα. *Fortunam nobis divinitùs non novercantem adfore, persvasum ex eo habemus, qvod justi contra injustos arma ferimus.*

Sen. ep. 117.

Thucyd. lib. 3.

Liv. l. 42.

Thucyd. lib. V.

Sed ut privatâ in defensione intra moderatam tutelam standum: ita periculo publicè depulso, non nimium hosti non ampliùs nocituro instandum. Qvod contrà fit humanæ in vitæ consvetudine: *injuriam à nobis repulsam, tanqvam aut facere aut pati necesse sit, injungimus aliis.* Sed si ferociam non ponit adversarius, si indomitam etiam domitus mentem gerit: non tantum ut nobis caveamus; sed etiam ut ille ad sanam mentem redeat, belli reliqviæ perseqvendæ. *Nam cui licentia iniqvitatis eripitur, utiliter vincitur: qvoniam nihil est infelicius felicitate peccantium.*

Regulæ limitatio.

Liv. l. 3.

Extensio regulæ.

Augustin. laudante Gratiano, c. 23. q. 1.

Nec semper extremam injuriarum licentiam, dum ferrum jugulo admoveatur, exspectandam

Altera extensio.

censeo. Qvin potiùs si exploratum sit, hostem in perniciem tuam advolaturum, occupare bellum, & obviam ultrò procedere, nulla jura prohibent. Pacis & æqvi studiosus Ancus, cum degere in otio honesto non daretur, *tentari patientiam, & tentatam contemni*, prolocutus, prior in hostem movit. Non enim ad id natura nos obligavit, ut opportunitatem nostram hosti prodamus, ut domi residentes metus confessione hostem alacriorem reddamus. Et calamitatem arma minanti inferamus potiùs, qvam eam post aceeptum admisâ impressione damnum repellamus. Illud in transitu monendum, contra communes omnium hostes, & apertam in omnes iniqvitatem professos, omnium manus armari. *In reos majestatis & publicos hostes omnis homo miles est.* qvid ni in immanitatis reos, & communes generis humani hostes? *qvod communis est causa, commune periculum: communi præsidio talis improbitas, tanqvam aliqvod incendium, restingvenda est:* in re licet dissimili orator ait. Si igitur universum sibi orbem debellandum Turca, vel si omnes sibi Christiani nominis hostes destinat: omnium concursu opprimi optimo jure potest. Non tamen eo usq; jus id extendendum, ut alicujus crescentem nullâ injuriâ potentiam conjunctis, aut etiam separatis, viribus opprimere justitiæ conveniens censeamus. Prudentiæ id aut veteratoriæ cautionis esse potest: juris & æqvitatis non potest. *Adversus incertos metus à divinâ providentiâ, & ab innoxiâ cautione, non à vi præsidium petendum est.*

Liv. l. 1.

Ulterior laxatio.

Tertull. Apologet.

Cic. in Verrem. lib. 1.

Retractio.

Grat. l. 2. cap. 1. par. 17.

Aliena defensio.

Jam si honestius est alienis injuriis, qvam re suâ commoveri: non modò se, & sibi commissos ci-

ves,

ves, amicos socios; sed etiam solo humanitatis vinculo sibi devinctos ab extremâ pernicie defendere, non illicitum est. Modò id fiat sine curiosâ rei alienæ immistione; aut invadendi aliena, opitulationis prætextu, cupiditate. Lapsus enim hic perqvam lubricus est: præsertim si qvis ad patrocinium populi alicujus, spe regni deferendi, invocetur.

Eos autem, qvi fidei tuæ legitimê commissi sunt, à vi & injuriâ defendere honestum esse, minùs habet difficultatis. Ideò enim in custodia, tanqvam in speculâ, collocati sunt magistratus & principes, ut imminentia mala non provideant solum, sed etiam pro viribus depellant. Suorum defensio.

Vitæ igitur nobis custodiam natura, uti vidimus, mandavit. qvid libertatis? qvid famæ? qvid pudicitiæ, & omnis honestatis?

Pro libertate crebra & funesta bella, veteris & recentioris memoriæ ævo, suscepta memorantur. Qvo qvæq; generosior fuit natio, eò acriùs imminenti servituti obstitit. Ardentes libertatis amplexu Græci, corporum suorum objectu iter furenti Xerxi obstruxere, & supra vires audentes, ipsum & orientem tractum depulere. Romani regum superbiæ pertæsi, jugulum promptiùs ferro secandum, qvam portas arrogantiæ aperiendas, præbuerunt. Cæteræ nationes servitutem ferre possunt; Romanorum propria est libertas: inqvit alicubi orator Tusculanus. Præcipuus verò Germanorum pro libertate tuendâ ardor, & indomita contra externam dominationem ferocia. Unde poëta magnanimus, Lucanus, libertatem *Germanum Scythicumq; bonum* appellat. Nam & Scythæ, Libertatis propugnatio.

suis regibus utcunq; parentes, alienorum dominia semper sunt aspernati. Nec nulla causa indomitas nationes movit, cur tam ardentes animo contra servitutem insurgerent. Sublato in cœlum vultu animal homo, naturæ suę principia secutus, erectum & sublimem animum attollit. Jumenta, humilem cum statu corporis flatum sortita, humi & ad serviendum natura depressit. Homo cervice sublatâ, ut oculos, ita mentem in cognatum cœlum, & vaga libertate astra, erigit. Satis igitur momenti, pro libertate propugnandâ, in ipsâ libertatis dulcedine. Cujus pulsu, ultra cancellos vagante, fit ut modus aliqvando excedatur; & viris libertatis assertoribus gratia non satis digna referatur. *Eò perducta res erat, ut aut libertas Scipioni, aut Scipio libertati faceret injuriam.* Pone pro Scipione Auraicum, pro Romanis Batavorum proceres, aut nuper civitatem Amstelodamensem: eandem alio in orbe fabulam agi fatebere.

Ratio à libertatis genio.

Cautela.

Seneca, epist. 87.

Nec tantùm suo se tractu libertas hominum generi insinuat; sed ex adverso positæ servitutis incommodis & fœditate splendescit. Dolori accidit ingenuis auribus, elata arrogantis domini jactantia: *VITÆ necisq; gentibus arbiter, qvalem qvisq; sortem statumq; habeat, in manu meâ positum est.* Ergo status mei & universæ fortunę arbitrium, nec non vitæ ipsius ac necis potestas, in alienâ manu, cum mei juris esse possim, vertatur? *qvæ ruant urbes, qvæ oriantur, mea jurisdictio est.* Durum, superbum: sed semel præbito sub furcam collo ferendum.

Altera ratio. à servitutis naturâ.

Sen. de clem. l. 1.

ibid.

Æqvum atq; iniqvum regis imperium feras.

Seneca Tragicus in Medeâ.

Act. 2 Sc. 2.

qvia nimirum *privato jure tenemur, Exigui specie fundi.*

fundi. uti argutè Claudianus, in bello Gildonico.

Accedit ad amaritudinem servitutis, ludibrium & insultatio: tantò sensus acerbioris, qvantò recentior est amissæ libertatis memoria. Nam *recentissimus qvisq; servorum & conservis ludibrio est.* Tac. in Agricola. Accedit prædiorum ereptio, aut sub dominorum nutu suspensio. Damnum simul & irrisum Athenienses, pro Græciæ principatu libertatis imminutionem adepti, incurrebant. Notum Spartonorum dicterium:

Ὃς αὐτὸς αὑτὸν οὐκ ἔχει, σάμον θέλει.

Qui non habet se, jus hic in Samum petit.

Refert Plutarchus in Moralibus. Terra ipsa & aqva, & tantùm non flabilis auræ natura, in fœnoris usuram, exigendis tributis & vectigalibus, erogatur. Ne corporibus qvidem, aut labore & verbere conterendis, aut pudicitiâ violatâ conspurcandis, abstinetur. *Conjuges sororesq; etsi hostilem libidinem effugiant, nomine amicorum atq; hospitum polluuntur. Bona fortunasq; in tributum egerunt; in annonam frumentum: corpora ipsa ac manus, sylvis ac paludibus emuniendis, verbera inter ac contumelias, conterunt.* Tac in Agric. Qvod si hæc omnia abfuerint; si in mitissimum dominum nova mancipia inciderint: tamen & existimatio servitute decrescit, & animis sordibus abjecti evilescunt. Imago mitis & boni principis in Cyro, Persarum regum excellentissimo, à Xenophonte depingitur. Hic tamen Babylonios, ex altâ imperii sede ad servientium scabella delapsos, ita informavit, ὅπως ὅτι ταπεινότατοι καὶ ἀνανδρότατοι εἶεν, *ut propter animi & fortunæ abjectionem recipiendo capistro qvam habillimi essent.* Xenoph. Cyrop. 11. Qvod proximum huic malo, & omnium miserrimum

est: honestatis, ob animorum dejectionem, sæpè nec vola nec vestigium remanet. Græciam & Asiæ magnam partem, sapientiæ & cum humanitate gravitatis qvondam officinam, nunc tristi sub Turcarum jugo gementem, peragra: aliam hominum indolem, aliam pœnè ipsius terræ faciem reperies.

Nonnè igitur qvæ vitæ defensionem jura concedunt, ea propter qvæ vita sæpè deserenda est; libertatem, gravitatem vitæ, bonam existimationem, pudicitiam, in vitâ omni honestatem, armis tuenda largientur?

De Rerum defensione.

Principem virtutum, & in supremo præclararum rerum colle positam, fortitudinem sapientes uno animo appellant. Ea est, ut veteres definierunt, *conservatio stabilis judicii, in eis rebus, qvæ formidulosæ videntur, subeundis & repellendis.* Ea maximè in defendendis communi ope aris & focis, in patriæ calamitate sublevanda, in summovendis qvæ terribilia ingruunt versatur. Non igitur concessum solùm à naturâ est, sed & constitutione gentium laudi datur, communes civium res & fortunas armata manu propugnare. Privatis fortassis in rebus culpâ vacabit, spoliandum se & omnibus vitæ adminiculis exuendum aggressoribus præbere. In communi verò vitæ statu civis civi, tribuli tribulis, ad mutuam defensionem obligatur. An putandum est, laudem potiùs quàm vituperationem, Pausaniam apud Lacedæmonios, apud Athenienses Themistoclem, ablaturos fuisse, si excedentes Græciâ, terram cum omnibus facultatibus possidendam Persarum regi concessissent?

Cic. IV. Tusc. qv.

Officium, rerum defensio.

Princi-

Principes inprimis civibus, & hi principibus, ad rerum defensionem mutuo nexu devinciuntur. Vindices Hebræis & Judices vocabantur, viri in agmine ducendo strenui: non tam ob causas litium, ut vulgò putatur, dijudicandas, qvam ob prædonum irrumpentium repulsionem. Judicii enim genus & vindiciarum est, ab invasorum violentiâ injuriam patientes eripere. Et hi qvidem à Deo ad salutem ferendam excitati dicuntur, & in sanctorum catalogo pleriq; ponuntur. Reges verò eidem populo disertè ad repellendos hostium insultus, non improbante Deo causam, sed præcipitationem, diffidentiam, & Samuelis rejectionem culpante, postulati feruntur. Tolle defensionem vitæ & rerum patriæ; regiam dignitatem & usum sustuleris.

Judices. Hebr. 11. 1. Sam. 8.

Non igitur à privatâ defensione ad publicam bellorum justititiam, cum viris eruditione licet magnis, nisi argumentatione ab eo qvod minùs videtur, argumentandum est. Se enim & sua defendere, concessi tantum à naturâ juris est; patriæ laboranti subvenire, rationis & officii. Et adversus fures privatæ rei sunt judicia constituta, sunt prætores, & judicum subsellia. Contra raptores patriæ, agmine armato incedentes, frustrà judicia, nisi armata, implores.

Benè & rationi consentaneè Grotius, in explicatrice qvam vocat justitiâ considerandâ, infert: qvæ inter rem & vitam est inæqvalitas, eam favore innocentis & raptoris odio compensari. Nec insulsè, Hebræos, Græcos & Romanorum Tabulas secutus, furem nocturnum à diurno distingvit. *Nocturnum furem qvovis modo, diurnum autem, si se*

Grotius examinatur. Pro Milone.

telo defenderit, interfici impunè voluerunt: inqvit orator consularis. At qvid hoc ad belli, qvid ad periculi communis depulsionem? Non igitur, nisi noctu irrumpentem hostem, idq; tantùm impunè, non etiam cum laudis præmio & adoreæ, interfici licebit? Hoste depulso, & rebus manu strenuè defensis, coram judicibus causa examinanda, an intra legitimum communia defendendi modum steteris? Alia est, ut paulò antè dixi, domesticarum rerum defendendarum, alia communis incendii restingvendi, ratio. Valeat in fure domestico argumentatio: *directè rerum causâ interfici neminem debere.* Demus viro erudito plenâ manu: *si ipse in periculum vitæ adducar, tunc mihi licere à me avertere periculum etiam cum periculo vitæ alienæ.* qvanqvam nec duodecim tabulæ, nec vitæ humanæ usus, tam arctè defensionem constringunt. In publicâ rerum omnium rapinâ & patriæ conflagratione, si civibus de vitæ incolumitate caveatur, otiosi publicam ruinam spectabunt? Terrâ, ne qvem armis occidant, & sanguine hostili manus polluant, excedent? aut vivendi facultates omnes, jumenta, supellectilem auferri cum pulvisculo concedent? Non ad eam nos patiendi necessitatem natura, & multò minùs gentium instituta, astringunt. Defendendus est vitæ usus, qvibus vita datur defendere.

Grot. l. 2. c. 2.

Cur autem Grotius noster Mosaicum illud, *Bammachtór*, vertere potiùs velit cum perfossorio instrumento, qvam cum viris lingvæ sanctæ callentissimis *in perfossione*, causam non satis dignam reperio. Non enim licentiam nostra defendendi, lege divinâ concessam, nobis eripere, nec restringendo

gendo favores manum nobis ultrò vincire convenit. Nec, puto, duodecim Tabularum ratio nos ad hanc interpretationem manu deducit. Ulpiani aliàs interpretationi, *si parcere ei sine periculo suo non potuit, nimirum rem servando*, libenter accedo. Addo, si res ablata non inferat magnam amittendi calamitatem, parcere humano sanguini, qvam strictè jure concesso uti, humanius censeri. Non enim juri pro se facienti renunciare, si honestati nihil decedit, non licet.

Ut sua contra vim tueri, naturæ juris est; ita sanguinis humani parcimoniâ ad damnum suum connivere, perfectioris animi. Licuit regi parabolico servum, ære sibi obstrictum, cum totâ familiâ venundare. Gratiæ fuit & commiserationis, qvod jus illi suum remisit. Ad cujus imitationem perfectionis magister, novâ in luce gratiæ, omnes ex animo se seqventes invitat. Renuentes typo refractarii servi, jus suum in lentioribus nominibus rigidè exeqventis, & alius ad reconciliationem tardi, perterrefacit. Si qvis objiciat, his locis magis de offensâ aliqvâ animi ob læsionem existimationis, & contumeliam illatam, qvam de furto & rapinâ, agi: me non admodum repugnantem, nec ideò causę prævaricantem, habebit. Qvantò enim gravior est honoris offensio, qvam reculæ alicujus amotio, viro præsertim non indigenti: tantò hic indulgentia difficilior, veniæ irrogatio laboriosior. Res magis ardua est, alapam impingenti buccam alteram obvertere, qvam tunicam rapienti pallium etiam concedere. Et tamen utrumqve Christus vel præcipit, vel, qvæ mens est qvorundam interpretum, pacis & otii causâ svadet.

Juris restrictio.

Matth. 18. v. 25. 27.

M. 5. v. 41.

M. 18. v. 34.

M. 5. v. 25.

M. 5. v. 39.

Minimè ſanè omnium peculiares Dei miniſtros, ſacrorum adminiſtrationi addictos, ita pecuniæ mancipatos eſſe decet, ut ejus tuendæ amore hominem vel vulnerent, vel interficiant. *Amorem pecuniæ, qvaſi materiem cunctorum criminum, fugiant:* inqvit Iſidorus. Alia ſolicitudo ei, cui publicarum rerum cura commiſſa eſt, incumbit. Hic Dei in terris fungens vicariâ operâ, gladium ultorem non fruſtra gerit. Qvi & ipſe, ſi res privati commodi geritur, injuriam ſuam pacis & publicæ ſalutis causâ majori cum laude adverſario remittet.

Diſt. 23. c. 3.

Rom. 13. v. 4.

Ludovicus. Ludovicus, re & appellatione Pius, (niſi nimiam in clerum indulgentiam, ipſi perniciosam, excipias) cum à filiis, Lothario, Pipino, Ludovico, Carolo armis nefariis impeteretur, ne qvid in regno ſuo turbaretur, obviam iis progreſſus, ultrò ſe capiendum dedidit. Et nuper Caſimirus Poloniæ regno excedens, ſi paci Polonorum, ſi libertati, ſi facultatum augmento novis rebus conſultum vidiſſet; magna ad poſteros laude, & tranqvillo animi ſolatio, in perpetuum regiâ dignitate caruiſſet. Ut tandem capiti huic finem imponamus; rerum moderatoribus vita & bona ſubditorum tuenda demandata ſunt. Publicâ curâ exemtis, aut ſacram verbi & ſacramentorum militiam profeſſis, meliùs fortaſſis illud Saxonicæ cantiunculæ qvadraret:

Caſimirus.

Nehmen ſie vns den Leib/
Gut/Ehr/Kind vnd Weib;
Laß fahren dahin;
Sie habens klein gewin. i. e.

Corpus, opes & honos, nati rapiuntur & uxor?
Perfer: habent factis lucra minora ſuis.

CAPUT

Caput XI.
De occupatione generatim; & de mari aperto.

Certa est unicuiq; & determinata rerum possessio.

QVoad juris determinationem; non qvoad fixæ in perpetuum possessionis persvasionem. Omnia incerta esse, simul à jure recessum est; antiqva est & vera prolocutio. Certos nobis habendi terminos natura, incertos hominum cupiditas præfixit. Illud vero Satyristæ,

Nam propriæ telluris herum natura neq; istum, Horat. Lib.2.S.2.
Nec me, nec qvenqvam statuit. ——

De factis hominum, non de jure intelligendum est. Nam si, qvid fiat, non qvid fieri debeat, introspicias; plerumq; verum deprehenditur illud Silii Lib.2.
Italici:

VIS colitur, jurisq; locum sibi vindicat ensis:
Et probris cessit virtus. en aspice gentes;
Nemo insons: pacem servant commercia culpæ.

Ob hanc possidendi incertitudinem, ex infinitudine cupiditatum ortam, perpetua maximè inter finitimos litium est & pugnarum, & inde odiorum ac simultatum, series.

Inter finitimos fœtus atq; antiqva simultas,
Immortale odium, & nunqvam sanabile vulnus,

ut satyricè, ita non mendosè à Juvenali dicitur. Sat.5.

Nos eruditorum in hoc genere vestigia prementes, habendi spatium si non aviditati hominum, at juris evagationi circumscribemus,

Acqvisitio est rerum vel personarum.

Acqvisitio rerum est vel naturalis, vel civilis.

Grotiana divisio.

Vel inter utramq; interjecta, qvæ est gentium, Cui Grotiana placebit methodus, ita partitionem instituet. Nostrum est aliud communi hominum jure, aliud nostro singulari. Commune jus aut directè est in rem corporalem, aut ad actus aliqvos. Res corporales aut vacuæ sunt à proprietate, aut jam aliqvorum propriæ. Res qvæ à proprietate vacant, aut tales sunt, ut propriæ fieri neqveant, aut ut possint. Dilucidè magis, & ad captum humanum expresse, Cicero, *Communibus pro communibus utatur, privatis autem ut suis. Sunt autem privata nulla natura: sed aut veteri occupatione; ut qvi qvondam in vacua venerunt: aut victoria; ut qvi bello potiti sunt: aut lege, aut pactione, conditione, sorte. ex qvo fit, ut ager Arpinas Arpinatum dicatur, Tusculanus Tusculanorum, similisq; est privatarum possessionum descriptio.* Res communes, ut aër, aqva marina, vel profluens, ab acqvisitione liberantur. Privatæ fiunt, ad sensum Ciceronis, jure *naturæ*, occupatione; *gentium*, victoria; *civili*, lege. Pactio, conditio, sortitio ita communes omni juri sunt, ut plusculum è gentium consvetudine trahere videantur. Privata autem nulla naturâ esse, ita accipio, qvod non cum homine nato simul nascatur fundus ei addictus; aut natura, qvid cujusq; esse debeat, describat: non qvod naturæ jus incertam homi-

Offic. 1. Tulliana.

Scrupuli excussio.

hominum possessionem faciat. Est enim illud ipsum juris à naturâ profecti, unum qvemq; in possessione suâ, nemini invito extortâ, non turbari.

Acqvisitio naturalis est rerum possessione vacuarum, nemini nocens arreptio.

Ea est vel rerum solo hærentium, ut Occupatio; vel solo separatarum, ut Inventio.

Si juri pontificio credimus, Jure naturali omnia sunt communia omnibus: jure verò consuetudinis vel cõstitutionis, hoc meum est, illud alterius. *Unde qvisq; possidet, qvod possidet? nonne jure humano?* inqvit apud Gratianum Augustinus. Qvod nisi ita capiamus, jure humano possessionem cujusq; confirmari, & à violentâ invasione defendi: vix est, ut omnium assensum, nullo contradicente, auferat. Sunt ergo jure naturali omnia communia omnibus, ante occupationem, & accedentem legibus vel consvetudine rei occupatæ confirmationem. Hoc sensu capio & admitto illud Justini: *Erant omnia communia & indivisa omnibus, velut unum cunctis patrimonium esset.* Huc etiam non invitum traho decantatum Ciceronis dictum: *Theatrum cum commune sit, rectè tamen dici potest, ejus esse eum locum qvem qvisq; occuparit.* Ut autem jure naturali omnia in promiscuo usu omnium sint; ut nemo qvicqvam habeat segregatum, qvod

Dist. 8.

Canonicorum sensus:

& paganorum.

ei jure auferri non possit, ægrè mihi persvadeo: nam & primordii rerum humanarum consvetudini, & legis divinæ sanctioni, & rerum ordinatæ distinctioni, nec non industriæ hominum, & frugalitati, aliisq; humanitatis & officii functionibus, ea utendi fruendi confusio repugnat. Novi orbis teneritudine Abel & Cain, bini unius viri liberi, separatas habuerunt agri serendi, & gregum pascendorum, operas, separatas possessiones. Qvod si duos non tulit, multò minùs multiplicatos feret, qvi loco sit proprietatis, rerum communium usus. Nec Dei lex moralis, insculpta lex humanis mentibus, perpetuæ apud omnes fermè observationis, *Non furaberis*, qvod est naturæ & immotæ rationis infregisset. Si qvidem *adversus naturale jus nulla dispensatio admittitur, nisi fortè duo mala ita urgeant, ut alterum eorum necesse sit eligi.* Deum autem nulla, mala eligendi, & præcepti severitate cogendi, urget necessitas. Sit ea sylvestrium in Americano mundi recessu simplicitas, ut segregatam rerum possessionem nesciant. Sit ea paucorum eximia qvædam charitas, ut alteri communem usum non invideat. In tantâ verò diffusi orbis vafritie, confusum rerum omnium usum ad naturæ integritatem velle deducere, conatus esset laterem lavantis. Non abnuo, fuisse qvasdam civitates, cum æqvali redituum participatione institutas. Qvarum incommoditatem, & non evitandam officiorum neglectionem, in Politicis detexi. Troglodytis verò, si Straboni fides habenda, uxores etiam & liberi communes, præter rerum dominantes, fuere. regis autem conjugem qvi stupro infecisset, oviculam loco

Distinct. 13.

Prolepsis.

lib. 16.

mulctæ

mulctæ pendebat. Sabæis etiam, eodem autore, una uxor omnibus gregalibus communis fuit. Num ob id ea conjugii profanatio, & ferina libidinis licentia, juris naturæ inter homines ratione rectè utentes erit? Maneat igitur conjugum & liberorum, maneat & facultatum domesticarum distincta proprietas. Modò id firmiter persvasum nobis habeamus, justā divitiarū possessionem esse, ὅπου τὰ χρήματα μήτε κτωμένοις ἀδικία, μήτε φυλάττουσιν ἀπιστία, μήτε δαπανῶσι μεταμέλεια πρόσεστι. *ubi divitias nec in acqvirendo iniqvitas, nec in custodiendo diffidentia, nec in erogando pœnitentia redarguit.* Facessat seditiosa Grachi oratio: populum Romanum *orbis terrarum dominos verbo appellari, reverà autem ne glebam qvidem terræ possidere.* Domini erant Italiæ & provinciarum, publicâ imperandi autoritate: etiamsi nec agrariæ leges, nec indistincta omnium proprietas admitteretur. *Plutarch. Moralibus.*

Qvæ de nuditatis primorum hominum causâ Grotius, qvæ de symbolicâ divini cultus arbore, de symbolo scientiæ boni & mali, de moribus antiqvissimorum hominum commentatur; ea in Aulâ Tiberianâ, ad tertium Annalium Taciti librum, examinavimus. *p. 191 &c.*

MARE in divisionem rerum, & separatam cujusqvam possessionem, juris respectu non cadit.

Ut nec aqva fluviatilis, qvoad usum saltem bibendi. De maris omnibus exposito usu, ut de re nusqvam controversâ, Plautus: *Rudente act. 4. Sc. 3.*

Mare qvidem commune certò est omnibus!

De aqvâ fluviatili, ut omnium hominum & pecorum in usum profluente, Ceres apud Ovidium: Metam. l. 6.

Qvid prohibetis aqvas? usus communis aqvarum est.
Nec Solem proprium natura, nec aëra fecit,
Nec tenues undas: ad publica munera veni.

q. d. qvemadmodum solis lucem nemo sibi soli vindicare, nec in aëre terminos imperii figere potest: ita nec aqvæ, mobilitate fugientes, in cujusqvam sunt imperio.

Libro 2. cap. 2. Hac in re Grotium nihil dissentientem habeo: qvi argumentis eleganti sermone, & acumine rerum, conceptis contraria asserentes evertit. Pro maris libertate. 1. *qvia causa, ob qvam à communione discessum est, hic cessat.* 2. *qvia occupatio non procedit, nisi in re terminatâ.* 3. *Cum primum terræ divisæ sunt, incognitum erat mare sui maximâ parte: atq; ex eo nullus fingi modus potest, qvo gentes adeò dissitæ de divisione convenirent.* Primum argumentum à magnitudine spatii fulcitur: qvod & ad aqvam hauriendam, & ad piscandum, & ad navigandum omninò satisfacit. Alterum illustratur à simili circa terram locutione. Terram enim habitatione nondum usibus humanis addictam, ἀόριστον Thucydides, id est, infinitam, appellat. nec Isocrates, non multum ætate inferior, verborum similitudine discrepat. Liqvida verò, ut aër & aqva, qvia non terminantur, nec occupantur. Lacus illinc & stagna, ut Stagna. fundo occupantis cincta, excipit. nec non flumina, ut ripis contenta. nec qvid absurdi hæc sententia Grotii, modò ad aqvam hauriendam non extendatur, concipere videtur. qvanqvam enim aqva intra ripas decurrit, nec eadem vel temporis momen-

momentum permanet: tamen alveus iter fluenti aqvæ præbens loco non recedit; & piſcium captura, uni loco hærentior, pars eſt redituum terræ ripaticæ accolarum. Sed de fluminum, conceſſo vel controverſo, jure ſuo loco agetur.

Grotianæ de mari aperto ſententiæ ſcriptorum obſtrepit autoritas; repugnat ſeculi noſtri, ſi ita nudè propugnetur, ſenſus & experientia. Objectio.

De Lacedæmoniorum maritimo; poſt Athenienſes θαλασσοκρατοῦντας, imperio Demoſthenes: 1. De perperàm obita legatione.
Ὅτε γῆς καὶ θαλάττης ἦρχον, ὡς ἔπος εἰπεῖν, οἱ Λακεδαιμόνιοι. i. e. *Cum terræ & maris principatum, uno ut verbo effe ram, Lacedæmonii tenerent.* Antiqviores his potentiâ Tyrii, mare non vicinum modò, ſed qvocunq; claſſes eorum adierunt, ſuæ ditionis fecerunt. ita à litore Phœnicio, ad Herculis columnas, maria illorum nutui paruerunt. De Ptolomæo Ægyptiorum rege paſtoralium carminum ſcriptor: Theocritus Idyll. 17.

Πολλᾶς δὴ κρατέει γαίας, πολλᾶς δὲ θαλάσσας.
Imperat hic terris, latè ſimul imperat undis.

Et paucis interjectis verſibus:

—— —— ἐπεὶ οἱ νᾶες ἄριςαι
Πόντον ἐπιπλώοντι· θάλασσα δὲ πᾶσα καὶ αἶα
Καὶ ποταμοὶ κελάδοντες ἀνάσσονται Πτολεμαίῳ.
—— —— —— *inſtructis navibus æqvor*
Sulcat, & omne ſolum nutu Ptolomæus & undas
Temperat; illius ſubſunt & flumina ſceptris.

De Romanis Dion: Πάσης σχεδὸν βασιλεύοντες γῆς καὶ θαλάσσης. i. e. *Omnis propemodum terræ mariſq; imperium gerentes.* Et qvorſum plura veteris ævi ſcriptorum monumenta congeram; cum ſeculi noſtri inveteratus uſus ob oculos verſetur? 2.

Veneti in hunc diem, multis ab ſeculis mare

Adriaticum, & ulterius porrecto cupiditatis jure Jonium, sibi vendicant. Eoq; nomine insulas mari inclusas, & avorum memoriâ maris Ægæi litora, Peloponnesi verò etiam interiora, sui juris fecerunt. Ligusticum mare Genuenses, Tyrrhenum duces Hetruriæ, Massiliensem sinum triremibus Galli terunt. Nam piratas, mare internum infestantes, non refero. Lusitani verò, & secundum eos Castellani, maris imperium à Gadibus ad utrumq; mundi terminum extenderunt. Maris qvod Albionem alluit, & ex parte oceani Germanici, se arbitros reges Angliæ ferunt. Ergo & reverentiæ sibi exhibitionem, demissis prænavigantium velis, exigunt; & piscandi haleces immunitatem Batavis, qvamvis non concedentibus, eripiunt. Jam Daniæ reges, freti qvam terrarum proventu ditiores, maris Baltici in universum sibi moderamen deposcunt. Qvod nuper acriori vinculo constringere, nisi Dantisci & Borussiæ adjectionem fortuna invidisset, Sveonum rex Carolus Gustavus allaborabat. Tot ab omni propè memoriâ exemplis propè obruti, & hominum usu à ratiocinandi in diversum conamine dejecti, qvâ ratione sententiam nostram, & autoritatem simul cōtra Seldenum Grotii, tuebimur:

Confutatio. Qvandoqvidem tabulis obsignatis mecum agitur, ita ut verba semel emissa tutari cogar: possem eqvidem cum Academico oratore regerere; me in diem vivere, qvodcunq; animum probalitate percussit, id dicere; & ex re sententiam mutare. Sed non est, qvod aut subterfugia qværamus, aut facta hominum juris perpetuitati postponamus. Non jus æternum & immobile ad variantes homi-

hominum mores torqvendum; ſed actiones hominum ad juris normam exigendæ. In jure civili vel prætorio prætor aliqvis contendat: *non exoletis vetustate annalium exemplis stare jus, ſed recētiſſimæ cujuſq; conſvetudinis uſu.* Nos jus naturæ, in qvo hac in qvæſtione verſamur, neq; ad annalium veterum ſtateram, neq; ad recentioris conſvetudinis normam appendimus. Daniæ tamen reges, qvod ad vectigal freticum, ſi intra mediocritatem ſteterint, & pactis antiqvis & loci neceſſitate defenduntur. Contra ſubiti inſultus metum naves armis inſtructæ in procinctu habendæ; anguſtiæ loci præſidiis muniendæ; exterorum navibus tutela non in freti modo ſtatione, ſed in Hallandiæ & Norvagiæ portubus, qvò ſæpè tempeſtatibus actæ confugiunt, præbenda. Hæc qvia ſine impensâ haberi aut præſtari non poſſunt; mercatores particulam aliqvam lucri, per mare qvæſiti, in medium conferre, non adeò iniqvum cenſeo. Gallorum etiam & Italorum triremes, Numidarum prædandi audacium reprimētes, laude qvam culpâ digniores arbitror. Nec Venetis imperium in fluctus, imperium non audientes, invideo; dum Thracum & Ægyptiorum naves, dum procurrentem Turcarum potentiam mari arceant. Multis rebus non à naturæ ſimplicitate, ſed ex variantibus temporum caſibus, & hominum mutatis inſtitutis, juris nomina ſunt applicanda.

Liv. lib.

Caſuum exceptio.

Cæterùm ob maris libertatem aut dominium bella ſolere exoriri, oſtenderem, niſi recentior eſſet Anglicani cum fœderatis Belgis belli memoria, qvam ut doloris, tanqvam cicatricis lividæ, cruſtam induceret.

CAPUT XII.
DE FLVMINIBVS.

Fluminum occupatio mediæ est inter stabilem terræ soliditatem, & maris diffusam agitationem, naturæ.

MEdiam igitur, qvoad occupandi vim & potestatem, conditionem sortitur. Aqva fluviatilis vel in seipsâ, vel in annexis commodis & incommodis consideratur. Aqva simpliciter considerata, omnibus naturæ jure patet: ad sitim nimirum restingvendam, & nemini nocentem haustum. Nam qvod Moses aqvam pretio se empturum in transitu Edomitis pollicetur; de aqva puteali, vel etiam stagnanti, intelligendum est: cum nulla Iduméam flumina irrigent. Prætereà aqva vel pura est, vel aliqvid alienæ naturæ admixtum habens. Puram hic non physicorum sermone, qvæ nihil terreæ concretionis habeat, sed populari locutione appello. Eam qvantâcunq; copia haurire, nulla invidia est. Dum ne rivum alio itinere abducendo, navigationem & alios fluentis aqvæ usus impedias. At qvæ auri ramenta devehunt, aut è qvibus nitrum, sal ad usum humanum excoqvitur, belli materiam inter dissidentes præbent. Ut qvondam inter Cattos & Hermunduros *certatum magno prœlio, dum flumen gignendo sale fœcundum, & conterminum, vi trahunt.*

Iduméa.

Aqva pura.

Saliti fluvii.

Tacit. Annal. 13.

Anne-

Annexa fluminibus commoda, præter piscationem, varia esse possunt. 1. Ditionum finitio: Ut qvondam Rhenus Germaniam à Gallis, Danubius à Vindelicis, Noricis, & à Pannonia separabat. Ut Parthos à Syriæ, & Romanorum imperii, ingressu Euphrates cohibuit. 2. Iter & navigatio: qvam naturâ qvidem omnibus permissam, gentium consvetudo ob metum invasionis restrinxit. Ita Germani olim navigationem in Rheno, ut suo fluvio, Romanorum imperatoribus non concedebant. 3. Munitio: præsidiis vel ripæ impositis, vel ipsi fluvio loco capistri injectis. Hæc qvidem causa bello exorto vel maxima, cur qvisq; ad se fluviorum possessionem rapiat. Certè Vahalis, Rheni, & partis Mosæ objectu Belgæ fœderati Hispanis difficilem ad se ingressum, sibi facilem in terras hostiles aditum nuper fecerunt. Et Svedis, in Germaniam & Poloniam allectis, prima cura fuit Albi, Viadro, vistulę munitionum compedes injicere. 4. Derivatio: qvâ vel fossam habitationi tuæ circumductam impleas, vel hostium agros ruptis aggeribus mergas. Plura vel emolumenta fluviorum, vel etiam nocumenta, esse poterunt: propter qvæ jus à naturâ porrectum contrahatur. Qvoties autem lis inter populos, uni regi aut populo non subjectos, de proprietate fluminum oritur: ferri, non legum, judicio ferè decernitur. nec decisiones Justiniani gentes, Romanum imperium non agnoscentes, constringunt.

Annexa. 1. 2. 3. 4.

Qvi populi propter fluminum cursum mutatum armis concurrerint, haud facilè reperias. nisi fabulis fortè credamus, Herculem domito agge-

Fluenti mutatio.

ribus Acheloo, belli causam inter Ætolos & Acarnanas dissipavisse. Insignem mutationem Rhenus cursu retracto fecit, meliori Hollandiæ Meridionalis parte, qvæ qvondam Batavorum insulæ adhæsit, Gallicæ ripæ avulsâ. Nec tamen ob eam causam bello terras eas conflagravisse, aut graviorem qverelam exortam, lectu aut auditu cognovimus. Qvod igitur raræ est contingentiæ, difficultate decidendi motâ non dignamur.

Litora. Litora qvoq; & ripas communi omnium usui patere, Institutiones Justiniani docent. Qvæ sententia poëtæ, juris naturæ & gentium non imperiti, defendi videtur.

Æn. 7.
Dîs sedem exiguam patriis, litusq; rogamus
Innocuum, & cunctis undamq; auramq; patentem.

Verùm si rectè verba Maronis expendantur, contraria sententium persvasio a qvè stabilietur. Precibus enim, & demissâ legatione, Æneas, non jure cum Latino agebat. ROGABAT sedem, eamq; exiguam & innocuam, non arripiebat, non qvasi pro jure postulabat. Litora enim & ripæ pars terræ occupatæ sunt: marisq; accessus & fluminum crepidines qvam maximè contra exterorum audaciam munienda sunt. Humanitatis qvidem est, errantes, patriâ ob innocentiam pulsos, naufragos hospitio excipere. Sed omnibus, etiam robore & multitudine firmatis, promiscuè appulsum & commorationem permittere, prudentiæ non est: nec id natura, omnibus ex æqvo consulens, à qvoqvam exigit. Malè audierunt ob advenarum cædem Taurenses, & veteres Britannii execrationi apud Homerum sunt Cyclopes & Læstrygones. Laudem Afri, hospitio Didonem

digna-

dignati, merentur. Simplicitatis tamen non laudandæ fuit, qvod Urbem in litore condi, qvæ jugum antiqvis cultoribus imponeret, permisere. Latini & Hetrusci Romæ fundamentis ad fluminis ripam positis, non stultè *tantam in medio crescentem molem sibi ac posteris suis metuebant.* Metum enim non inanem fuisse, eventus clarè docuit. Qværuntur qvidem apud Maronem Æneæ naufragi oratores: Liv. l. 1. Æn. 1.

Qvod genus hoc hominum? quæve hunc tam barbara morem
Permittit patria? hospitio prohibemur arenæ.

Qviritando tumultuantur:

Si genus humanum & mortalia temnitis arma:
At sperate deos memores fandi atq; nefandi.

Cavere sibi, qvam accepto damno expostulare, prudentioris consilii est. Qvare & Didonem, duritiem excusantem, audiamus:

Res dura & regni novitas me talia cogunt
Moliri, & latè fines custode tueri.

Nec nova tantum & surgentia regna, sed & inveterata, metu custode indigent. Americum & Columbum si terræ ab iis cognominatæ, post longum seculorum tractum cognitæ, pellere potuissent: immanis jugi servitutem subire non coacti fuissent. Græciæ civitates plerasq; ad mare, & ad fluminum excursus, positas esse, inter alias causas & hanc fuisse conjicio, ne alienigenis facilis ad invadendam Græciam receptus daretur. Ita consulendum humanitati est, ut & securitati consulamus.

Terrarum celebres raptores.

CAPUT XIII.
DE INSULIS, COLONIIS, & DE PROPRIETATE IMPEDITA.

Insula in mari detecta, aut regio continens nondum habitata, cedit occupanti, qvi qvidem sui juris sit.

ALiàs ut servus non sibi, sed domino acqvirit; ita subditus regionem detectam majestati superiorum subjicit. Vacuis regionibus pares habentur, saltem cupiditati hominum, qvæ à feris hominibus, aut sui defendendi nesciis, incoluntur. Gronlandia, maris hyperborei insula, regis Danorum imperio reservata est. Terram à se nominatam, in oceano Atlantico, Americus Vesputius, & alias in mari eodem terras Christophorus Columbus, Hispaniarum regi obtulerunt. Nova Francia Galliarum regibus, Virginia Elisabethæ Anglorum reginæ cessit. Si qvi autem patriâ pulsi, aut sponte ab eâ separati, in novas regionum sedes incidunt, sibi, non patriæ amissæ aut omissæ, acqvirunt. Ita Teucer, ob necem Ajacis non vindicatam patriâ profugus, in Cypro Salaminem, patriæ urbi cognominem, sibi & posteris condidit. Battus Cyrenen in litore Africâ conditam, non Theræ insulæ, sed sibi imperii sedem defixit. Delo, enatæ aut inventæ in mari Ægæo insulæ, peculiare aliqvid accidit, Apollini enim & Dianæ conse-

Gronl. America. Salamis. Delus.

consecrata, commune Græcorum habitaculum, ita ut nec nasceretur qvisqvam in eâ, nec moreretur, fuit. Partui enim vicinæ, aut animam agentes in vicinam aliqvam insulam exportabantur: ne vel contaminaretur sacrarium Apollinis, vel qvisqvam patriâ Delo gloriaretur.

Occup. universitatis: Singulorum. Principi Reservata.

In occupatarum regionum descriptione, rectè à viris doctis observatum est, occupationem aliam fieri per universitatem, aliam per fundos. Illam ad regem, aut populum regi nulli subjectum, istam ad singulos pertinere. Illud qvoq; rectè adjectum est, eam qvæ fit per fundos, magis assignatione fieri, qvam liberâ occupatione. Montes asperiores & sylvæ ad venationem, ut & lacus & flumina, plerumq; superioris dominio, privatorum juri exempta, reservantur.

Coloniæ. Græcanicæ; Tyriæ; Propinqvæ.

Similitudine qvadam coloniæ huc referuntur: ita in novâ sede liberæ, ut urbem matricem cultu qvodam revereantur. Qvanqvam non eadem est apud omnes nationes, nec omnium temporum, coloniarum conditio. Triginta Mileto emissæ coloniæ, ut & aliæ circa Pontum Græcanicæ originis, sui planè juris, præter affectionem antiqvæ patriæ & Græci nominis favorem, nihil addictæ metropoli mansere. Idem de Utica, Lepte, Carthagine, & aliis Tyri coloniis, sentiendum. Propinqvioribus tamen Græciæ locis, coloniæ non omnes ἐπὶ τῇ ἴσῃ καὶ ὁμοίᾳ, pari cum mittentibus jure, emittebantur. Si nihil aliud urbi matrici debebant, saltem in publicis Græciæ conventibus ei per honorem cedebant, sacra per hominem metropolitanum auspicabantur. Qvanqvam Corcyrenses Corinthiorum coloni, bello inter

eos & Corinthios exardeſcente, verbis aſperioribus contendunt: Πᾶσα ἀποικία, εὖ μὲν πάσχουσα, τιμᾷ τὴν μητρόπολιν. ἀδικουμένη δὲ, ἀλλοτριοῦται. Οὐ γὰρ ἐπὶ τῷ δοῦλοι, ἀλλ' ἐπὶ τῷ ὅμοιοι τοῖς λειπομένοις εἶναι ἐκπέμπονται. *Omnis colonia, benè accepta, honore matrem urbem afficit, læſa alienatur. Non enim ut ſervi ſint, ſed ut relictis pares, emittantur.* Corinthi verò, graviores ſui juris interpretes, Corcyram ſe condidiſſe clamant, ἐπὶ τῷ ἡγεμόνες τε εἶναι, καὶ τὰ εἰκότα θαυμάζεσθαι: *ut & ductis præcederent, & convenienti honore colerentur.* Romanorum coloniæ Romæ addictiores, leges ab iis & magiſtratus acceperunt: nec jus Romanæ civitatis prorſus amiſerunt. Batavorum in Indiâ litora, & inventam à ſe novam Hollandiam, emiſſa examina, præter juris & præſidum impoſitionem, redituum etiam partem tanqvam tributum Ordinibus Belgarum pendunt; commorari inter ſe Belgas & negotiari pro lubitu, ut dominos ſuos, non prohibent. Ita negotia temporibus, non hæc negotiis cedunt.

Thucyd l.1.

Romanæ.

Batavæ.

Nulla proprietas omnem communicationis nodum abſcindit.

Nec omne jus alteri, rem mihi poſſeſſam invadendi, aufert. Non jam de jure Superioritatis, qvod vocant, & Eminentiæ; nec de jure per pœnam auferendi, verba facio. Jus eſt Neceſſitatis: qvod nullis legum vinculis aſtringitur. Nam ſi vita cujuſqvam in alterius, effugium ultimi periculi qværentis, poteſtate eſt: multò magis bona & facultates vitæ. *Qvia tutela certiſſima ex proximo eſt,*

Neceſſitatis imperium.

Sen. epiſt. 114.

est, sibi quisq; commissus est: sui primam defensionem natura vel excusat, vel suggerendo imperat.

Jus in alterius proprietatem est vel absumtionis, vel inhabitationis.

Nec hic de Usufructu JCtorum, nec de legitima habitatione, sed de jure necessitatis loqvor.

Absumtio vel in fruendo, vel in perdendo citra fructum, versatur.

Prioris generis exempla adferunt: 1. si qvando in navigatione defecerint cibaria, qvod qvisqve ciborum habet, in commune conferre cogitur. 2. si qvis fame laborans, ad vitam fulciendam aliunde, præter furti commaculationem, sumit. qvod tamen, virorum gravium judicio, minuit magis qvam tollit omnem culpæ maculam. Posterioris generis sunt: 1. defendendi mei causâ, vicini ædificium orto incendio dissipare possum. ne scilicet incendium proserpens, per ædes vicini meam ad domunculam perveniat. sed hoc non temerè fit, nisi publicâ in calamitate, aut consensu publico. Ita Româ sub Neronis imperio deflagrante, *finis incendio factus, proruptis per immensum ædificiis, ut continua violentiæ campus, & velut vacuum cœlum occurreret.* 2. Possum & funes aut retia discindere, in qvæ navis mea impulsa est, si aliter explicari non potest. in navigatione præsertim incitatiori, ubi res intricata moram non patitur.

Grot. l. 2. cap. 2. p. 6.

Tacit. Annal 15.

Grot. Id.

Hanc attrectandi aliena permissam licentiam, ad benignam juris primitivi receptionem, qvasi jus illud pristinum gravissimâ in necessitate reviviscat, Grotius appendit. Sententiam enim qvam supra examinavimus tuetur, omnia omnibus naturâ esse communia.

Inhabitatio hic est, vicini arcis aut oppidi, aut aliàs loci naturâ muniti, occupati præsidio meo munitio.

Qvæ enim loca hostis contra me invasurus erat, & qvibus à me infessis hostem arcere potero, facultatem mihi ea arripiendi non lex ulla humana, sed lege omni valentior necessitudo præscribit. Ea & igni dejiciendi, & solo æqvandi noxiam mihi aut suspectam urbeculam copiam facit. Exempla si qværantur: sunt & loco & tempore nobis propinqva, Mendozâ, legionum Hispanarum duce, oppida neutrarum ad Rhenum partium præter jus invadente; iterum Spinolâ qvasi in alterius subsidium per inducias eadem loca infestante, Belgæ fœderati aut alteri parti ope ferendâ sibi maturè prospexerunt, aut bello iterum exorto arma ad Rhenum, extorqvendis hosti munitionibus, circumtulerunt. Emmerica, Resa, Vesalia, Orsoja, Brandeburgici juris oppida; Rheno-Berga Coloniensis, Belgarum armis tenentur. Schenkianam verò arcem ab inventore nominatam, claustrum Bataviæ & ingruentis violentiæ obicem, vacuo in Cliviæ angulo locarunt. Gritam

Munitiones ad Rhenũ, non Batavorum Batavicæ.

tam

tam deniq; & Grithusam, insidiis hostilibus latibula præbentia, cum ditionis essent Cliviensis, etiam igni injecto deleverunt. Si igitur exemplis gentis non inhumanæ standum: aliena nobis in manum jus, à necessitate petitum, porrigit.

Necessitatis jus nec cupiditati hominum nec ignaviæ patrocinatur.

Igitur cautiones qvas, ne evagetur hæc licentia, Grotius doctè præscribit, non negligendæ. Prima est: Omni modo primùm tentandum, an aliâ ratione necessitas evadi possit. 2. In pari causâ, possidentis melior est conditio. 3. Jus hoc restrictum cum onere restituendi, ubi necessitas cessaret. Primæ regulæ fulcimentum suppeditat: magistratus aditionem; precum pro pretio oblationem; omnis operæ in suo exhaustionem. qvod præcepto Platonis illustrat: è vicini puteo aqvam peti ita demum permitti, si qvis in suo ad cretam usq; foderit ad aqvam exqvirendam. & Solonis: Si in suo foderit ad qvadraginta cubitos. Indigentiæ enim, non inertiæ subveniendum, Plutarcho interprete, arbitrabatur. Jure niti Xenophontis, exercitum Græcorum è Persarum intimo regno in patriam reducentis, responsum videtur: οὐχ ὕβρει, ἀλλ' ἀνάγκῃ λαμβάνομεν τὰ ἐπιτήδεια: si nimirum emendi copia negetur. Secundæ regulæ æqvitas per se patet: nec tertia obscuritate premitur. Unde, qvoad loci pacati in bello occupationem, elicit. 1. certum, non imaginarium, hostis cum irreparabili dãmno invasuri, instare debere pericu-

Grotianæ cautiones.

lum. 2. nihil ſumendum, qvod non ad præcavendum damnum ſit neceſſarium. Nudam igitur loci cuſtodiam, relictâ vero domino juriſdictione & fructibus, ſumendam. 3. Animo reddendæ cuſtodiæ, ſimul ac illa neceſſitas ceſſaverit, ſumendam. qvia malum hic, inqvit, qvicqvid vel minimum abit à neceſſitate.

Naves attentæ.

Aliud eſt exemplum aliena uſurpandi, navium vel ad uſum militiæ, vel tranſvectionis ad uſum retentarum. Hiſpanorum reges, nec ii noſtro ævo ſoli, naves Hamburgenſium, Lubecenſium, Dantiſcanorum, ut iis pro onerariis vel etiam militaribus uterentur, non ſemel attineri juſſerunt. Graviori, qvam ad bellum inferendum, causâ pulſus Xenophon, pontum trajecturus, navium captarum merces non attigit, nautis & pretium vecturæ & alimenta præbuit. Qvod cum utilitate innoxiâ, qvam ad poſtremum Grotius exigit, egregiè convenit.

CAPUT XIV.

DE TRANSITU INNOXIO, ET ALIIS QVIBUSDAM.

Datur & occupatio terræ alienæ tranſitoria, & huic vicina momentaneæ commorationis.

NEutra fit terram occupatam retinendi, nec in perpetuum commorandi animo, ſed in exiguum vitæ aut commoditatis uſum.

Tran-

Transitoria, qva ager alienus transitur, est vel armata vel inermis.

Armatam hic accipio, non unius aut alterius iter facientis accincto gladio transitionem; sed qvæ bellum movere possit catervam.

De armato transitu qværitur: An terra omnis transituris jure pateat?

Asserit Grotius, ad jus antiqvum incipientis orbis respiciens: *qvia dominium introduci potuit, cum receptione talis usus qvi prodest his, illis non nocet.* Grotiana sententia. Languida ab eo qvod fieri potuit, ad necessariam probationem, illatio. Maximè cum contrariâ gentium consvetudine eam assertionem refutari cernamus. Facultas enim transeundi, persæpè repulsa, veterum & nostrorum more, petitur. Aliud agens Isidorus, inter Fas & Jus, id est, legem *Grat. dist. 1. c. 1.* divinam & humanam, distingvit. E qvo distingvendi fonte, *transire per agrum alienum fas est, jus non est.* Nec jus illud humanum ratione destituitur, nec divino nondum demonstrato contrariari videtur. Aut enim de impetitione nostri & agri excussa. læsione securi sumus, aut metu læsionis accipiendæ suspensi. Si non inanis metus imminebit; arcere aditu armatos, qvam intra fauces ditionis admittere, consultius. Si nobis non vano promisso cavetur: aut amici sunt, aut inimici, aut neutro jure nobis addicti, qvi armis petuntur. Amicis

latronum examen immittere, cum propulsare discrimen à cervice eorum possis, in humanum, in fidum. Hostis adiri armato exercitu, non qvi debelletur, sed qvi ope contra quosvis alios confirmetur, atq; ita in decrementum nostrum crescat, poterit. Ut si qvis per Sarmatiæ citerioris regionem Russos, auxilium contra Tartaros Polonis fœderatos laturus, aut mercenariâ militiâ stipendia facturus, adeat. Neutro etiam vel societatis vel odii justi vinculo nobis devinctis, arcere pestem imminentem, maximè si injuriâ lacessantur, fas ipsum divinum exigit. Hominem enim hominis misereri, & calamitates ab eo pro viribus avertere, primæ ab orbe condito sanctionis videtur. Qvin & expostulandi causam vicinus, & de injuriâ conqverendi habebit; ad qvem patentem hosti transitum præbueris. Cum Joanne Saxoniæ duce Lubecenses, cœtu in eam rem convocato, expostulaverunt, *qvod per terram ejus violenti prædones venerint & abierint cum prædâ.* Ille se consilii & facti nescium, sanctè asseveravit: nec se earum virium esse, ut vias omnibus excludat. Sed plena sunt omnia secula, plena hominum vita, ejusmodi vel prohibitionum, vel non prohibiti aditus expostulationum.

Cranz. Vand. l. 13.

Textus Mosaici examinatio.

Nec Mosaicæ adductio historiæ tam expeditæ est facilitatis, ut transitum jure naturæ armatis debitum convincat. Nec enim legatos Moses transitum submissè petentes emisisset; si ipsi jure naturæ & gentium debebatur: nec aditum claudente Edumæo recessisset. Nec leges Amorræo, nec Edumæo Moses tulit: qvas sibi potiùs, securitatis illis pollicitatione, indixit. Justum verò ob aditum

Num. 21. & 21.

aditum negatum, bellum Amorrræo illatum, nec sacra scriptura commemorat; nec Augustini autoritas extorqvet. Qvin Sion ipse, pacificâ legatione spretâ, obviam Israëlitis nullâ injuriâ cognitis in desertum usq; profectus, bellum pacatis intulit. Hæc vera belli, & ex eventu belli terræ subactæ, causa. Nec alteram mihi causam spreveris: Amorrhæum, maledictam Canaanis propaginem, in excidium Israëlitis divinâ execratione deberi. Parum igitur ex hoc Mosaici contextus loco Grotianæ conjecturę subsidii; parum ad commonstrandam naturæ jussionem fundamenti. Nec tamen transitus permissio, justum ad bellum proficiscentibus data, naturæ adversatur. Et, si necessitas urgeat, vel vi iter patefieri nihil vetabit. Sic nobis Agesilaus, ad patriæ inflammatę incendium sedandum festinans, excusatur, percunctatus, ut amicum se an ut hostem transire vellent. idem ad Macedoniæ regem, deliberatutum se de permittenda transitione respondentem: deliberet, inqvit, nos interim transibimus. Superbiùs ab eâdem Spartâ Lysander: rectiśne se hastis transire vellent Bœotii, an inclinatis. Illam verò Clearchi legationem, *Domum ibimus, si nemo molestus sit; si qvis injuriam faciat, cum deorum ope arcere conabimur,* præter rem, propè dixerim, Grotius noster adducit. In hostili enim agro deprehensus, cum non consilio & deliberatâ operâ bello Artaxerxem lacessivisset, nihil aliud nisi innoxiam domuitionem petebat. Minùs ad rem facit Batavorum ad Bonnense præsidium legatio: *Si nemo obsisteret, innoxium iter fore: sin arma occurrant, ferro viam inventuros.* Perfugæ enim Romanæ

Naturæ dispensatio.

Agesilaus.

Lysander.

Clearchus.

Batavæ cohortes.

Tac. Hist. IV.

militiæ Batavi, communi gentium jure non agebant.

Prudentiæ magis eſt, qvam exacti juris, qvod à viro docto monetur: eſſe ad tranſitum permittendum rationes cavendi. 1. ſi diviſis manibus copiæ tranſmittantur. 2. ſi inermes. 3. ſi impenſâ tranſeuntis præſidia locentur. 4. ſi obſides dentur. Juſta qvidem, fateor, impenſæ exactio eſt: ſed ea aut à generoſis viris negligitur, aut à tranſeuntibus rarò perſolvitur. Albano ab Inſubribus & Campanis, ad qvos mari ex Hiſpania devenerat, in Belgium legiones rapiente, nec impedivere iter Galli, ut in regis Hiſpaniæ ditionem ſuſceptum; & tamen exercitum ad latus ejus circumducebant, ne qvâ à viâ regiâ ſe commoveret. Sumtuum autem refuſionem eo nomine exactam eſſe, aut ab Albano perſolutam, nõ traditur. Qvod ad poſtremum addit Grotius: *ſi hoſtes meos ſecum ducat, negare tranſitum potero*: & verum eſt; & eo nomine larva non rarò injuſtis actionibus inducitur. Franci, aliorum bello deſtrictorum negotia ſuam in occaſionem vertere ſolertes, tranſitum Romanis ad Venetos negabant. Obtentum prohibendo itineri adhibebant non ſatis ſpecioſum, qvod Narſes Langobardos ſecum haberet hoſtes Francorum. De tranſitu armato, pro rerum copiâ & temporum, ſatis.

Cautiones. Albanus. Franci. *Procop. Hiſt. Goth. lib. IV.*

Inermis tranſitus eſt vitam armis remotam ſectantium.

Ea vita eſt vel negotiationis, vel otioſæ peregrinationis.

Nego-

Negotium est vel mercium, vel alicujus administrationis.

Mercatura, magnum vitæ commodè agendæ fulcrum, itineribus interclusis impedienda non est.

Ne merces genere vel sumtu damnosæ, & animos civium cum corporibus enervantes, regno meo inferantur prohibere, nihil habet invidiæ. nec, qvibus cives ipsi indigeant, exportari non passim permittere culpatur. Transitum verò mercibus, nihil tibi & patriæ nocituris, adimere, communi hominum societati repugnat. Nisi peculiaris à tempore, aut loco, aut ab hominibus ratio accedat. *A tempore:* ut diebus publicâ solennitate festis: qvibus interqviescendum viatoribus. Nehemiæ istâ de re historiam consule. *A loco:* ut si per munitionem iter, qvod non longâ ambage circumduci poterit, non permittas. *Ab hominibus:* ut si ab hostium solo, non impetratâ veniâ, mercatore, & aurigæ veniant. Mercatura.

In recognitionem tamen dominii, qvod terræ transeundæ adhæret, vectigal non immoderatum solvendum. Aliud est pensionis genus, qvod pro viis reparandis, pro pontibus exstruendis, pro militari securitatis custodiâ expenditur. à qvo ne otiosè qvidem peregrinantes, ut studiosi literarum, semper exemti. Qvod de Rheni transitu pretio emendo Grotius, nihil meo judicio ad Vectigal.

rhombum. Rheno enim ſuo navigare, Germanis magis qvam Romanis licitum. Sed qvia ſuſpecti ſemper turbandæ pacis Germani erant, ad provinciales traniſteranos aut tranſrhenanos, abſq; cuſtodia & aliqvo militibus munuſculo ægrè admittebantur.

Adminiſtratio vel privatæ rei eſt, vel publicæ.

Privata, ut qvæ ſtrepitus in comitatu nihil adducit, parum hic attenditur. Publica, v.g. ſi prætor Romanus provinciam adminiſtraturus, gentem aliqvam à jure Romanorum liberam tranſeat; impediri non debet. Moris tamen & hic eſt, miſſa legatione tranſeundi liberam poteſtatem impetrare, qvod Ariſtophanes exemplis, fictis & veris, in Nephelo coccygiâ Avium illuſtrat. Patrum memoriâ Carolus V, pacato itinere Belgium ſuum ab Hiſpaniâ aditurus, commeatum à Galliarum rege petebat. Qvod qvia in adeundâ Campaniâ, ſpernendis Italis aut conſvetudine ignoratâ, Carolus VIII. Galliarum rex neglexerat: in reditu oppoſitam Italorum aciem, iter pro viribus intercludentem, habuit.

Carolus.

Peregrinatio eſt vel vaga & diſſoluta, vel honeſtæ cognitionis ergo ſuſcepta.

Vaga mendicorum, erronum, flagitioſorum, turbonum peregrinatio cum laude coercetur: ne & in otio ignavo confirmentur; & tuam vel alienam regionem vel morum tabe inficiant; vel mole-

Vagabundi.

molestia infestent. Multò magis gregalis Cygarorum turma, & similium hominum qvisqvilię, à vagandi per urbes & pagos licentiâ arcentur.

Honesta cognitionis ergo peregrinatio est rei literariæ studiosorum.

Seu qvicunq; gentes & aulas regum, status cognoscendi & prudentiæ addiscendæ causâ, freqventant. Hos favore nationes non barbaræ, & immunitatum impertiendarum proventu, prosequuntur. Qvi enim sunt altioris animi, & ad regendos alios nati, aut rerum sublimi contemplationi vacantes, digni honorificâ exceptione censentur. Hæc autem peregrinatio *honesta* sit ponet, ut in præcepto monui: non proditorio animo, non ad nocendum speculatorio, suscepta. Hæc enim non benevolam hominum cõjunctionem, sed odium & aversationem, sed pœnæ irrogationem deprehensa incurrit. Qvanqvam enim id genus hominum apud eos, qvibus operam suam impendit, ignominiosum non habetur: tamen iis plerunq; qvos adit, odiosum, & iis qvibuscum conversatur, suspectum est.

Peregrinantes.

Speculatores.

Momentanea terræ alienæ arreptio est vel necessitatis, vel commercii.

Momentum hic non mathematicè, sed cum latitudinis puncto accipio. Necessitate compulsi naufragi (nam istud genus hominum maximè

Naufragio ejecti.

commiserandum) terram alienam arripiunt. Istos arenæ aditu prohibere, inhumanū; spoliare verò,& ob prædam detrahendam truncare, sordidæ immanitatis. De Megapolitani crudelitate, nullâ cum laudis commemoratione, Cranzius: *Periclitatur interim navis de Norvagiâ piscibus onusta, sub litoribus Magnopolensis ditionis. Jussisse fertur princeps ejecta per litora bona colligi, & in suam ditionem, ad tempora discussi negotii, perduci. Detracta vestis naufragis: excisi digiti auro insignes.* O feritatem communis hominum naturæ oblitam, & vix in feris ipsis pertimescendam! Qvanqvam gentium qvarundam persvasione, naufragio amissa, aut naufragii metu ejecta, terræ vicinæ dominorum juri cedunt. Non ita Borussiæ priscis incolis persvasum, qvi aliorum commiseratione in mare provecti, laborantibus suo cum periculo suppetias tulerunt.

Vandal. lib. 14.

Borussi.

Aliud necessitatis genus est eorum, qvi hoste à tergo instante fugâ præcipiti in terram alienam impinguntur. Hos ut admittere fugientes plenum humanitatis habetur, ita non semper periculo recipientium vacat. Cimmerios fugâ effusos in Asiæ molliorem tractum Scythæ secuti, fertilitate terræ allecti, Asiâ non excesserunt. Sed his fortunæ procellosæ effusionibus, & à præcipiti nutu pendentibus, ægrè humana ratio medetur.

Bello pulsi.

Cimmerii.

Commercii causâ appellentibus commorandi usuram, dum merces suas distrahant, largimur. Hi non ab omni onere immunes, gentium recepto usu ad portorium solvendum constringuntur. Gentium, inqvam: nam omnibus juribus antiqvius jus naturæ eam pensitationem non exigit.

Portorium.

git. Non tamen ei naturæ jus omninò adversatur: maximè si modum non excesserit. Et esse enim populorum rectores, & eos qvodam opum splendore insigniri, natura facilè patitur. Communem enim omnium hominum libertatem tutari, sine levi aliqvâ libertatis imminutione, haud facile est. Diis etiam ipsis præjudicatâ opinione gentilis persvasio, imò & Deo cœlorum Mosaica non sine Dei præscriptione autoritas, sacrificia qvædam, decimas proventuum, & alia munera spontanea vel indicta obtulit. Nihil igitur iniqvitatis obtinetur, si Dei mundum regentis imaginem, regem aut sui juris populum, munusculis è lucri incremento qvæsitis placemus.

CAPUT XV.

DE VENATIONE, THESAURI ET SIMILIUM RERUM INVENTIONE.

Inventio est rerum, qvæ sunt nullius in bonis, fortuita aut etiam industriosa incursio.

SUprà Inventionem, ut rei à fundo separatæ, ab occupatione docendi gratiâ separavi. Nunc & Venationem, qvæ rei est fugientis persecutio, Inventioni meo qvodam jure, ob methodi concinnitatem, copulo. Venatio.

Inventio igitur est aut rei animatæ, ut venatio; aut rei inanimæ, qvæ propriè dicta inventio.

Venatio est animalium non domesticorum ad acqvirendum insectatio.

Sub venatione aucupium, piscationem etiam alii comprehendunt. Sed nos in nobiliori specie, qvæ generi nomen dedit, nunc otium teremus.

Venatio promiscui naturâ permittente juris est.

Cujus juris venatio. Non desunt tamen rationes, cur qvibusdam in locis, qvod juris communis erat, ad unum aut ad paucos restringitur. 1. Venatio est armorum qvædam in beluas, ut militia in homines, exercitatio. Jam ut militia non omni hominum generi, sic nec venatio convenit. 2. Nec est ex usu reipublicæ, aut arma passim omnibus permittere, aut agriculturam à rusticis venandi studio, officinas & tabernas à mediocri civium genere deseri. Maneat, qvibus vita omnis in armorum meditatione, honesti otii laboriosa recreatio. 3. In agrorum divisione saltus & ferarum lustra plerunqve sibi principes, ut peculiare patrimonium, sepositum exemere. Huc igitur pedem, feras capiendi animo, vel exteros inferre, vel imperio suo parentes, lege promulgatâ vetare potuerunt. Nam & qvæ sunt privati juris, arva puta, pomaria, & prata pascua, septæ aut consvetudinis interdicto ab omnium promiscuo aditu muniuntur. Qvod igitur suo in fundo agricolæ, nullius cum invidiâ, licet, in suo principi, aut viro nobili, non licebit?

Limitatio. Qvid igitur? nónne suo in vineto, suo in pascuo

aut

aut arboreto, venabulum capere aut sclopetum oppidano & ruricolæ non concedetur? Juri id conveniens videtur: saltem ad damnum avertendum: dum eo juris usu latiùs proserpens licentia non extendatur.

Qvæ à civili Romanorum jure, vel etiam è sacro codice proferuntur, facilis sunt solutionis, Romani enim nec omnibus nationibus jura præscribere potuerunt: & eorum resp. communi omnium libertate, propiùs ad naturæ simplicitatem accedebat, qvam neqvidem converso statu principes, dominationem non apertè professi, per omnia imminutum ibant. Armis & militiæ omnes cives, ante Augusti saltem ingravescentem ætatem, addicti erant. Venationi non multum vacabant; libero magis animi proposito, qvam libertate impeditâ. Opificum tabernas & officinas exteri ferè, qvi non erant in censu civium, aut etiam servi, implebant. Nec sibi sylvas aut senatus cum consule, aut cum hæredibus Augustus seposuit. Reip. igitur & status dissimilitudo, non omni populo conveniens, juris imparitatem generat. Exceptio prima:

Nec plus in sacrâ scripturâ, si qvis attentè consideret, pro vulgandâ venatione præsidii. Dominationem in feras humano generi Deus largitur; sed nimirum humano generi; non singulis hominibus. Nam & dominium in universam terram homini Deus impertit: nec tamen singuli homines ejusmodi imperium vel cupiunt vel capiunt. Nisi sapientem Stoicorum excipias: qvi universa possidet, sed animo, non jure ac dominio. Possessio ejus animo ac magnitudine æstimetur, non censu. Poterit & Esavi venatio, freqvens Altera. Gen. 1. & 9. Seneca: Benefic. l. 7.

Gen. 27. & patri Isaaco placita, nec à regionis principibus impedita, è sacro codice adduci. Sed qvis ita argumentaturis dabit, aut Esaavum non fuisse virum nobilem, aut fuisse terrarum ulli principi subjectum? Qvæ ex malitiâ animi ejus, contra occupationem venandi, patres Ecclesiæ argumenta vibrant, levicula sunt, nisi eâdem operâ omnem agriculturam, ob Cainum agricolam, improbitatis damnare velint. Facilè interim Patribus illis, & juris Canonici scriptoribus, concesserim; Venationem sacerdotes, inter qvos & Episcopi, & clericos qvosvis non decere. Animas illi, Christo ut capiti acqvirendas, venentur: saltus, & canes, & venabula militaribus viris relinqvant.

Clericis venatio interdicta.

Thesaurus inventus naturæ jure inventori cedit.

De thesauri inventione: Id enim qvod cuiqvam sine cujusqvam injuriâ Dei munere obtigit, ab alio potentiori ei eripi, fas non videtur. atq; id gentium consvetudine freqventatum, nisi peculiaris ratio obstiterit, deprehendo. Sed in hac thesauri vel fortuita incursione, vel effossione, regulæ qvædam observandæ.

Regulæ. 1. Ut res deposita propter vetustatem, cujus non extet memoria, domino se possidente careat. Nam si extet vel depositionis autor, vel ejus hæredes, frustrà inventio jactabitur. 2. Ut legitimis mediis, non incantatione, non arte magicâ, ad repertionem pervenias. Nam qvæ ob interdictum humanum & divinum pœnam incurrunt, prœmiis condecoranda non sunt. 3. Ut nihil in contrarium hac de re legibus civilibus, & principum edictis, consti-

constitutum sit. Nam in eo qvod est permittentis tantum naturæ, non etiam jubentis aut vetantis, qvædam superiorum ob bonum publicum admittitur determinatio.

Multum tamen in omnem partem interest, in suo qvis, an in alieno, thesaurum repererit. Nam si in suo: vel Christo judice inventoris manet id qvod inventum est. Inventus in loco alieno thesaurus, maximè si casu fortuito inventus, dimidiâ ex parte invenienti, alterâ ex dimidiâ soli domino debetur, qvod non tantum de loco privatæ possessionis; verùm etiam de loco communi, publico, sacro, religioso aliqvando intelligendum. A civili enim constitutione naturalis æqvitas, in ejusmodi nimirum rebus, determinatur. Inde fit, ut nonnullibi, nec id nupero ævi invento, quovis loco, aut saltem publico, inventus thesaurus ad fiscum aut ad publicum ærarium pertineat. Varietas. Matth. 13. v. 44.

Plato, & ante eum Apollo Pythicus, non fortunam cujusqvam, sed meritum & dignitatem sapientiæ spectabat. Extractum enim inter capturam piscium aureum tripodem, cum inter piscatorem & eos qvi jactû illum redemerant lis exorta fuisset, Apollo consultus reddi sapientissimo jubebat. Qvod qvidem in peculiari casu sapienter decretum, si qvicqvam in Apolline sapientiæ fuit, non debet omnibus repertionum temporibus perpetuam regulam præscribere. Plato non multum discrepans, aut magistratum in detectione thesauri adeundum, aut Phœbi oraculum consulendum, aut optimum qvenq; dignissimum deorum munere censendum, præcipit. Qvam viri eruditi sententiam pro rerum normâ seqvi, in- Plato singularis.

certitudo judicii, oraculorum abolitio, & optimorum difficilis dijudicatio prohibet. Tutiùs igitur vel æqvitatis naturalis præscriptum, vel juris civilis decisionem, vel probatam Germanis & Germanicæ originis nationibus consvetudinem seqvemur.

Succinum. Qvod ad pretiosa ejectamenta maris, qvalia in litoribus Borussiæ leguntur, cum antea colligentium incolarum essent, dudum gravissimi supplicii metu determinatum est, terrarum earum dominis ea accidere. Qvod & de auri ac argenti fodinis, præsertim locis in privatam sortitionem non delapsis, ritè pronunciamus. Mineræ.

Ut igitur modò dicta unum in fasciculum colligamus: naturâ suum jus qvodammodo remittente, & venatione sylvestri capta, & terris effossa vel in litoribus inventa, tacito vel extorto hominibus consensu, superiorum ferè juri reservantur. Nec ea constitutio vel suspicione iniqvitatis, vel invidiæ livore nimium premenda. Ut enim venerationem justam habet quicqvid excellit: ita excellentissima terræ & maris munera excellentiori naturæ adjudicantur.

CAPUT XVI.

DE USUCAPIONE, ET LONGI TEMPORIS PRÆSCRIPTIONE.

Naturales acqvirendi modos, qvantum ad institutum nostrum satis videtur, dispeximus. Civi-

Civilium præ cæteris insignis est Usucapio, & longi temporis præscriptio: cujus definitio è jure civili petenda.

Usucapio, Romani juris inventum, inter diversos populos & reges propriè locum non habet.

NEc enim vel à naturâ id jus usucapiendi introductum, nec gentium freqventato Usu. Non à naturâ: qvia, ut Grotius fatetur, tempus ex suâpte naturâ vim nullam effectricem habet: nihil enim fit à tempore; qvanqvam nihil non fit in tempore. Non gentium usu: qvia jus hoc totum est civilis inventionis, & Jurisconsultorum decreti.

Usucapio non juris naturæ.

non gentium.

Qvædam (si credis consultis) mancipat usus: inqvit Horatius, ad aliud jus efficacius provocare non ausus. Hoc qvamvis in aperto positum sit, tamen astipulari nobis Grotius non audet, maximum incommodum veritus, ut controversiæ de regnis regnorumq; finibus nullo unqvam tempore extingvantur. qvod non tantum ad perturbandos multorum animos, & bella serenda pertinere, sed & communi gentium sensui repugnare autumat. At poterit aliis modis, qvam præfinitâ annorum determinatione, gentium de finibus controversia extingvi. puta expresso aut tacito

l. 2. ep. 2.

Difficultatis amolitio.

consensu, derelictione, oblivione, metu & recu- perandi desperatione. Taciti consensus, & qvasi mutæ pactionis, modus qvidam est, legatorum mutua receptio, & amica publicis de rebus conventio. Ita non stricta temporis præfinitio, cui parere necesse sit, sed maturatio qvæ fit in tempore, ut annuis agrorum vicibus, ita actionibus humanis modum imponit.

Qvæ pro stabiliendâ opinione suâ Grotius ex antiqvis autoribus adducit, nos à sententiâ non dejiciunt. Historiam Jephtæ, trecentorum annorum possessionem Ammonitarum regi objicientis, primâ in acie collocat. Tantùm verò abest, ut Jephta hic ad diuturnam rerum per vim ereptarum possessionem provocet, ut apertè neget, qvicqvam terrarum Ammonitidarum Israelitas invasisse. Rei autem ab altero non possessæ, non controversæ, nulla potest esse usucapio temporis nulla præscriptio. Qvæ ex oratore Isocrate, de possessione longo tempore firmatâ proferuntur, speciem qvandam habent necessariæ probationis. Verùm ab umbratico declamatore, numeros compositæ orationis magis, qvam res non satis cognitas, expendente firma de rebus non est probatio petenda. Aliàs & ipsi fatemur, antiqvos ditionum terminos, nec hominum memoriâ in controversiam vocatos, non esse temerè movendos. Qvo pertinet illa Philippi Macedonis ad postulata Romanorum responsio: *Civitates qvas ipse cepisset, se liberaturum: qvæ sibi traditæ à majoribus essent justâ ac hæreditariâ possessione, se non excessurum.* nec enim aliud Græci, de novaturiente Philippo apud Romanos qvesti, desiderabant.

[Margin: Jephtes. Judic. 11. v. 15. Vide tamen Jos. 13. v. 25. Isocrates. Philippus.]

Sulpi-

Sulpitium autem contra Antiochum diſputantem, & iniqvum eſſe oſtendentem, ex eo qvod populi Græci in Aſiâ aliqvando ſerviiſſent, eos poſt aliqvot ſecula in ſervitutem aſſerere, facilè admitto. Non enim Antiocho unqvam, à qvo ſe libertatem uſucapiendo vindicaverint, ſervierant. Vindex enim Græcorum libertatis Alexander, & eum ſecutæ ducem præter Spartanos Græciæ civitates, jugum collo Aſiaticorum Græcorum demtum, Perſarum cervici impoſuerant. Qvæ igitur hic libertatis mancipandi, de qvâ Antiochus conqveratur, uſurpatio? qvæ juris, à nudâ temporis præſcriptione petiti, aſſertio? Sulpitius.

Magis ridiculus Artabanus, qvi veteres Perſarum ac Macedonum terminos, qvi poſſeſſa Cyro & Alexandro, *per vaniloqventiam ac minas* à Romanis repoſcebat. Qvid enim ad Perſas & Macedonas, qvorum in viliſſimâ ſervitutis parte fuerant, Parthi? qvid rebellis Arſacis progenies Artabanus? Aſiam ciſtaurinam Antiocho, Macedonum è ſtirpe regi, Syriam Tigrani Armenio Romani, non Partho qvi nunqvam poſſedit, eripuerant. Qvanqvam pari hodie ſomnio Turcæ jus in imperium Romanum, Franci in veteres Gallorum terminos comminiſcuntur. Hæc ſunt, qvæ μυθικὰς καὶ παλαιὰς ἀποδείξεις, fabuloſas & exoletas probationes, Diodorus; τὰ πρὸ Εὐκλείδου, Euclide vetuſtiora, Nicetas Choniates appellat. Ut ſi, qvia Germanorum potentiſſimi Svevi Julio Cæſari commemorantur, ſuo ex angulo egreſſi, veterem potentiæ amplitudinem repoſcerent. Parthorum imperator. Tac. Annal. 6. Turcæ & Franci.

Illud verò Ciceronis, *Qvam autem habet æqvitatem, ut agrum multis annis aut etiam ſeculis ante poſſeſ-* Offic. 2.

ſum, qvi habuit, amittat; planè extra oleam vagatur. De agrariâ enim lege, qvâ poſſeſſoribus antiqvis agri per injuriam erepti, perniciosa reip. largitione tenuioribus donantur, agit.

Leges agrariæ.

Locum Ciceronis plenum, non mutilum, non mancum adducam. *Qvi verò eſſe populares volunt, ob eamq; cauſam aut agrariam rem tentant, ut poſſeſſores ſuis ſedibus pellantur, aut pecunias creditas debitoribus condonandas putant, labefactant fundamenta reip. concordiam primùm tollunt, qvæ eſſe non poteſt, cum aliis adimuntur, aliis condonantur pecuniæ: deinde æqvitatem, qvæ tollitur omnis, ſi habere ſuum cuiq; non licet. id enim eſt proprium, ut ſuprà dixi, civitatis, atq; urbis, ut ſit libera, & non ſolicita ſuæ rei cujusq; cuſtodia.* &c. *qvam autem habet æqvitatem, ut agrum multis annis, aut etiam ſeculis ante poſſeſſum, qvi nullum habuit, habeat, qvi autem habuit, amittat?* Mirabile videtur, quod non videat haruſpex, cum haruſpicem viderit: ait idem Cicero. hoc mirabilius, Grotium riſum tenere potuiſſe, cum Ciceronem pro uſucapione teſtem adduxit. præſertim cum eo Ciceronis loco de civitatis ejuſdem & urbis, nō diverſarum gentium & regum movendis poſſeſſionibus agatur. Inde etiam manifeſtum fit, qvâ fide vel quo judicio locum Flori in Annotatis adducat: *Tamen relictas à majoribus ſedes ætate, qvaſi jure hæreditario poſſidebant.*

De nat. deor. l. 1.

lib. 3.

Aratus.

Nec verò feliciùs Aratum Sicyonium; pro confirmandâ diſcrepantium imperio populorum præſcriptione, obtorto collo attraxit. Legatur modò de eo Plutarchus, & in officiis Cicero: citiùs Epicuræum Deum Chriſtiano, qvam ejus beneficentiam uſucapioni Grotianæ convenire fatebe-

fateberis. Qvo verò ſaltu ab Arato ad Auguſtum, à ficta uſucapione ad præſentem reip. ſtatum delabitur? Laudo Auguſti effatum: eum virum bonum ac civem eſſe, qvi præſentem reipublicæ ſtatum mutari non vult. Annuo Alcibiadi, qvi qvam reip. formam accepit, eam pro viribus tuebatur. Subſcribo Iſocrati, τὴν παροῦσαν πολιτείαν διαφυλάττειν, præſentem rerum figuram conſervandam, monenti. Nec repello oratorem: otii & concordiæ patrono convenire, defendere ſtatum reipublicę, qvi qvoq; tempore ſit. Utraq; Livium amplector: optimum qvemq; præſenti ſtatu gaudere. Sed qvid hæc ad uſucapiendi, & qvidem jure gentium, introductam licentiam? præcipitare iſtuc qvidem eſt, non deſcendere: & ſaltu à poſſeſſione deſultoriâ, non gradu, ad res toto orbe diverſas promoveri. Status reipub.

Et hæc qvidem ita ſe habent. Qvia verò præcipuum Uſucapiendi fundamentum in derelictione Grotius ponit: qvæſtionem unam aut alteram huc pertinentem, qvarum alia aliam generat, enodat.

QVÆSTIO I.

Unde deſerendi, vel alteri tradēdi, animus dignoſcatur.

Qvæſtionis hujus, intricatè tractatæ, intricatiùs motæ, explicatio è tenebris nobis eruenda.

Declaratur tali in re animus VERBIS, FACTIS, aut medio inter Verba & facta SILENTIO.

Verba vel dubiæ ſunt ſignificationis, vel efficacis & obligatoriæ. Dubii ſenſus verba ſunt, qvæ Verba animorum indices.

probabilem habent, non mathematicam certitudinem: ut in re indicanti non adversâ: qvia eloqvi aliud possunt homines, qvam qvod volunt & sentiunt. Expressi sensus, & efficacis ad obligationem sunt, qvæ sufficienter expromta, adversus eum qvi indicavit faciunt.

Facta. Facto intelligitur derelictum variis modis. 1. abjectione. 2. chirographi redditione, qvâ debitum remissum censetur. 3. voluntario cum possidente rem meam contractu. 4. acceptilatione. ad qvam Grotius reducit, si qvis inferiorem lege solvat, concedendo id vel imperando, qvod nisi lege solvatur, facere licitè non potest.

Sed hæc exceptionem interdum admittunt. nam si qvis temporis causa & reqvirendi animo abjiciat, rapienti jus nullum possidendi nascitur. sic si chirographum qvis reddat, vi aut errore extortum. *Pignus.* Sed an & pignoris redditio nomen contractum dispungit? Non censemus: qvia diversæ hæc sunt naturæ. & qvædam pignorum genera ante solis occasum restitui, lege Mosaicâ præcipitur: *Exod. 22. v. 26.* qvâ tamen restitutione debitum non extingvitur.

Silentio etiam res amitti censetur: nam qvi sciens & præsens tacet, videtur consentire. qvod *Silentium.* non ad res tantùm corporales refertur: sed & ad ea qvæ in animo circa corpus consistunt: ut est maritalis tori abstinentia. cujus votum si pater *Num. 30.* puellæ, vel nuptæ maritus, tacendo non infregerit, ratum habebitur. Sed ut silentium ad derelictionem obliget, reqviritur. 1. ut sit silentium præsentis, non corpore tantum, sed animo, attentione, & intellectu. Nam si qvis alias res agat, aut qvid

qvid geratur non intelligat, silentio suo non alligatur. 2. ut sit liberè volentis. nam ob loqvi non ausi, aut non permissi, non est obligatorium silentium.

Silentio etiam usurarum exigendarum diuturnam intermissionem accensent: & huc trahunt illud Pii imperatoris: *Parum justè præteritas usuras petis, qvas amisisse te longi temporis intervallum indicat: qvia eas à debitore tuo, ut gratior apud eum videlicet esses, petendas non putasti.* cujus edicti æqvitatem examinare, non est præsentis otii. Usuræ intermissio.

Medii inter verba & facta generis est agendi cessatio, & perseqvendæ rei desperatio. *Sic amissum censetur, cujus recuperandi spes projicitur.* Exempla in porcis à lupo raptis, & in naufragio amissis præbentur. Qvies & desperatio.

Fundamento usucapiendi in derelictione strato, robur à tempore, cujus magna in utramq; partem vis est, accersitur. Tempus qvidem illud in jure gentium (si qvod hic usucapiendi vestigium) ut & populorum consvetudo, arbitrarium est, non spatio certo definitum. Qvia tamen tempus memoriam excedens qvasi infinitum est moraliter, & communis vitæ humanæ terminus centum annorum anfractu clauditur: hoc spatium Grotio ad finiendas lites placet. Nostræ qvid sit sententiæ, initio capitis hujus ostensum est. Seculum.

Contra derelictionem, usucapionis legitimæ matricem, objectionem sibi dissolvendam Grotius movet: cum homines se suaq; ament, non debere eos credi qvod suum est jactare. Solutio difficultatis petitur. 1. ab hominum nonnullorum ingenio, qvi rei caducæ causâ nolint hominem Prolepsis.

alterum in perpetuo peccato versari. 2. ab onerosâ imperiorum administratione, multum molestiarum habiturâ. 3. ab incommodo ad remp. ex digladiantium pertinaciâ venturo. 4. ab Antiochi Syrorum regis dicto: se gratias Romanis agere, qvod nimis magnâ procuratione liberatus, modicis terminis uteretur. 5. à certitudine imperiorum, firmâ in sede ponendorum. qvia ea extra controversiæ aleam constitui, humanæ societatis interest.

Epictisis. Speciosè hæc & eruditè dicuntur: sed qvæ paucis hominum ingeniis persvaseris. Plures regnandi prurigine illud Oedipoclæ in animo ferunt:

——— ——— ——— pro regno velim
Patriam, penates, conjugem flammis dare.
Imperia pretio qvolibet constant benè.
in Senecæ Thebaide.

nec seriò Antiochus, cupiditatis nimium extentæ voto à Romanis dejectus jocatur.

QVÆSTIO II.

An nondum natis jus suum tacitè tali derelictione possit decedere?

Hoc sive neges, sive affirmes, nodo implicatus
Salebra. hærere videberis. Neganti ogganietur: controversias ita, manente litigiorum causâ, non sopiri. Affirmanti regeretur: silentium aliorum his qvi loqvi non possunt non nocere: nec factum aliorum aliis damno esse posse. Luce clarius est, & omni

omni interpretatione evidentius, qvod ad incidendum nodum respondetur: *ejus qvi nondum natus est nullum esse jus, sicut nec ulla sunt accidentia rei non existentis.* Liberi enim à parentibus, posteri à majoribus suis, ut vitæ originem, ita vivendi facultates nanciscuntur. nec possunt de ademto sibi jure qveri, qvod nullum, nisi per manus parentum traderetur, habuerunt. Nam qvod civilem juris fictionem nonnemo objiciat, ut lex eorum qvi nondum nati sunt personam interim sustineat, nihil agit. in naturali enim jure, non in civili, versamur: &, ubi privata utilitas publicæ repugnat, à civilitatis favore recedendum est. Nam & in feudis, qvæ juris qvidem publici, civilis tamen & arbitrarii sunt, vestigia ejusmodi rigoris deprehenduntur. Ad vitandam enim dominiorum incertitudinem leges, utcunq; nondum natis favorabiles, publicæ magis rei qvam privatæ succurrunt. Expeditio.

QVÆSTIO III.

An lex de usucapione aut præscriptione, condita ab eo qvi habeat summum imperium, pertineat etiam ad ipsum jus imperii?

Negat, nec sine ratione negat, Grotius: meritòq; eorum temeritatem explodit, qvi qvæstiones de summo imperio è jure civili decîdunt. Sed qvod, multorum assensum tracturus, pergit: *Se per modum legis, id est per modum superioris, obligare*

Fluctuatio Grotii. *nemo potest*: nodo suo non caret. Qvem nec distinctiunculâ secuturâ plenè dissolvit: posse qvem obligari *per reflexionem*, qvà pars est communitatis ex æqvitate naturali, qvæ partes vult componi ad rationem integri. sed hoc hic locum non habere, qvia legis autorem hic consideramus, non ut partem, sed ut eum in qvo virtus insit integri. Hoc est non considerare, sed qvasi sortiri, qvid loqvare: ut Cotta ad Vellejum Epicuréum loqvitur. Se enim qvis ad regia officia, in causis regni, ergo ut regem, obligare, lege nimirum & ratione, potest.

1. Sam. 14. Saulis qvod adducit (mitto, an regni initiis) generosum magis, qvam consideratum, facinus; an inter imitanda regibus, an verò ab imitatione rejicienda, laudari debeat; etiam Theologiæ mystis cogitandum relinqvo.

Vera decisio. Alio igitur è fonte satisfaciendum qvæstioni solvendæ est: nimirum qvia *summum imperium non est paris rationis cum rebus aliis: imò nobilitate suâ res alias multum excedit.* Nam si usucapio & præscriptio ad gentium jura se non extendit: multò minùs ad apicem juris gentium, imperiorum majestatem, tela sua vibrabit. *Unde seqvitur, neq; tempus lege definitum sufficere ad acqvirendum summum imperium, aut partem ejus necessariam, si desint conjecturæ naturales,* &c. An verò populus in ipsa imperii delatione possit voluntatem suam, de amittendis non utendo imperii habenis, exprimere: ventilationis hujus esse non arbitror. De non appellandi, qvam hic obliqvè Grotius tangit, consvetudine, post Carpzovium & alios, in Principe absoluto egimus.

QVÆSTIO IV.

An omni tempore licitum subditis in libertatem, eam scilicet qvæ populi est, modò adsit facultas, se vindicare?

Distingvendo, ut multæ aliæ, ita & hæc qvæstionis liticula dirimitur. Aut vi partum est imperium, aut voluntate obseqventium delatum. Qvod vi partum est imperium, vi posse dissolvi, libertatis amantium sententia est. Ita Antonium, consularis potestatis abusu in libertatem civium debacchantem, opposita ad Mutinam vi cervicibus suis Romani depulerunt. Aliæ nationes servitutem pati possunt, populi Romani est propria libertas: inqvit orator animosus. Pergunt nonnulli differendi audaciâ: qvod ex voluntate sit profectum, in eo pœnitere licere, & voluntatem mutare. At hoc ne in privatis qvidem contractibus, nisi utriusq; partis consensu, licet: qvantò minùs in potestatis, & qvidem summæ, conventionibus. Qvod se venundari semel passum est mácipium, à pacto resilire, & ad libertatem amissam reverti, salvo jure & scapulis non potest. Sic qvæ voluntatis fuit primo ingressu deditio, à nudâ voluntate deinceps non pendebit. Ac ne armis qvidem & vi subacti, pristinam libertatem semper cum laude aut cum veniâ recuperabunt. Audiatur in Romano senatu Italorum rebellium, qvam pœnam meriti sint interrogatorum, elata responsio: *Qvam merentur, qvi se libertate dignos cen-*

Vis vi opponitur.

Philipp. VI.

Patientia.

Liv. l. 8.

sent. Verum sit suo loco: *neq; eo loco, ubi servitutem esse velint, fidem sperandam esse.* Sed & Agrippæ ad Zelotas monitio audiatur: *qvi semel subactus deficit, non libertatis amans, sed servus contumacia plenus dicendus est.* Sed ne nimium aut voluntatem hominum deprimamus, aut omnem spem recuperandæ libertatis præsecemus: dantur utriusq; fortunæ, circumacto seculorum & animorum anfractu, revolutiones & circuli. In medio ut regionum, ita varietatum conditionis, cingulo habitatur: nec nimio solis appulsu zona nostra exarsit, nec perpetuâ nive obriguit.

Ibid.

CAPUT XVII.

DE MATRIMONIO.

Hactenus de rerum dominio, naturæ jure vel civili ratione acqvirendo.

Jus in personas est vel originarium, vel derivativum.

Jus in personas, gentium moribus introductum, divinâ & civili sanctione confirmatur.

NE aures nimium in Latinitate delicatulæ sono *personæ*, pro homine acceptæ, offendantur: observandum, non Jurisconsultos tantum, & cum vulgo philosophos, verùm ipsum Ciceronem,

ronem, Latini sermonis accuratum artificem, eo significatu personam non uno loco accipere. Libro primo de Inventione: *Ex personis autem conjectura capitur, si ea res, quæ personis attributa sunt, diligenter considerabuntur.* Libro primo ad Herennium: (nam scripti ejus Tullium autorem esse, præter autoritatem virorum gravium, styli apertus genius indicat) *Illud genus narrationis, quod in personis positum est, debet habere sermonis festivitatem,* &c. Omnes locos adducere nec vacat, nec lectoris magnoperè interest. Utrum autem mutua personarum subjectio sit à primo naturæ ortu, vide Libenthalium quæstione, *Vtrum ante lapsum in statu innocentiæ Politiæ futuræ fuissent*, eleganter & eruditè disputantem. Si in futura beatæ vitæ conversatione, sublatis rerum & personarum dominiis, *Deus erit omnia in omnibus*: nihil absurdi conseqvetur, si idem in paradiso & naturæ integritate futurum fuisse credamus.

Persona.

Exerc. 1. qv. 15.

Polyteja innocentiæ.

Jus in personas originarium, est vel naturæ convenientius, vel ab eâ lōgiusculè recedens.

Naturam hominum hic accipio, qvales nunc sunt amissâ perfectione homines, à rationis ductu non planè resilientes. qvales Viros bonos & integros Romani, καλοκἀγαθὺς Græci appellitant.

Natura.

Qvod est naturæ hominum conveniens, est vel domestici juris, vel publici.

Qvod in domeſtico jure verſatur, eſt vel primæ radicis, vel à radice pullulans.

Primæ radicis eſt matrimonium, prima hominum conſociatio, & naturæ maximè conveniens.

Cœlibatus. Naturæ, ut ſine labe corruptionis, ita ſine excellentiæ gradu conſideratæ. Puri enim cœlibatus vita, virginitas Theologiæ ſcriptoribus, ingeniorum ſublimioris vitæ capaciorum eſt. *Cyprian. De diſcipl.* *Virginitas qvid aliud eſt, qvam futuræ vitæ glorioſa meditatio?* Pudicitia flos morum, honor corporum, decor ſexuum, integritas ſangvinis, fides generis, fundamentum ſanctitatis, præjudicium omnibus bonæ mentis: inqvit magiſter Cypriani, libro De pudicitiâ inſcripto. *Tertul.* Qvanqvam & ſua matrimonio pudicitia eſt; poſtremum tamen in pudicitiæ locum rejicitur. *Cypr. d. l.* *Pudicitia locum primum in virginibus tenet, ſecundum in continentibus, tertium in matrimoniis.* Non me fugit, eſſe qvi dubitent, an librorum Cypriano adſcriptorum tomus tertius ab eodem autore veniat. Sed ſive ab eadem ſit manu, ſive ab alia: pium & eruditum virum ſtylus & ſententiarum gravitas teſtatur. qvarum unam aut alteram, in rei evidentiam, producam. Sententiæ Cypriano dignæ. *Qvi cupiditates tollit, & metus ſuſtulit.* dicto de diſciplina & bono pudicitiæ libro. *Iſta qvidem ſuperiora agmina nobis prædi-*

cant

cant, non indicant Deum. ad Cornelium Præfatione. *Sive Judas sive Paulus baptizat, Christus peccatum lavat.* tractatu De Baptismo Christi. *A Patre potentiam, à Filio sapientiam, à Spiritu Sancto accipimus innocentiam. Pater eligit, Filius diligit, Spiritus Sanctus conjungit, & unit.* eodem de Baptismo Christi libro. *Ejus igitur carnis hujus qvædam aviditas est, & qvoddam desiderium manendi in ipso.* De Cœna Domini. *Derelictorum personam gerens in cruce, se qveritur derelictum.* ibidem. Plura vitando tædio non congero, Sunt qvædam sub finem operis, qvæ nec Cyprianum nec antiqvitatem illam sapiunt: ut De XII abusionibus Seculi, Cœna: sed propter appendices totum opus rejicere, non est considerate agentium.

Qvo sensu matrimonium naturæ sit conveniens, apertum est; scrupulus de imperio unius in alterum nondum exemtus videtur. Mulierem qvidem naturâ parére, & viri moderatè regentis ductum seqvi; corporis & animi infirmitas, & seqvioris conditio sexus declarat. Viro præterea autoritatem temporis prærogativa, qvam non inaniter Apostolus urget, conciliat. Temporis enim magna, ut ad maturitatem rerum, ita ad honorum prælationem, potentia. Qvod & in successionibus ab intestato, inter ejusdem naturę & conditionis fratres, in ipsa imperiorum partitione, observatur. De Jovis, ob ætatem Neptuno & Plutoni prælati, absoluto in omnes imperio Homerus;

Mulier in potestate viri.

1 Tim. 2. v. 13.

Iliad. ν.

Ἦ μὲν ἀμφοτέροισιν ὁμὸν γένος, ἠδ' ἴα πάτρη,
Ἀλλὰ Ζεὺς πρότερος γεγόνει, καὶ πλείονα ᾔδη.

Una qvidem generis radix erat, una propago:
Juppiter ast natu, rerum superabat & usu.

Socrate cenſente, apud omnes nationes & omni tempore receptum fuit, Τὸν πρεσβύτερον ἡγεῖσθαι παντὸς καὶ ἔργυ καὶ λόγυ, *ut ætate præcedens omnibus in actionibus & ſermonibus priores habeat.* Ergo nihil iniqvi, vel ob hanc rationem, gentium conſvetudo naturam ſecuta introduxit, ut præcedentem maritum obſeqvio nupta ſeqveretur. Accedens peccati primi lapſus, manante à muliere malorum gurgite, mariti imperium pro capiſtro exorbitanti affectibus mulieri impoſitum eſt.

Xenoph. Memorab. 2.

Gen. 3. v. 16. 1. Tim. 2. v. 14.

Matrimonio in jure belli locus.

Cauſa, cur in hac de jure belli tractatione de matrimonio agamus, non nimium in obſcuro jacet. Conjugibus enim negatis, per vim abreptis, inhumaniter tractatis, freqventer bella excitantur. Belli Getis inferendi prætextum Darius, petitam in matrimonium regis filiam, qvaſi repulſam dolens, arripuit. Eadem cauſa, ſed ſinceriori petendi affectu, Anglis aliqvando Scotiam irrumpendi fuit. De Danorum freqventata bellandi conſvetudine Cranzius: *De nuptiis ſolet eſſe prima hujus gentis pugna.* Rapta alieno è toro Helena, Trojanis calamitatis perferendæ, Homero ſcribendi venam præbuit. Ob Laviniam Turno ſperatam, Æneæ promiſſam, bellum in Italiâ exarſit. Aliqvando & affinitas ipſa, deſertione vel qverelâ obortâ, aut etiam prætextu ſpecioſè arrepto, ſangvine conjunctos reges bello concuſſit. Habet igitur, & utinam non haberet, in hoc theatro belli ſedem matrimonium. Cujus natura, & intricati nexus, è jure eâ de re ſcripto, & maximè pontificio, petenda. Nos, ut in mari diffuſiùs patente, vela contractiùs pandemus.

Dania libro 2.

Matri-

Matrimonium est legitima viri unius & fœminæ, sancto consensu copulatorum, cum corporis & fortunarum communicatione, & spe progenerandæ sobolis, consociatio.

Cohabitationem maris cum fœminâ, qvæ fœminam constituat qvasi sub oculis & custodiâ maris, Grotius minùs plenè, & tamen exorbitanter, appellat. Maris enim nomine & pueri impuberes, imò infantuli, minus ad ineundum matrimonium idonei, veniunt. Præterea fœminæ sub oculis & custodiâ marium etiam extra cõjugium constitui solebant: parentum puta, tutorum, agnatorum. *Majores nostri nullam ne privatam qvidem rem agere fœminas sine autore voluerunt: in manu esse parentum, fratrum, virorum:* inqvit in senatu Romano Porcius. Plenior est vulgata matrimonii, qvam Lancelottus Institutionibus Juris inseruit, definitio. *Matrimonium est viri & mulieris conjunctio, individuam vitæ consvetudinem continens, cum divini & humani juris communicatione.* Ubi si juris divini communicatio ad ejusdem in cultu religionis necessitatem extenditur: nimis arcto libertas matrimonii repagulo constringitur. Nec mulier Judæa Esther in matrimonium Ahasvero, more Persarum ignem & sidera adoranti, sed in concubinatum dedita fuisset; si sacra matrimonium dirimerent. Nec Rebeccam Isaaço, nec

Matrimonii descriptiones.

Liv. l. 34.

Institut. l. 2. t. 9.

Religio.

Esther. c. 2.

Gen. 24.

Gen. 29. Leam & Rachelem Jacobo nuptas, ante sedulam mariti informationem, Deum verum non fucatâ Gen. 31. religione coluisse, verisimile habetur. Imò post multorum annorum cohabitationem Rachel, sacris avitis etiamnum capta, patris idola furtim abstulit. Nec removere deastrorum simulacra Jaco- Gen. 35. bus jussisset, si nihil in cultu immundum superfuisset. Optanda qvidem est in conjugio maxima animorum in omnibus conjunctio: sin qvid labeculæ contractum est, seqvenda est a Paulo Apostolo præscripta regula. 1. Cor. 7. v. 12.

Nunc ad definitionis à nobis propositæ singulos artus brevi examine expendendos, & ad præsentem rei tractationem applicandos, accedamus.

Legitima] Legitima conjugia vel jure divino & naturæ, vel jure civili dicuntur. Jus divinum vel generale est, omnes ubiq; homines obligans, vel speciale, & ad certum hominum genus arbitrario mandato restrictum. Generali Dei mandato, naturali in honestate & verecundiâ radicato, genere nimium propinqvi conjugia inter se contrahere vetantur. Speciali sacerdotes ad ducendam virginem, immaculatam, & corpore illæsam, astringuntur. In gradibus propinqvitatis inter ascendentes & descendentes, generantes & qvi generati sunt, perpetua est conjugii contrahendi fuga. Neq; enim matrem cum filio, patrem cum filiâ misceri, naturæ verecundia admittit. Fratres & sorores mundi nascentis vacuitas, & generis mortalium propagandi necessitas, excusandos tegebat.. Reliqvi cognationis gradus & affinitatis, è jure pontificio plerumq; decidendi, qvo sunt remotiores aut propinqviores, plus maculæ vel minus

Levit. Conjugia interdicta.

nus contrahunt. Jure civili inter servos & servas, vel inter servæ conditionis & liberos, nuptiæ interdicuntur. qvod discrimen jura naturæ, homines ortu æqvales non discernentis, ignorant. Qvam secutus Hadrianus Archiepiscopus, æqvitati consentientem legem tulit: *Nec inter servos matrimonia debent ullatenus prohiberi, etsi contradicentibus dominis & invitis contracta fuerint, nulla ratione sunt propter hoc dissolvenda.* c. Dignum est. de conjugio Servorum. rectè qvoad dissolutionem: aliàs consensum dominorum servi meritò reqvirunt. Μήτε τεκνοποιῶνται οἱ οἰκέται ἄνευ τῆς ἡμετέρας γνώμης. *ne liberis operam servi dent, nostro consensu non impetrato:* Xenoph. Oeconomico. Socraticus paterfamiliàs præcipit. Meri Romanorum arbitrii, non æqvitatis naturalis fuit, qvod inter servum & ancillam. pro matrimonio *contubernium*, inter civem Romanum & ancillam *concubinatus* diceretur. Ex eodem juris fonte promanat, qvod qvi ex mulieribus essent peregrinis nati, qvibus cum nullum connubium Romanis esset, servorum in numero ducebantur. Laudat morem Apuliæ Plautus in Casinâ, ubi Prologo. majore operâ serviles nuptię qvam liberales etiam curari solent. Ita consvetudine, rerum humanarum imperiosâ dominâ, hæc talia reguntur.

Arbitrariâ ecclesiæ Romanæ constitutione Spiritualis cognatio. etiam ii à conjugio removentur, qvi cognatione spirituali conjuncti dicuntur: de qvibus passim Canonistæ. Qvasi enim nihil operæ in observatione Dei mandatorum esset, aggestâ operosarum observationum anxietate, hominum vitam superstitione nonnulli referserunt.

Viri] Ante enim annos pubertatis expletos, & Impuberes. ante creditam gignendi facultatem, conjugium

inire nec naturæ præscriptio, nec civitatum instituta patiuntur. An autem, ad inspectionem pubertatis, membra olim adulescentulorum nudata judicibus fuerint; de Romanis non ita res perspicua videtur. De Græcis, certè Atheniensibus, *in vespis.* nodum Aristophanes, modò fidem mereatur, dissolvit.

Παίδων τοίνυν δοκιμαζομένων αἰδοῖα πάρεστι θεᾶσθαι.

Nam datur hic puerûm genitalia membra videre.

Nostra ætas ut multa inconditæ antiqvitatis, ita & hæc ad honestiorem morem traduxit.

Viri & fœminæ] Neronianas enim cum Pythagorâ suo plusqvam flagitiosas nuptias, & auribus nedum oculis abducendas, natura mater exhorrescit.

Viri unius & fœminæ] Unam multis eodem tempore viris nubere, qvin indecorum sit, & matrimonii naturæ adversum, nulli ambigitur. Unum verò plures uxores licitè ducere, sunt inter viros Polygamia expenditur. doctos qvi contendant. Nos neutram in partem affectu inclinantes, seposito autoritatis momento, nudam veritatis ad trutinam rationem ambigentem, & oraculi divini ad claritatem mentis caliginem appendemus.

1. Vox ipsa *Conjugii*; συζυγίας Græcè, binorum arctam conjunctionem, nec diffusam in plures co-
2. habitationem arguit. Præter indecori rationem, amoris ardor ut in lacunam scintilla incidens langvescit, liberorum dissimilitudo & generis confusio exsurgit; rixæ inter ipsos, in parentes irreverentia, aluntur. Unde Rubenis cum novercâ incestus: nisi qvod pro externâ eam haberet? Unde in Josephum nefanda conjuratio, nisi ex invidia

invidia ejus qvi matrem cum nullo eorum communem haberet? Animi igitur internâ persvasione pleræq; gentes, immanitate nondum occæcatæ, singulis uxoribus contentæ fuerunt. Qvibus & Germanos, pro extremè barbaris fastui Romano habitos, Tacitus qvodam loco accenset. A Cecrope potiùs pro hac sententiâ stabiliendâ, qvod regum Græciæ antiqvissimus, qvam pro contrariâ, qvod primus unam uni viro conjunxit, argumenta ducuntur. Ut singulare quid Cicero orator observat; solere Persarum reges plures uxores habere, & his civitates certas attribuere. Sed ubi expressa Dei gentium conditoris instituta suppetunt, qvid rationibus humanis, humanæ qvid autoritatis pugnâ aërem lacessimus? 3. De M. G. Verrinâ 3.

In primo mundi ortu Deus auxiliatricem, unam nimirum, Adamo facturus, costâ unâ lateribus exemtâ, & vacuo spatio carne occluso, fabricatam mulierem ei in uxorem adduxit. Arctiùs qvam patri & matri hominem uxori adhæsurum, ambosq; unam in carnem coalituros, divina sapiêtia pronunciat. Non Adamo soli hoc dictum, qvi patrem & matrem non habuit, sed omnibus in universum conjugia inituris hominibus. Interpres legis paternæ & confirmator Christus, explicationis gratia & emphaseos ostendendæ, voces duas, οἱ δύο, addidit: *Et erunt duo in carnem unam.* Conclusionem prætereà annectit: *qvare non ampliùs DVO erunt, sed caro UNA.* Illam carnis in conjugio unitatem, & unitissimum animorum affectum, uxorum multitudo dissipat. Christi vestigia premens discipulus: *qvisq; SVAM uxorem habeto.* inqvit: *& qvæq; PROPRIVM* (τὸν ἴδιον) 4. Gen. 2. v. 18. & c. Matth. 19. v. 5. 1. Cor. 7. v. 2.

virum habeto. Qvod proprium eſt, cum aliis non
v. 4. communicatur, ideòq; pergit Apoſtolus: *Maritus corporis ſui poteſtatem non habet, ſed uxor.* Si poteſtatem non habet abſtinendi, invitâ uxore: multò minùs corporis cum aliis mulieribus communicandi. Plura ex hoc capite, qvæ ſunt in aperto, non aggero.

Ad Epheſios autem ſcribens Paulus, repetitâ Patris & Chriſti ſanctione, myſterium, Chriſti unà cum Eccleſiâ uniti, in hac conjugii unitate
Epheſ 5. v. 32. qværit. *Arcanum*, inqvit, *hoc magnum eſt; ego autem dico de Chriſto & de eccleſiâ. Illud* εἰς χριστὸν, verto *de Chriſto*: ut illud ad Hebræos, περὶ ὅν ἡμῖν ὁ λόγος: *de qvo nobis ſermo*: & alibi. Nec illud aſpernandum, qvod ad Timotheum epiſcopos & diaconos monet, ut ſint UNIUS vxoris mariti. non qvod
1. Tim. 3. v. 2. 12. ſolis hoc clericis præceptum ſit: ſed qvod illi ut ſobrietate & modeſtia, ita & conjugii ſimplicitate, aliis ad tantum faſtigium nondum provectis, exemplo vitæ prælucere debeant.

Objectio. His uſi rationum & autoritatum flatibus, jam in portu navigaremus; niſi gurges obſtaret legis Moſaicæ, & veterum qvorundam conſvetudinis, ſi non inenavigabilis, certè moleſtiis creandis vorticoſus. Hunc ut remis & velis annitendo ſuperem, qvædam generatim de gente Iſraëliticâ, alia ſpeciatim ad loca obſtantia veteris cum eâ gente fœderis dicenda.

Generalis nodi inciſio.

Generalis reſponſio. Deus ut populo è gentibus delecto, & peculiaribus characteribus inſignito, onera qvædã præter naturæ præſcriptum ferenda impoſuit; ita rurſus faſces ferendos, remittendo de obſervationis ne-

ceſſita-

tate, in qvibusdã laxavit. qvæ omnia, Christo dum promissionem exhibito, & septo natio- diruto, reformando mundum ad priscum ræ statum, sustulit. *Nec adimamus hanc Dei po- tem, pro temporum conditione legis præcepta refor- em, in hominis salutem:* uti eleganter Tertullia- Non jam urgeo ex eodem autore, qvod *lex ultione gladii se defendebat:* lex Evangelii n, & mutuam erratorum condonationem, s apertè flagitabat. Qvod *Sabbati qvoq; obser- temporalis*, cum reliqvis venturi corporis ris auferenda; transeat. Nec nimium hoc o, qvod pecorum mactatione areâ templi bernaculi, incensione ara qvondam fumi- : nunc, sacrificiorum æternorum antistite ito, *non terrenis sacrificiis, sed spiritualibus Deo um.* Nec illud hic intempestivè recoqvo, Mosis rituales tabulæ angustis unius populi s continebantur: *Christi autem regnum & ubiq; porrigitur.* Circumcisionem qvoq; ut s aliis nationibus communem, in præsens o. Multò minùs legem moralem, qvasi pe- gentis Judaicæ jugum, in medium profe- m *decem sermones illi in tabulis nihil novum do- d qvod ob literatum fuerat admonent.* Decimæ imperatæ, & tot Levitarum per otium a- um examina, nunc prætereant. Qvorsum um, piscium, pecorum, gustatu non insva- & reliqvis omnibus nationibus ad esum forum, mandata abstinentia? Mihi qvi- qvando in mentem venit, nec Rabbino , cui cogitata mentis Thoruniæ Borusso- erui, displicuit: non præcepti obligatione,

adversus Judæos.

Tertul. de cibis Judaicis.

Discrimen ciborum.

ad animarum salutem; sed medicinæ svasu, pronâ nimis ad lepram gente Israëliticâ, Deum hæc Mosi suggessisse. Sed qvia apud Prophetam suillæ esus, ut peccatum, labenti populo objicitur: huic interpretationi non inhæreo. Maximè cum alia, à nudâ Dei jubentis voluntate, & exercendâ cupiditatum abstinentiâ, accersi possit.

Tertullianeæ rationes. Qvoniam autem ad Tertulliani syrtem navis nostra adhæsit; qvid illi de hac Dei institutione visum fuerit, curiosum lectorem non celabimus.

1. Prima ei ratio in ceremoniali hominum, aut figuratâ in Christum, mundatione qværitur. *Ut homines mundarentur, pecora culpata sunt.* Proxima à si-

2. militudine morum, filiis Dei vitandâ, petitur. *In animalibus mores depinguntur humani & actus & voluptates.* V. gr. in porco immunditia, & voracitatis ingluvies; in aqvilâ & accipitre rapacitas; in lepore timiditas, vel coëundi lascivia. Qvo spectat & illud Tertulliani: *In animalibus per legem qvasi*

3. *qvoddam humanæ vitæ speculum constitutum est.* Tertia ejus ratio ad nostram interpretandi conjecturam, de frenandâ præceptis cupiditate, propiùs accedit. *Immunda multa sunt dicta: non ut illa damnarentur, sed ut isti coërcerentur, servituri uni Deo.* Qvo id fundamento asseritur? *Sanctitati enim inimica luxuria est.* Luxuria autem in varietate ciborum & svavium magis palato, qvam ventriculo salubrium, electione versatur. *Ad coërcendam ergo intemperantiam populi remedia sunt ista qvæsita, ut qvantum luxuriæ demeretur, tantum bonis moribus addetur.* Qvi enim palato cibis ingerendis nimiùm serviunt, cœli palatio qværendo non vacant.

Tolerantia divina. Aliâ ex parte qvasi infantibus, rudi ætate [illegible]

pæd

pædagogo castigandis, connivendo qvædam per tolerantiam Deus remisit. Ut sunt usuræ, qvò promtiùs tribuli & sacrorum eorundem participi parceretur, externo imponendæ: ut est libello dimissionis dato divortium: ut est, qvâ de nunc agimus, uxorum plurium habendarum impunitas. Qvę nunc omnia his Christi lecythis oblinuntur: *Matth. 19. 8.*
πρὸς τὴν σκληροκαρδίαν ὑμῶν ἐπέτρεψεν ὑμῖν, propter duritiem cordium vestrorum permisit vobis. &, *ἀπ' ἀρχῆς οὐ γέγονεν οὕτω, à mundi principio non ita fuit.* Cum igitur Christus & umbris ceremoniarum puriori luce discussis, & vitâ ad antiqvam innocentiæ integritatem reductâ, mundum collapsum instauraverit; cum supra laudato Tertulliano exclamamus: *Adv. Marc. lib. 4.*

O Christum & in novis veterem!

Speciacialis brevium enavigatio.

Ante Jacobum nemo piorum, qvod qvidem scripto memoriæ traditum sit, pluribus uxoribus eodem tempore se irretivit, nisi qvis fortè homicidam Lamechum, aut juris Lenticulæ qvam juris primogenituræ amantiorem Edomum, sanctorum catalogo comprehenderit. Nec propositum Jacobo, nec ex animo geminatum conjugium fuit. Rachelem animitùs amatam, sibi voto & pactione desponsavit. Leam error noctis, & parendi Labano necessitas adjunxit. Zilpha & Bilha pedissеqvæ, ancillarum in numero, non conjugum, fuere. nec sibi liberos educaverunt: nec Jacobo ut conjugi paruerunt, sed ut hero & possessori servierunt. Multarum in medio mulierum Salomo, uni cor propriè addixit: una de eo cantillat; *amicus meus MEVS est, & mihi adhærescit.* Sexaginta Salomoni reginæ, octoginta concubinæ

Particulares responsiones. *Gen. 4.* *Cant. 7. v. 10.*

erant:& virginum numerus ſubduci non poterat,
Cant. 6. v. 8. *Sed una eſt mea columba*, inqvit, *mea perfecta*. Pari fortaſſis ratione hoc tempore Eumenia, Byzantii Sultana, præcipua Muhammedi Qvarti uxor vocatur. Sic uni præcipuè animum David, ut jam
1. Sam. 1. vergentibus annis Batſebæ, addixerit. Hannam Elcana pro uxore, Penninam loco pellicis habuit.
Deut. 21. & 17. Qvæ de coërcendo vel amore in alteram uxorem, vel numero mulierum præcepta dantur; vix aliâ ratione, qvam indulgentiæ erga rudem fidei in-
2. Sam. 12. v. 8. fantiam, expediri poterunt. Eâdem indulgentiâ Deus uxores Saulis, ut nuptiis aliorum abſtineret, dederat. Fatetur Grotius, polygamiæ propugnator, Chriſtum ut res alias, ita & hanc conjugii, inter Chriſtianos ad perfectiorem redegiſſe normam. Laudat Romanos, duarum uxorum toro ſemper abſtinentes, ut qvi ad id qvod optimum eſt acceſſerint. Sed qvod interſerit. aliter facere nefas non fuiſſe: qvod *ubi lex non eſt, ibi nec legis tranſgreſſio*; crudum eſt. Lex enim naturæ, animis hominum inſcripta, etiam ubi non extant tabulæ, tranſgreſſionem oſtendit. niſi eâdem ratione adulterium, ante legem Moſaicam commiſſum, cum Ambroſio culpæ abſolvas. Et tamen extat
Gen. 2. viva Dei vox, in ipſa conjugii inſtitutione pro-
Pſal. 45. v. 11. mulgatâ. Qvam cum Pſalmiſtæ voce ſuaſoriæ interpretari, importuni ſacrorum interpretis eſt: &
Matth. 19. Chriſti confirmationi adverſatur. Et tamen ſi moraliter Pſalmum, de Chriſto & electis Deo, interpretemur: præceptum eſt, non arbitrariæ ſu-
Luc. 9. v. ult. ſceptionis nuda hortatio. Manu enim ſemel aratro impoſitâ, retroſpiciendum non eſt. In affecta-
v. 60. tione Dei, mortui mortuis, terreni terrenis relin-
qvendi

vendi sunt. Lothi uxoris, in Sodomæ terrenæ derelictione, reminiscendum est. Superna cum Christo resuscitatis, non terrena, qværenda sunt. *Luc. 17. v. 32.* *Col. 3.*

Viri unius & fœminæ] Laudem merentur, qvi defunctorum conjugum memoriam sepulcreto suo involventes, ad secunda conjugii vota non transeunt: qvi secus faciunt, culpâ non notantur. *Secunda Vota.* Elisabetha Ungarica, cujus monumentum Marpurgi conspicere est, ut, Ludovico Landgravio in expeditione Saracenicâ extincto, viro potentiori nuberet, persvaderi non potuit. Sanctimoniæ id ejus famam auxit, perpetuam monasticæ vitæ solitudinem eligentis. At fuere aliæ inculpatæ vitæ matronæ, qvæ iterum nubentes, domu regendâ & liberis alendis Deo inservierunt. Et hoc potiùs faciendum esse, viduis maximè ætatulâ ferv."entibus, Pauli Apostoli monitum est. Qvi hinc Episcopos excipiunt, sensum Apostoli non capiunt. *1. Tim. 5. v. 14.* *1. Tim. 3. v. 2.* Nihil enim hic peculiare episcopis, præter docendi dexteritatem, mandatum est. nisi & sobrium esse, temperãtem, modestum, hospitalem, æqvum, contumeliæ inferendæ & avaritiæ fugientem, reliqvis hominibus non incumbere credideris. Polygamiæ igitur eo loco, non deuterogamiæ, abstinentia omnibus hominibus tenenda, præcipuè alios docendi munere eminentibus mandatur. Atq; hæc partim de unitione non diffundendi conjugii, partim de iteratione non interdictâ, dicantur.

Sancto consensu] Τίμιος ὁ γάμος ἐν πᾶσι, καὶ ἡ κοίτη ἀμίαντος: *Honestum sit conjugium, & sine pollutione concubitus:* inqvit autor epistolæ ad Hebræos. *Hebr. 13. v. 4.* qvod non de actione tantum venereâ, qvalem-

cunq; illa obscœnitatis motum habeat, sed de ingressu nuptiarum immaculato accipio. Non fortuito speluncæ ingressu, ut Didûs cum Æneâ, flamma impudici desiderii restingvenda Hymenæum occipiat.

Clandestina conjugia.

Speluncam Dido dux & Trojanus eandem,

claudicantem spondeo versum poëta modulatur, paulo intervallo seqvuntur miserantes futuram calamitatem versus:

Æn. 4.

Ille dies primus lethi primusq; malorum
Causa fuit. neq; enim specie famáve movetur,
Nec jam furtivum Dido meditatur amorem:
Conjugium vocat, hoc prætexit nomine culpam.

Similem in se culpam Medéa agnoscens, frustra se ad recordationem honestatis stimulat:

Conjugiúmne putas? speciosáq; nomina culpæ
Imponis, Medéa, tuæ? qvin aspice, qvantum
Aggrediare nefas; &, dum licet, effuge crimen.
Ovid. Metam. VII.

Nec igitur fugam è patria Medéa, turpis amoris causâ, prodito patriæ honore castè arripuit: nec satis decorè cum fugiente nuptias Jaso celebravit. Nec felices ejusmodi nuptiarum eventus esse solere, plerumqve eventus docuit. Ut enim Æneas Didonem suas fortunas miserantem deseruit; ita Jaso furibundam externo in solo Medéam destituit. Qvanqvam Daphnis apud Theocritum furto lascivo, & secreto cum puellâ in sylvam secessu, gavisus, Veneri primitias adolescentiæ consecrat:

Idyl. 27.

Τᾶ παφίᾳ πρᾶτον ἐγὼ τόδε δῶρον ὀπάζω.
Hoc Paphiæ primum munus consecro juventæ:

Puella pudicitiæ jactæ statim pœnitens, alium non

non læto animo versum raptori occinit:

Παρθένος ἔνδον βέβηκα, γυνὴ δ' εἰς οἶκον ἀφέρψω:

Virgo domo veni: mulier nunc facta redibo.

Non igitur a libidine consensus, imò ne qvidem propter libidinem, piis ducendus. Plenus auxilii à Deo impetrandi fiduciâ Tobias, hæc verba precibus immiscet: καὶ νῦν κύριε οὐχὶ διὰ πορνείαν ἐγὼ λαμβάνω τὴν ἀδελφήν μου ταύτην, ἀλλ' ἐπ' ἀληθείας: *Jam domine non animo libidinis explendæ, sed syncerâ mente istam cognatam meam duco.* Scortationem enim, πορνείαν, & fœdum ac immoderatum uxoris usum vocabant. Tob. 8.

consensu] Consensu nuptias contrahi, inter civilis & pontificii juris doctores cōvenit, qvi consensus locum non habet, ubi metus vel coactio antecedit. *c. cum locum. De sponsalibus & matrimoniis.* An ergo & parentum consensus in contrahendis nuptiis reqviritur? Honestatis id est, & pii erga genitores officii, non ejus necessitatis, ut ubi consensio eorum non antecesserit, irrita sint matrimonia, & liberi nati pro illegitimis habendi sint. Qvod verò jure civili necessario consensus parentis exigitur: ex alio principio fluit, patriæ nimirum potestatis; qvæ tam astricta Romanis fuit, ut parum à servis, domesticis & familiæ in rebus, liberi distarent. Non ergo naturæ est, sed civilis Romanorum consvetudinis & sanctionis, qvod matrimonia à liberis contracta, patris dissensione dissolvi, aut pro non ratis haberi poterant. Eodem jure & liberti patronorum astipulationem, in nuptiarum contractu, exspectabant: qvod jus natura minimè introduxit. Consensus.

Qvanqvam hodie patria potestas ejus rigoris

non eſt: non tamen temerè eò deveniendum eſt, ut parentum voluntas in conjugio ineundo excludatur. Puellis maximè: qvarum pudori non convenit, maritum ſibi eligere. Piè apud Euripidem Hermione:

> Νυμφευμάτων δὲ τῶν ἐμῶν πατὴρ ἐμὸς
> Μέριμναν ἕξει, κοὐκ ἐμὸν κρίνειν τάδε.
>
> *Pater mearum nuptiarum nam meus*
> *Curam geret: non eſt mei res arbitrî.*

Cætera à jus utrumq; profitentibus, qvi latè in hoc campo vagantur, petenda.

Copula. *copulatorum*] conjunctorum. ſimul ad copulam carnalem, qvę eſt matronalis contractus conſummatio, reſpexi. Initiatur enim matrimonium ſponſione, conſenſu ratificatur, & copulâ conſummatur.

Lancel. Inſt. l.2. t.9.

Eccleſiaſtica copula.

Qvid de conſecratione nuptiarum, & ſacerdotali manuum conjunctione (qvod *copulare* vocāt) ſentiendum? Omnes piorum actiones à precibus, & nominis divini invocatione, initium capere, & utile & decorum eſt. Matrimonium verò tantò ardentiori precum conceptione indiget, quantò plus in utramq; vitæ partem momenti trahit. Nec temerę ritus tot per ætates recepti, & conſvetudo ſeculi turbanda. Neceſſitatem verò conſecrandi nuptias, & qvidem publicâ templorum ſolennitate, eo tempore factam arbitror, qvo inter Sacramenta eccleſiæ conjugium numerari cœpit.

cum corporum communicatione] Huc ſpectant qvę Paulus ad Corinthios, cap. 7. v. 3. 4. 5. An etiam leproſis, officium carnale exigentibus, ſolvēdum? Ita Decretales Gregorii cenſent, ex generali Apo-

Leproſi.

c. Qvoniam, De. conj. lepr.

ſto

oli præcepto argumentantes. Ego verba Pauli uc usq; extendi non arbitror: maximè cum sequatur: τοῦτο δὲ λέγω κατὰ συγγνώμην, οὐ κατ' ἐπιταγήν: *oc autem concessionis modo, non præcepti, dico.* Con- v. 6. lere enim rebus Corinthiorum, & libertatem uptialis voluptatis largiri, non laqveum conientiis injicere, non sanos corpore libidine præcepto coactâ inficere, Paulus voluit.

fortunarum communicatione] Qvæ in usu & conservatione, non dissipatione, consistit. Tractandum hic de dote erat, nisi ea res implicatioris esset negotii, & à multis tentati. Illud non omittendum, sine dote conjugium Romanos vix intellexisse. Dos.

Me germanam meam sororem in concubinatū tibi
Sic sine dote dedisse, magis qvam in matrimonium:

ait apud Plautum adolescens ingenuus. Qvan Trinum. qvam Menedemus, pauperis Euclionis filiam ducturus, aliter sentiebat: Aulul.

Dummodò morata rectè veniat, dotata est satis.

Et Alcmena, non tamen qvasi in Romano, sed tanqvam Thebano theatro: Amph.

Non ego illam mihi dotem duco esse, qvæ dos dicitur:
Sed pudicitiam, & pudorem, & sedatum Cupidinem,
Deûm metum, & parentum amorem, & cognatûm concordiam.

Qvas dotes principes quosdam in ambiendo conjugio sine reprehensione secutos, illustris familiæ sed inope sponsâ ductâ, memoriâ recolo. Sine reprehensione, inqvam: adjicerem, cum laude, nisi multorum subsannationes vererer. In auro enim, & in fundo locuplete, primas mortales ponunt; nec ejus unqvam terminum vel satietatem repe-

riunt. Omnium rerum vel tædium vel saturit[as] oboritur: sola pecuniarum sitis nec egendo, n[ec] potiundo expletur. qvod his versiculis, in ambu[-] lacro æstivo effusis, significo;

Ἔρωτός ἐστι κἀφροδίτης πλησμονή,
Ἐδεσμάτων τε καὶ ποτῶν καὶ παιδιῶν,
Αἰσθήσεων τέρψεις ἁπασῶν ἐς κόρον
Λήγουσι. πλούτου προσθέσεις δίψαν μόνου
Οὐκ ἂν μεθείη. καὶ γὰρ οὐ ψυχῆς τύχη,
Οὐ σώματος παρεισιόντων ἄπλεται.
Ἐλπὶς κενή, κενὸν λόγισμα χρήματα,
Παρόντα καὶ παρόντα τοὺς βροτοὺς τρέφει.

Spe progenerandæ sobolis] Hoc enim votum, hic fructus exoptatus conjugii. Unde intelligitur, concubinatum non verum esse matrimonium. Non enim ob sobolis educationem, nec individuâ vitæ societate, conveniunt. Libidinis explendæ, & scortationis promiscuæ vitandæ, concubinæ aluntur. Qvi qvanqvam olim impunis erat, hodie jure sublatus videtur. Præsertim cum rimam illam, scortationis vitandæ, justum matrimonium explere possit, docente Apostolo ad Corinthios, dicto suprà capite, v.2.

Concubinatus.

Scortatio vitanda.

Consociatio] Cui adversatur diremtio; qvæ inter desponsatos Repudium, inter conjugatos Divortium appellari consvevit. Vagam dimittendi uxores licentiam Christus, legem patris antiqviorem Mosaicâ respiciens, ad adulterii pœnam restrinxit. Matth. 5. v. 32, 19. v. 9. Apud Lucam vero ne adulterium qvidem excipitur: textu ex aliis locis clarioribus interpretando. c. 16. v. 18. Unde & Pauli ad Romanos locus, nihil excipiens, lucem fœnerabitur. c. 7. v. 2. Paulus, in tertio cœlo mysteria Christi edoctus, malitiosam desertionem adjungit.

Divortium.

ıngit. 1. Cor. 7. v. 15. Qvæ ab aliis adduntur conıgium, morbus incurabilis, odium emergens, ſterilitas, hęreſis, pactorum violatio, &c. probabili ıtione non carent: modò legem divinam faven- ım haberent. Cæterùm etiam apud Romanos adulterium cauſam divortio dediſſe, præter hiſto- rias Comicis teſtatur. *Amphytr.*

Nunqvid causa dicis, qvin te hoc multũ matrimonio?

Verba ſunt Amphytruonis ad Alcmenam, adulterii ſuſpectam. Innoxiè autem culpatis, qvalem eſſe rebatur Alcmena, divortium aliqvando etere licebat.

Valeas, tibi habeas res tuas, reddas meas.

ıben' ire mihi comites? Sed in priſcorum conſveıdine, qvæ jam diuturnitate extabuit, diutiùs on eſt inhærendum.

CAPUT XVIII.

DE POTESTATE

PATRIA, REGIA, DOMINICA.

Matrimonii fructus, & qvaſi à radice ejus pullulantes, liberi: in qvos regendos, & ab exorbitantiâ domeſtico imperio coërcendos, patria poteſtas diffunditur.

PRo ætatis & judicii teneritudine, aut robore, pleniorem in ſe vel remiſſiorem parentum poteſtatem recipiunt. Parentum, inqvam: nam

etsi patris imperium ob sexus prestantiam præfertur: non tamen ab omni regendi teneros autoritate matres excluduntur. Prima ergo ætas, qvæ suo se regere imperio, per imbecillitatem judicii & virium, nondũ potest, tota paterno freno subjacet. Hæc est inprimis illa ætas, de qva Apostolus ad Colossenses scribens intelligitur. Τὰ τέκνα ὑπακούετε τοῖς γονεῦσι κατὰ πάντα: *Filii obedite parentibus in OMNIBVS.* Seqvens ætas, qvâ jam judicium annis maturuit, ita paterno nutui se attemperat, ut æqvitatem mandatorũ cum verecũdiâ examinet. Τὰ τέκνα ὑπακούετε τοῖς γονεῦσιν ὑμῶν ἐν κυρίῳ. *liberi obedite parentibus vestris IN DOMINO.* Non alias tamen actiones, qvam qvæ ad familiæ paternæ aut maternæ statum aliqvid momenti habent, ad voluntatem parentum dirigi, mihi nondum plenè probatur. Sed ad tertiam status liberorum partem venio; cum à familiâ excesserunt. Hic jam sui juris filii, relicto patre & matre, uxoribus ex prescripto vel indulgentia divinâ adhærescunt. Omnes ætatum partes dominii in res acqvisitas capaces sunt: sed usus in primâ & exercitium impeditur. Semper autem, & omni vitæ tempore ac conditione, honor & pietatis officium, gratiæq; rependendæ animus, erga parentes remanet non exuendus. Nulla enim ætas, nulla vitæ conditio, naturæ exactam rationem, & sanctionem divinam de honorandis parentibus expungit.

Patria potestas.

Col. 3. 20.

Eph. 5.

Gen. 2.

Qvæ à Romano jure fluunt: de peculio liberorum, de vitæ ac necis & ter vendendi potestate, de emancipatione, de libertate matrimonii contrahendi restrictâ: peculiarem habent considerationem, in isto opere non pertractandam.

Publici

Publici juris poteſtas eſt regium, aut qvi in aliâ civitatis formâ majeſtate inſigniuntur, in ſubditos imperium.

De Summæ poteſtatis plenitudine, aut alligatâ legibus attemperatione, in Politicis ante editis, & pleniùs in Principe abſoluto egimus. Hic exaturato dapibus noſtris lectori apophoreta qvædam, è poëtarũ principis Homeri Iliade, apponemus. *Verſus de majeſtate Homerici.*

1. Iliad. α.

Βούλομ' ἐγὼ λαὸν σόον ἔμμεναι, ἢ ἀπολέσθαι.

Ipſe meam vitam populi poſtpono ſaluti.

Dictum eſt Agamemnonis, amatam ſibi Chryſeidem pro laborante peſtilentiâ populo redditu-ri. Qvo reges & dynaſtæ monentur, non ſibi diſſipandos, ſed cum periculo ſuo tuendos populos eſſe commiſſos.

2.

Δημοβόρος βασιλεὺς, ἐπεὶ οὐτιδανοῖσιν ἀνάσσεις.

Plebis opes comedens, qvia viles voce coërces.

Achilléa in Agamemnonem exacerbatio: qvo regi emungendi ſubditos licentiam, ſubditis degenerem animi patientiam ferociter exprobrat.

3. Iliad. δ.

Ἔρδ'· ἀτὰρ οὔτοι πάντες ἐπαινέομεν θεοὶ ἄλλοι.

Fac: ſine conſilio facies, ſine laude Deorum.

Jovis præruptam decernendi pervicaciam, non auditis procerum Deorum ſuffragiis, Juno amarulenter ſuggillat. Qvâ moderandi imperii ſuggeſtione Jupiter parum motus, alio in loco applauſum, id eſt ſuffragium ſine ſuffragio, ſimpliciter exigit. *Iliad. θ.*

—— —— —— ἀλλ' ἅμα πάντες
Αἰνεῖτ' ὄφρα τάχιστα τελευτήσω τάδε ἔργα.
—— —— —— *ſed ſimul omnes*
Plaudite, qvò celeri peragam decreta labore.

4. Iliad. ι

Ἀτρείδη, σοὶ πρῶτα μαχήσομαι ἀφραδέοντι,
Ἣ θέμις ἐστὶν ἄναξ, ἀγορῇ· σὺ δὲ μή τι χολωθῇς.
Rex ego, qvâ fas eſt, inopi tibi mentis Atride,
(Nec mihi ſuccenſe) conventus jure reſiſto.

Diomedis ad Agamemnonem, arreptâ navibus fugâ reditum in patriam à litore Trojano præ metu ſvadentem, verba ſunt. qvi Diomedes, qvando communis Græciæ dignitas agebatur, ſe cum exercitu reliqvo manſurum, ipſi viam patere audacter pronunciat.

Ἔρχεο, πάρ τοι ὁδός. —— ——
I, fuge: porta patet.

Sed hæc increpandi regem conſtantia non ſemper, nec omni in regno, uſurpanda. Reges in ſibi commiſſos populos Diomedes & Achilles erant: temporario belli ductu Agamemno præ cæteris inſignis erat. Et tamen dicendi libertatem Diomedes temporum & loci neceſſitate excuſat; juris emollitione, & iræ deprecatione delinit. Tempora liberam admonitionem, deſipiente ob formidinem Agamemnone, poſcebant. Forum & conventus indictio, ipſa loci tutela ſententiæ ſecuritatem muniebant. Emollitio ſententiæ verbis *qvà fas eſt*; excandeſcentiæ deprecatio aperta proponitur.

5. Iliad. ι

Ἑπτὰ δέ οἱ δώσω εὖ ναιόμενα πτολίεθρα.
Oppida culta dabo ſeptem cum civibus illi.

Promiſſio Achilli placando facta ab Agamemnone.

ne. Jus ergo alienandi oppida, Mycenarum in regione, habebat. Qvemadmodum Germaniæ reguli, Duces inqvam & Comites, provincias ut patrimonium suum, salvo tamen superioribus feudi jure, oppignorant, in dotem collocant, vendunt, donant, conjungunt aut discerpunt. Nec tamen barbaro regi donare oppida Græciæ Agamemno poterat, aut ita donare Achilli poterat, ut jura civium imminueret, facultates eorum auferendas projiceret. Non enim homines tanqvam oves, cum lanâ & visceribus vendendas, in proprietate dominii habebat. Ad reges enim potestas omniũ pertinet, ad singulos proprietas. &c. Omnia rex imperio possidet, singuli dominio. Cæsar omnia habet, fiscus ejus privata tantum, ac sua: & universa in imperio ejus sunt, in patrimonio propria.

Alienatio.

Seneca de Benef. l. 7.

Lectorem cum sportulâ à me dimissum, ad cœnam rectam Grotii in alterum diem revoco. Nec cupidum me epularum ejus, nec otiosum mensæ assеclam præbebo. Sapidos ab insipidis, salutares à noxiis cibos discernendo, intento digito monstrabo.

Summa potestas.

Grot. lib. 1. cap. 3.

Summam potestatem producit, *cujus actus alterius juri non subsunt, ita ut alterius voluntatis humanæ arbitrio irriti possint reddi.* Sufflamina lector assensum, donec prima cum extremis, cum mediis extrema contenderis. Qvanqvam limitationem velificationis ipso in portu subjicit: inter subjectum commune, civitatem; & proprium, civitatis rectorem, distingvendo. Benè etiam & accuratè ab hac summæ potestatis communicatione excludit populos, qvi in alterius populi ditionem concesserunt, qvales erant provinciæ Romano-

Subjectum.

rum. Hi enim ità membra sunt civitatis, ut servi membra sunt familiæ. in usum nimirum & adjumentum, non in dignitatis participationem, comparata. Nec sinistro judicio admonet: accidere, *ut plurium populorum idem sit caput, qvi tamen populi singuli perfectum cœtum constituunt.* Cum, Seneca monente, longum iter sit per præcepta, breve & efficax per exempla: exempla, qvæ in Grotio desiderantur, juniorum gratiâ subjiciam. Magnæ Britanniæ reges imperant, ita ut separata Anglorum regno, separata Scotorum jura constent: nec Scotia Angliæ, nec rursus Anglia Scotiæ obtemperet. Jernia verò (qvam Strabo vero sono pronunciat) serva Anglorum provincia, per eos regibus, qvi nunc Scotorum sunt generis, obedit. Daniæ reges Danis ut electitio regno, Holsatis ut feudo imperii, Normannis nullâ exceptione imperant. Sarmatarum nobis viciniorum reges Polonis ut in regno, qvoad nobilitatem, liberis; Borussis ut in tutelam receptis; Lituanis ut hæreditate possessis, Russis ut in societatem admissis, ductum & regiam defensionem præbent. Dicerem, leges & jura dant; nisi Borussi suis legibus uterentur; Polonorum nobilitas constitutiones in annos, rege tamen præsente, ferat & immutet. Qvæ autem inter ipsos nobiles controvertuntur, solo nobilium conventu Petricoviæ disceptata dirimuntur. Germanorum reges alio jure Germanis, alio Hungaris & Bohemis, alio suis Croatis, Tiroliis, Dalmatis imperare; in Germania nō peregrinis omni demonstratione evidĕtius est. Adderem & Hispaniæ, adderem Galliç monarchias: nisi longa dies multa ab antiqvâ populorū cōsvetudine im-

Epist. VI.

Capita populorum.

Britanniæ.

Daniæ.

Poloniæ.

Germaniæ.

neimmutasset. Romani magistratus qvâ dignitate civibus, qvâ Latio, qva Italiæ, qva provinciis, qvo sociis jure præfuerint, alio loco edocui.

Eâ etiam in re Grotio astipulor, rejiciendam esse eorum opinionem, *qvi ubiq; & sine exceptione summam potestatem esse volunt populi, ita ut ei reges, qvoties imperio suo malè utuntur, & coercere & punire liceat.* Rationes rejectæ eorum opinionis, plusqvam denario numero constipatæ, hæ militant. Supra populum reges.

Rationes Grotianæ.

1. Ut singulis hominibus privatâ in re, ita universis alicujus regionis in publicâ, à libertate ad servitutem transire integrum est: & id jura divina & Romana permittunt. Hunc sensum è Grotii verbis eruo; argumentationem ipsam invalidam deprehendo. Nam à privato consensu vel delicto, ad publici juris fundationem non semper pari passu proceditur: & leges, Hebræa & Romana, discrimen ipse constituunt. Israëlitis enim spontè externo servire interdicitur: è cive rex electus dominari in cives vetatur. Et lege Junia sacramento Romani adacti erant, *neminem Romæ passuros regnare.* De vi argumentandi loqvor: causas esse, cur populus jus totum imperandi à se abdicet, non nego. 1. Deut. 17. Liv. l. 2.

2. Latifundia qvis ampla possidens, lege serviendi allectis ex arbitrio dominabitur: aut servos à se manumissos libertorum loco habebit. Acrimoniâ examinandi vim argumenti supersedeo. Corneliani Germanorum servi in neutrius, acqvirēdi dominii, modi exemplum qvadrabunt: nec tamen civitatis ullam partem, privato in dominorum censu relicti, attigerunt. 2.

3. De Aristoteléa ad serviendum aptitudine qvid sentiremus, in Politicis aperuimus. Cappadocum, Thracum, 3.

Mysorum, Getarum exempla gratis huc adferuntur. Eos enim supra libertatem addictiùs regnatos esse, nondum probatum est. 4. Gentes qvasdam sub imperio regio satis feliciter vixisse, nec pars adversa negat: nec ad præsentem qvęstionem hilum facit. Qvid verò illud est *imperio planè regio?* num idem qvod dominico? non est hæc Aristotelis, nec ad Politicorum sensum, elocutio. Regem enim à Domino, ut patrem ab hero apertè discriminamus.

4.

Fallitur egregiè, qvisqvis sub principe credit
Servitium: nusqvam libertas gratior extat,
Qvam sub rege pio. ——

Claudianus, lib.3. De laud. Stilic.

5. 5. De Romanâ civitate, qvæ nisi unius imperio salva esse non potuit, nos plenâ manu in Principe absoluto egimus. An verò sub *libero* unius imperio, & omni rationis reddendæ vinculo soluto, controvertitur. Certè de Romano imperio Romanus imperator Galba: *imperaturus es hominibus, qvi nec totam servitutem pati possunt, nec totam libertatem.* Hæc sunt argumenta à consensu, vel qvasi consensu: qvibus non planè id, qvod propositum est, probatur: sed id tantùm, accidere solere, ut se homines imperio alterius ac potestati subjiciant.

Tac. l. 1. Histor.

6. 6. A delicto vel qvasi delicto servitus est eorum, qvi bello subiguntur. Eorum enim deterior parendi conditio est, qvi armis, qvam qvi voluntate, adducuntur. Sed & hic, nisi moderatum fuerit imperium, perpetua est speranda dominandi felicitas. *Id firmissimum longè imperium est, qvo obedientes gaudent:* non qvo, terrore & minis constri-

Liv. l. 8.

cti, præſentia qvovis periculo mutari cupiunt. 7. Nullam rempublicam repertam eſſe adeò popularem, in qvâ non aliqvi valdè inopes à deliberationibus publicis arceantur; exemplo Athenienſium, Tarentinorum, Syracuſanorum, aliorum apud Græcos & Barbaros, refellitur. Et tamen nihil hoc ad præſentis qvæſtionis confirmationem. Externi verò & fœminæ, adde & teneræ ætatis adoleſcentuli, vel qvia civitatis, vel qvia conſilii publici non ſunt capaces, locum in hac areâ non inveniunt. Robuſtiora igitur paria, argumenta robuſtiora exſpectamus. 7.

8. Populos aliqvos aliis civitatibus fuiſſe ſubditos, probatione non indiget. Nec eorum conditio cum iis, qvi ſuâ in patriâ ſuum ſibi regem elegerunt, miſcenda eſt. nec eam fovemus ſententiam: jus regendi SEMPER ſubditum eſſe eorum judicio ac voluntati, qvi reguntur. 8.

9. Nec id negamus, eſſe reges qvi populi etiam univerſim ſumti arbitrio non ſubſint. Loca tamen, vel ſacræ ſcripturæ vel externæ, non ſatis feliciter allegantur. De Iſraëlitarum regno alibi, qvod ſatis videatur, egimus. Illud verò, *reges gentium dominantur iis*, lucem interpretationis ex pari Matthæi loco capit. Οἱ ἄρχοντες τῶν ἐθνῶν κατακυριεύουσιν αὐτῶν, καὶ οἱ μεγάλοι κατεξουσιάζουσιν αὐτῶν. *Principes gentium*, non contenti conceſsâ & legitimâ poteſtate, *eas in dominationem ſubjiciunt, & qvi potentiâ magnâ pollent, eas in poteſtatem ſuam redigunt.* qvod non probationis juris eſt, ſed avertationis potius. Ut & illud Horatii: 9. *Luc. 22. v. 25.* *Matth. 20. v. 25.* *Carm. l. 3. Od. 1.*

Regum timendorum in proprios greges,
Reges in ipſos imperium eſt Jovis.

Fastum enim regum, & qvidem timendorum proprio gregi, id est tyrannorum, retundere ex eo voluit, qvod & ipsi superiori imperio, Jovis nimi-
10. rum id est Dei, subjecti sunt. 10. Singulis interdum potestatem populi & in populum datam esse, Senecæ suffragor: & ex iis esse, qvi ratione non reddendâ qvod volunt faciunt, nec Herodoti autoritati, nec Aristotelis refragor. Plutarchi vero dictum de viro consulari, in libertate populi militarem ductum habente, accipimus. Ita enim de Flaminio: ἡγεμονικὴν φύσιν ἔχων, οὐ κατὰ τοὺς νόμους μόνον, ἀλλὰ καὶ τῶν νόμων ἄρχειν ἠπίστατο πρὸς τὸ συμφέρον. *Naturâ ad regendum factus, non modò ex legum præscripto imperare, sed & leges ad utilitatem inflectere noverat.* In militari nimirum imperio: qvod non semper leges & plebiscita exaudit. nec tamen se autoritati senatus, & populi cognitioni subducebat.
11. 11. Legem Regiam, qvâ populus dicitur omne suum jus & potestatem, etiam in se, in Cæsarem contulisse, in Aulâ Tiberianâ interpretando Dio-
12. nem refutavi. 12. Non populus, sed mulier Ægyptia, morum Græciæ ignara, regem alloqvitur. Rex verò ipse rem, propter qvam illa supplicabat, non sui judicii esse, à populo cognoscendam, paulò ante dixerat. Argivi enim, de qvorum rege drama tragicum, τὰ τῆς ἐξουσίας τῶν βασιλέων εἰς ἐλάχιστον συνήγαγον, *potestatem regiam nimium qvam imminue-*
13. *rant.* 13. Temporarii regni, qvod populo non subsit, exemplum à Censurâ Livii non benè petitur. Non enim regnum in Censura: qvæ binis in qvinqvennium, ad morum tantum civilem castigationem, committebatur. Salinator tamen, unâ tribu excipiendâ, omnem populum ærarium non

in [illegible]. mox in Menses XVIII.

non fecit. nec tribus reliqvæ se ærarias factas, dolori offensi injuriâ Salinatoris ignoscentes, arbitratæ sunt. Dictatura vim *jam* regiæ potestatis obsederat: (non enim sunt truncanda verba Ciceronis) postqvam nimirũ Sulla & dictator Cæsar, nomine dictaturæ ad licentiam regiam abusi, superbè in cives dominati sunt. Regiam autem potestatem pro tyrannicâ, aut more Orientis absolutâ, eâ tempestate Romani acceperunt: qvod in Principe absoluto ostendi. Romanos, Febri fanum in palatio, & ædem Laribus, aram malæ Fortunæ in Esqviliis consecrantes, Romani ipsi rident. Grotius à Romanis, regiam potestatis exorbitantiam execrantibus, præsidium pro eâ mutuatur. *Philip. 1.* *Cic. nat. deor. l. 3.*

Alii modum tuendæ libertatis excedentes, regiæ dignitatis apicem infra censuram populi, sine temporum exceptione deprimunt. qvos meritò hic refutat Grotius: & à nobis refutatos in Arcanis regnorum invenies.

Qvæ de mutuæ subjectionis fictione moventur, tutiùs in hoc contentionum salo, ut scopuli navigationi suspecti, præternavigantur. Nam & omnem Neroni vel Heliogabalo impunitatis spem laxare, regno periculosum; &, ob transgressionem aliqvam, populum vindicem in Davidem vel Amaziam concitare, perniciosum videtur. Mediam viam ingressi Germani proavorum memoriâ sunt: qvi turbidum Adolphi ingenium, & juris publici ignorantiam, qvi sævam Venceslai inertiam, desertione puniverunt. Nollem Henricos & Fridericum: sed Papæ eos autoritas, & sanctitatis crudelis opinio, seduxit. *Mutua subjectio.*

Sed exeamus è theatro; in forum procedamus:

detracto Grotii latebris personæ integumento, de interiori animi judicio judicaturi sessum eamus. Juratum defensorem omnis monarchiæ, & in eâ summæ agendi & non agendi licentiæ, dixisses. Nunc limites qvosdam, cautionum nomine præscriptos, circumscribendæ licentiæ, nec passim ad omnes monarchas extendendæ, figit.

Cautiones Grotii.

Prima cautio verbis apertis, nec qvicqvam obscuritatis habentibus, proponitur: *Ne decipiamur ambiguo nominis sono, aut rerum externarum specie.* i.e. Ne nobis regum, principum, imperatorum nomina; ne sceptra, diademata, splendor comitatus, imponant. Hæc à me pleniùs in Politicis deducta, ut hic opera mihi dematur, reperies. Insigne canonis, vel nostri vel Grotiani, declaramentum apud Strabonem, de qvibusdam apud Ephesios regii in libertate generis, habetur. καὶ ἔτι νῦν οἱ ἐκ τοῦ γένους ὀνομάζονται βασιλεῖς, ἔχοντές τινας τιμὰς, προεδρίαν τε ἐν τοῖς ἀγῶσι, καὶ πορφύραν ἐπίσημον τοῦ βασιλικοῦ γένους, σκίπων ἀντὶ σκήπτρου. *Etiamnum regii qvi sunt generis, reges nominantur, gaudentq; honoribus qvibusdam, primâ in ludicro conventu sede, & purpurâ regia stirpis insigni, scipione loco sceptri.* En comicum etiam extra comœdiam regnum, qvod nec potentiam habentium augeat, nec libertati civium detrahat!

Cautio prima.

pag. 189.

lib. 14.

Additamentum cautio prima trahit: Ne summi imperii & summo minoris discrimen in delatione imperii, successione aut electione acqvirendi, ponamus. Ratio commonitionis neqvaqvam aspernanda est: *Nam successio non est titulus imperii, qvi imperio formam assignet, sed veteris continuatio.* Negari tamen non debet, minùs audere, nisi per violentiam, electos reges: vel qvod privatæ sortis

Electio.

cum

cum Trajano meminerunt; vel qvod filiorum incremento cum Othonibus & Carolis prospiciant. Qvare illud, *qvantum prima electio tribuit, tantum defert successio*, de jure, non de usurpatione intelligendum. Ne qvis Spartanorum regum successionem, vel electionem Romanorum objiciat: in titulum Spartani succedebant; in vim Romani eligebantur. In qvo præcipuum robur discriminis; inermes erant Spartonorum reges, ideoq; judicio facilè coercendi; legionum & classium agminibus armati Romani. In bella enim Spartiaca Spartæ cives, legibus Ephororum sub nutu parentes, & id ipsum raro, educebantur. Cæsares militiam cōscriptitiorum perpetuam, in nomen suum juratorum, reliqvis civibus otio aut operæ domesticæ feriatis, & inermi senatu, alebant. Facilè igitur hos terror, comes invictæ majestatis, tutabatur; illos nudum sine viribus nomen in ordine continebat. **Successio Spartana.**

Proxima cautio est; *Aliud esse de re qværere, aliud de modo habendi.* Modus habendi vel in proprietate, vel in usufructu, vel in temporariâ possessione consistit. Qvanqvam si hæc ad exactam interpretandi amussim pendamus; nihil horum cum regni administratione conveniet. Non enim ut agri, ut horti, ut pecora; ita hominum societates, pleno vel usufructuario jure per æqvitatem possidentur. *Ne sic rempublicam, patresq; conscriptos, populumq; Romanum, ut villulam tuam, ut colonos tuos, ut servos tuos relinqvas*: monet successorem suum imperator Tacitus. Id qvod Parthorum futuro regi Claudius suggerit: *Nec dominationem & servos, sed rectorem & cives cogitet*: generale est, & **Cautio secunda.** *Fl. Vop.* *Tacit.*

omnibus benè institutis regnis applicatur. Nam ubi dominatio, ubi servi, si Parthia eos nesciat? Si qvæ sunt, aut fuerunt amplæ alicujus regionis despoteiæ, si veræ dominationes, cum naturâ societatis humanæ non exactè conveniunt. Cadit igitur regni proprietas, cadit plena hominum possessio. Ac ne Usus fructus qvidem ratione, propriè si loqvamur, res hominum publicæ tenentur. Tributa enim & alii principum reditus, non ut lanæ pecorum, aut ut hortorum poma, carpuntur; sed in solatium officii, & in sustentationem oneris conferuntur. Liber enim homo in fructu non est: ut non ineptè JCtorum scholæ loqvuntur. Temporaria possessio in dictatura locum non habuit: cum nullus præter honorem fructus ad dictatorem redierit. nam Sullam & Cæsarem, violentâ potestate usos, pro dictatoribus non habeo. Nec Vandalorum ac Gothorum reges, & si qvi alii jus qvovis tempore revocabile habuerunt, exactâ normâ huc qvadrabunt. Non enim Vandali, non Gothi, ad libertatem nati homines, à ductoribus suis ut peculium aliqvod, aut res in commercium veniens, possidebantur.

Tributa. Dictatura. Precarium regnum.

Libertatem hic non ut regnum, sed ut dominium excludit, accipio. Est enim qvædam & in regno, non superbè administrato, civilis libertas. Aliàs libertatem, non personalem illam & singulorum, sed qvæ est civitatis & universorum, regno adversa fronte opponi, ne diobolares qvidem Politicæ doctores fugit. *In variis voluntatibus, regem tamen omnes volebant, libertatis dulcedine nondum expertâ.* Et multa eum in sensum. Nec libertati, laxiori etiam significatu acceptæ, planè repugnat alienа-

Libertas. Liv. l. 1.

alienatio. Nam, ut vir eruditus annotat, non ipsi homines alienantur, sed jus perpetuum eos regendi. Ad servitutis tamen addictioris naturam populi, qvi sic alienatur, propius accedunt. Unde intelligere est, viginti oppidula, qvæ Chiromus Tyriorum rex à Salomone accepit, Israëlitarum non fuisse. Ut fratribus enim, non ut proprietate possessis, secundum legem regiam, reges Hebræis jura dabant. Nec agros in perpetuum dominium vendere, nec terram sanctam alienatione decurtare licuit. Fuisse autem regionem *Cabul* extra terræ promissæ fines, etiam è terræ generali descriptione patet. Qvod autem rex Chiromus eam terram Cabul, qvasi argillâ compeditam, aut Phœnicum sensu displicentem vocavit, inde non seqvitur nomen illud ab eo fuisse impositum. Idem enim est, ac si cum Edomo dixerit; Jacob verè dicitur Jacob; aut cum Romano oratore, Eo die Lentulus verè erat Lentulus: nominis non sine causâ impositionem innuentibus. Alienatio. Cabul provincia. Deut. 17. Jos. 19. v. 27.

De regnis, donatione aut testamento non transferendis, insignis locus Cranzii. *Novum & antehac incompertum munus testamento datum. Eqvidem ædes, agros, prædia, vineas, & his similia, testamento dari putavimus: regnum autem præstari chartæ beneficio, prodigii loco habitum est.* Daniæ præcipuè & Norvagiæ gentibus, in qvibus Cranzius versatur, hæc convenire arbitremur. Pergit enim: *Sed in hac regione, nisi insignis aut virtus aut industria vires testamenti adjuvissent, non est verisimile, Daniæ proceres cum populo tam facilè cessuros defuncti regis voluntati.* Nihilominus apud easdem nationes, qvod non minùs testamenti voluntate videtur, Ericus Pomerano- Dan. lib. 4. c. 4.

Franc. Dan. l. 1. rum dux, à Margaritâ reginâ trium regnorum ad. optatus filius, in regem assumitur. Sed commendatione reginæ, & voluntate procerum, id accidisse, facilè intelligitur. Nam & apud alias nationes, testamento regna relicta, commendationis magis, qvam veræ alienationis, vim habuerunt. Nam & qvædam de regno testamenta, populi voluntate non confirmata, irrita fuisse facta, in Alphonso Arragonio, & Alphonso Legionensi, observatum est.

Commendatio.

Benè & hoc observatum est, *distingvendam esse summitatem imperii ab habendi plenitudine*: dum plenitudo illa civilem habendi modum non excedat. Summitas imperii est, qvæ in hoc orbe superiorem præter Deum non agnoscit; qvæ potest esse sine regnandi plenitudine. Addunt pleriq; Deo gladium superiorem: qvam locutionem à gentili stricti mucronis adoratione manasse arbitror. De Sarmatarum ritu Ammianus: *Eductisq; mucronibus, qvos pro numinibus colunt, juravere se permansuros in fide.* Qvem morem Poloni, qvoad externum ritum, ad Christianum cultum traducti, aliqvandiu conservaverunt. Inter enim Evangelii lectionem, aut dum sacra alia peragerentur, strictis acinacibus attenti astiterunt. Qvod alii ita interpretantur, contra Saracenos, & alios Christum negantes, pugnare se paratos.

Summum imperium.

lib. 17.

Plenum. Plenitudo imperii est, larga in subditos imperandi potentia; qvæ sine summi imperii amplitudine esse potest. Imò facilius Comitis alicujus aut Marchionis ditionem, cum pleno imperandi jure, qvam regnum Christiano in orbe reperies. Causam diversitatis partim in nobilitatis poten-

tiâ,

tiâ, partim in congregandi facultate & comitiorum freqventia, invenio. In regno enim proceres, de summâ rerum unà cum rege deliberaturi, conveniunt. In Comitatu rusticis, & vilis conditionis oppidanis, per præfectos metu aut stipendio astrictos, imperatur.

Qvæ de tutelæ differentiâ, in regnis patrimonialibus & non patrimonialibus, traduntur: ut istic lex aut populi consensus, illic propinqvi eam deferant: ut sit ex iis qvæ plerumq; fiant, non est perpetuæ observationis. Romanum regnum, ut ab Halicarnassensi describitur, minimè in patrimonio regum fuit. Et tamen Ancus Martius, regum Romanorum priscâ ætate optimus, Tarqvinium liberis tutorem, non reqvisito populi consensu, legit. Trojanis Ænæas & Latinis patrio imperio, non ut patrimonio herili, præfuit. Et tamen Ascanio filio tutelam non proceres imperii dederunt, sed noverca Lavinia, propinqvitate proxima, explevit. *Tutelâ muliebri (tanta indoles in Lavinia erat) res Latina & regnum avitum paternumq; puero stetit.* Matrem fuisse Laviniam Ascanio, non novercam, Livius qvosdam secutus arbitratur. inde *avitum* regnum Latinorum, à Latino Laviniæ patre devolutum, suspenso tamen judicio, appellat. Mater igitur filio, ut in regno plenè hæreditario, tutricem se ipsam præbuit. Qvod regnum tractu temporis, rerum magnarum arbitri, hæreditatis vice aut testamenti arbitrio transiit. Unde illud Livii de Procâ: *Numitori, qvi stirpis maximus erat, regnum vetustum Sylviæ gentis LEGAT. plus tamen vis potuit, qvam voluntas patris, aut verecundia ætatis.* Qvanqvam legatum illud (pro testamen-

Tutela regia.

Liv. l. 1.

ibid.

to hic accipitur) expressæ magis voluntatis, qvam pleni in disponendo arbitrii, fuisse conjecturâ assequimur. Non enim populi consensionem exclusam fuisse, Numitoris ipsius in regnum restitio declarat. *Cum avum regem salutassent, secuta ex omni multitudine consentiens vox, ratum nomen imperiumq; regi effecit.* Qvod in Romanæ urbis ortu, nepotibus Numitoris novum regnum condentibus, permansit. Cum enim Palatinum Romulus, Remus Aventinum montem, ad inaugurandum templa cepissent, & utriq; numero vel tempore superiores aves addixissent: *Utrumq; regem sua multitudo consalutaverat.* Seqventi similiter ætate, qvanqvam à liberis defunctorum regum non temerè discessum est, jus tamen regem creandi civitas retinuit: *Regem populus jussit, patres autores facti.* Hæc cum ita sint in aperto, ut negari non possint, tamen parentes liberorum, aut propinqvi, non regni proceres, non congregatus populus, tutores infirmæ ætati dabant. A consvetudine igitur populorum, à temporum varietate, à regum aut subditorum patientiâ, hæc talia ferè dependent.

ibid.

ibid.

ibid.

Vicaria tutela.

Cum rex ætate aut morbo fungi potestate suâ impeditur, non tutores ei adduntur, qvod Grotius vult: sed aut vicaria potestate regulus, aut successor cum vi administrandi concessa, assumitur. Clarum in Henrico ferreo cognominato, Cattorum principe, exemplum. qvi patruelem Hermannum adoptatum, & successorem pronunciatum, adjutorem imperii, ob senilem ætatem molesti, ascivit. Pari propemodum dignitate ante eum Otto Sagittarius, à patre dynastâ in potentiæ partem allegatus, ut rerum Germanicarum scri-

ptores

ptores testantur, evectus fuerat. Tertia Grotianæ cautionis observatio: *Non desinere summum esse imperium, etiamsi is qvi imperaturus est promittat aliqva subditis aut Deo, etiam talia qvæ ad imperii rationem pertineant.* Capitulationes intelligere videtur, & in leges fundamentales jurationes, qvas qvia in Principe Absoluto penitiùs introspeximus, actum hic non agemus. Cautio tertia.

Qvarta admonitio: Summum imperium admittere divisionem; *sive per partes qvas vocant potentiales, sive per partes subjectivas.* Exemplum rem dilucidat. *Sic cum unum esset Romanum imperium, factum tamen sæpè est, ut alius orientem, alius occidentem teneret, aut ut tres etiam tripartitò orbem regerent.* Imperio qvidem inter Constantini, aut inter Theodosii liberos diviso, discors & diversorum capitũ belua Roma erat. Ubi verò M. Antoninus Lucium, Diocletianus Maximianum, Valẽtinus Valentem collegam assumpsit: plerumq; locum Ammiani judicium habebat: *Concordissimi principes, unus nuncupatione prælatus, alter honore speciè tenus adjunctus.* Socios igitur imperii, absq; diminutione aliqvâ majestatis imperatoriæ, ut idem Ammianus loqvitur, asciverunt. *Maximianus, ut filius patri, Diocletiano obtemperabat:* inqvit Pomponius Lætus. Sic Antonino L. Verus, ut eminentiori, per honorem cedebat. Inter fratres aliqvando indivisa manet nationis unius ditio: vel pari omnium in omnes potestate, vel prærogativæ in majorem natu cessione. Sic Ludovico Pacifico apud Cattos defuncto, qvadriga fratrum, Ludovicus Animosus, Henricus, Hermannus, & Fridericus Hassiæ corpus, in artus non discerptum, aliqvandiu rexerunt. Qvarta. Collegæ imperii. Marcell. l. 27. Ditio indivisa.

De summitatis cum populo divisione, & legibus intra præscriptarum legum modum imperare astrictis, partim in Politicorum systemate, partim in Principe Absoluto à nobis actum.

Decreti rescissio.

Qvod à Grotio subjungitur, qvæ acta à senatu rescinduntur, intelligi debere rescindi regis ipsius imperio, qvi eo modo sibi cavere voluit: non est perpetuæ veritatis. Nam in ipsa Galliâ, qvam ante oculos videtur habuisse, qvædam invitis regibus, qvo tempore nondum oppressa summi senatus autoritas erat, rescissa memorantur. Qvæ de pleni regni & Laconici diversa naturâ copiosè disserit: cum à me alibi, nec uno in loco, pertractata sint: crambem fastidiendam non repono.

Jus in personas, ab integro naturæ primæ succo longiusculè recedens, est herilis in mancipia subjecta dominatio.

Servilis conditio.

Dura, & homini non duro miseranda, servorum apud Romanos fuit conditio. Eò durior, qvod facilis in servitutem descensus, ascensus ad libertatem difficilis. Romæ qvi ad delectum non respondebant cives, & aliqvo tempore qvi lustro redeunte non censebantur, amissâ civitate pro servis habebantur. Vulgares, & magis freqventati, in servitutem asserendi modi passim extant. Qvatenus cum æqvitate naturali servitus conveniat, aut ab eâ recedat, nos in Politicis reclusimus. Olim servorum multitudo, & præ duritiei tædio libertatis desiderium, bellorum etiam ansam dedit.

dit. Spartaco gladiatore duce, ad qvem globi fugitivorum se receperunt; Italia armis rapta contremuit. Consularibus exercitibus deletis, vix tandem Crassus, dissipatis non sine periculo desperatorum cuneis, Italiam vastatione, Urbem formidine liberavit. Nostris moribus ab eo hominum genere, qvod jam in desvetudinem abiit, minùs extimescendum. Nisi qvod ruricolæ Germani, servilem in modum habiti, aut fanatico spiritu superiorem statum non ferentes, semel atq; iterum erubescendos motus concitaverunt. Nos in materiâ ignobili otium, aliis rebus & altioribus impendendum, terere non addecet. Rusticani motus.

CAPUT XIX.

DE SVCCESSIONE.

Jus in personas derivativum est in locum & jus defuncti Successio.

Successio in bona defunctorum, ut est juris privati, propriè hic sedem non invenit. Reges & regum portiones, unde digladiationes armorum, calamum nostrum deposcunt. Regnorum & amplarum ditionum successio, non qvæ jure Justinianeo docetur, nobis in hac areâ decurritur. Regum successio.

Regni successio vel ordinaria est, vel extraordinaria.

Ordinaria est vel freqven-

tioris usus, vel minùs freqventer recepti.

Posterius membrum ab ordinario succedendi modo, propterea qvod in admirationem hominum minùs ob raritatem incurrit, non omninò seduco. Si qvis illud medii generis & qvasi mixti habere velit, non repugnabo.

Usitatissima & naturæ convenientissima successio est, qva filius natu maximus patri defuncto succedit.

Successio qvadrata.

Nam & domesticus extraneo, & legitimè natus vulgò qvæsito præfertur: sexusq; præstantia, cum prærogativâ ætatis, multum in dignitate adeundâ possunt. Ergo ut hæc distinctè contemplemur, membratim qvæ confusè dicta sunt deossuabimus.

Liberi extraneis, vel etiam sangvinis propinqvitate remotioribus, in succedendo præferuntur.

Si liberi, vel si omninò propinqvi desunt, in regnis non planè patrimonialibus ad populum jus eligendi sibi regem redit. Vacuâ Daniæ, Sveciæ, Norvagiæ regnorum sede, proceres ducem Bavariæ Christophorum in regnum adsciscunt.

Populi circa successionem jus.

Propin-

Propinqviorem Pomeraniæ ducem, ob contemtum regis Erici, prætereunt. *Nec volebant perniciosis exemplis viam facere, ut reges sibi qvos vellent deligerent successores.* Cranz. Dan. l. 8. Accidit nonnunqvam, ut partus alienus pro sangvine regio substituatur. qvod ne fieret Spartæ, puerperis regiis Ephori custodes apponebantur. Venter custoditus. Fridericum verò Romanorum imperatorem Constantia, qvoniam rumore differebatur, tanqvam ob anilem ætatem non verè concepisset, ad extingvendam ejusmodi fabulam, Cranz. Norv. l. 6. jussu Henrici patris Panormi sub dio extructo suggesto, teste sole & orbe peperit. Aliqvando tamen in solatium amissorum, vel ob sterilitatem vel impotentiam non susceptorum, liberorum adoptio conceditur. Adoptantur autem vel planè Adoptio. extranei: ut Tarqvinio Prisco Servius Tullius, Galbæ imperatori Piso, Nervæ Trajanus. Vetus historia Hyllum Herculis filium, ab Æpalione Locrorum rege adoptatum, suppeditat. Vel genere propinqvi aut affines adoptantur; qvo pacto Augustus Tiberium, Claudius Domitium privignos, filiorum jure assumserunt. Fit etiam ut nothi, cum non extent legitimi, in regni spem à patre vel propinqvo adoptentur. Sic Pyrrhus Epirota Molossum, non legitimo concubitu natum, regni successorem habuit. Jugurtha etiam liberis extantibus à Micipsa per miserationem adoptatus, excussis per fraudem & scelus legitimis, solus in regnum Numidiæ irrepsit. Planè extra ordinem est, qvod de Arabibus in sufficiendo Arabum successio. rege Strabo commemorat. Διαδέχεται δὲ τὴν βασιλείαν οὐ παῖς παρὰ πατρὸς, ἀλλ᾽ ὃς ἂν πρῶτος γεννηθῇ τινι τῶν ἐπιφανῶν παῖς μετὰ τὴν κατάστασιν τοῦ βασιλέως. libro XVI. Regnum

non filius à patre excipit, sed qvicunq; primus, post inau-gurationem regis, alicui illustrium virorum natus fuerit

Romanorum.

Coronidis loco addendum: Romano imperi liberorum successionem partim nullam, partim exitiosam fuisse. Nulla fuit inter septem reges, ante libertatem à Bruto institutam, liberorum suc-cessio. Rara, aut exitiosa fuit, postqvam libertat oppressâ, Cæsares faciem rerum immutaverun Primus imperatorum Vespasianus, ordine deci-mus, filios imperio paterno succedentes habui Titum qvidem exiguæ, fatorum qvasi invidiâ, du-rationis. Domitianum verò fas omne perrum-pentem, fastu in Deum, crudelitate in homine injurium. Post eum M. Antoninus Philosophu sanctitate vitæ nulli imperatorum secundus, un se ipso inferior, qvod filiũ Commodum reliqvi Nec filio Caracallâ Severus, nec Constantio Co-stantinus post mortem decoratus est. Theodo verò Magni filii, Arcadius & Honorius, exiti Romani orbis nati, in suum & parentis dedec

Germanorum.

sceptra dilaceranda capessiverunt. Germânic-rum rerum moderatores, qvi & ipsi nomen R-manum fulserunt, non infelicem in multis trad-tionem respiciens, istâ notâ non maculo.

Spurii à regiâ dignitate ex-cluduntur.

Nam ne ad privatæ qvidem rei familiam er-scendam Atticâ lege, & plerarumq; gentium, a-

Avibus.

mittuntur. Atticam Solonis legem Aristophan

Lex Attica de spuriis.

recenset: *Νόθῳ δὲ μὴ εἶναι ἀγχιστείαν, παίδων ὄντων γ-σίων. ἐὰν δὲ παῖδες μὴ ὦσι γνήσιοι, τοῖς ἐγγυτάτω τοῦ γ-μετεῖναι τῶν χρημάτων. Notho ne sit jus cognationis, c-*

adsi

adsint liberi legitimi. ubi autem hi defuerint, genere proximi hæreditatem sortientur. Romano jure, Solonicam secuto, spuriis præter alimenta nihil relinqvi poterat.

In populis autem summo fastigio gubernandis major etiam ratio apparet, cur ab adulterandâ dignitate recedatur. Minus enim est, facultatum qvibus vita carere non potest participem fieri, qvam dignitate non modò cæteris exæqvari, sed supra omnes evehi. Et si collegia opificum in societatem spurios non admittunt, idq; judicio hominum comprobatur: suprà collegia ipsa, imò supra universitatem civium, in qvibus multi viri illustres, ascendent? Præsertim cum turbido animo plerosq; & actiones eorum reip. perniciosas esse, eventu rerum comprobetur. Clarus navali contra Turcas victoriâ Joannes Austriacus, nothus Caroli V. filius; at idem inextricabili bello Belgium, armorum & imperii cupidine, involvit, Jacobus, Joannis Cypri regis nothus, Soldani ope ademtâ sorori insulâ, post obitum regnum tam opulentum exteris tradidit. Perseus, fratris Demetri per calumniam parricida, commoto temerè adversus Romanos bello, vivus ipse in hostium manus adductus, in carcere trucidatus est; Macedonia in provinciæ formam redacta. Pari culpa, parem fortunam Jugurtha, Numidiæ universæ tyrannus, sibi & regno intulit. Apud Hebræos Abimelech, violenti vir ingenii, post septuaginta fratrum cædem, mutuâ patriæ ruinâ, cujus ipse autor, interiit. Justiùs qvidem regnum adeptus Jephtes, patriæ laboranti saluti fuit. Sed filiæ unicæ temerario voto exitium attulit: οὔτε νόμιμον, οὔτε

Spurium regnum.

Nothi insigniores.

Judic. 9.

Judic. 11.

Joseph. Antiqu. l. 4.

τῷ θεῷ κεχαρισμένην θυσίαν ἐπιτελῶν, *nec justam, n Deo acceptam, immolationem, perficiens.* Ide

Judic. 12. Ephraimitas, injustè qvidem illos obstrepente immoderatâ irâ percitus, ad 40000 cecîdit, cu

Judic. 8. pari in causâ Gedeon, mitioris vir ingenii, ne ve bo qvidem Ephraimitas læserit. Qvi pro noth

Probæ notæ spurii. rum amplitudine pugnant, Romulum & R mum Romanę Urbis conditores, Themistocle & Timotheum duces Atheniensium, German regem Arnolphum, Gothorum Theodoricu Danorum Haraldum & Canutum, spurios m morant. Qvibus respondeo: partim de horu natalibus non constare, partim in his eximiu qvid fuisse. De Romuli qvidem & Remi ma

lib. 1. judicio non inepto Livius; *Deus autor culpæ ho stior erat: Martem incertæ stirpis patrem nuncup.* Sed hos è succedentium regno classe expungo: qvi cedentes patriâ, allectâ fugitivorum ma novam sibi sedem, in patriæ antiqvæ ruinam c scentem, fixerunt. Themistoclis natales, ut in antiqvitate, obscuri: de ingenio pauca comm moranda sunt. Indole ejus inspectâ, præcep

Plutarchus. ejus dixisse fertur: ὡς οὐδὲν ἔσῃ, παῖ σὺ μικρὸν, ἀλλὰ μ πάντως ἀγαθὸν ἢ κακόν: *Nihil parvum tu puer era sed omninò magnum vel bonum vel malum.* Hic adolescentiâ temulentus, ineunte virili æta περὶ φρένα τὸν δόξαν, supra modum honorum gloriæ appetens fuit. E cujus appetentiæ fo natum illud: ὡς καθεύδειν αὐτὸν οὐκ ἐάν τὸ τοῦ Μιλτ τρόπαιον. *Miltiadis tropæum ipsum dormire non sin*

Themistocles Magnâ qvidem cum laude ejus dicitur: ἀνδρεία τῶν πολεμίων, εὐγνωμοσύνῃ δὲ τῶν συμμάχων περιγενόμεν *fortitudine qvidem hostes, animi verò moderatione s*

fug

superavit. Ingenii tamen qvædam perversitas ex eo emicuit, qvod Atheniensibus, non secuturis consilium, incendendæ classis Lacedæmoniorum, qvi fidelem operam in liberandâ Græciâ navaverant, autor fuerat; & qvod cum Aristide, justo viro & probo, inimicitias gesserat. Forte nec fundamento caret Atheniensium suspicio, post fugâ Xerxis patriæ Persis prodendæ unà cum Pausaniâ, in neqvitiâ deprehenso, consilium cepisse. Certè nec ægrè tulit cum Persis commorationem, nec sine spe proditionis, postmodùm futuræ, tres illi civitates in Asia Xerxes dedisset. qvibus acceptis gavisus, memorabile illud dictum prolocutus fertur: ἀπωλόμεθα ἄν, εἰ μὴ ἀπωλόμεθα. *perieramus, nisi periissemus.* Plusculum in Themistocle moræ trivi: qvod is Græcorum rebus gestis maximus fuisse memoriæ traditur: reliqvos cursim attingam. In liberâ Athenienfium civitate vilissimus qvisq; ad militarem ductum, aut fori regimen, evectus fuit: nihil igitur mirum, si & Timotheus, natalibus pudendis cognitus, emersit. In Arnolpho Francorum regimen cecidisse, autores nō ignobiles tradunt. qvod si ad Conradum porrectum est: saltem virtus Francorum, & antiqva felicitas, in Arnolpho extincta est. Theodoricum, Haraldum, Canutum, spurios fuisse, vix mihi persvadeo. cum in Gothorum & Danorum natione ita viles habiti spurii dicantur, ut inter viros honestos vix comparere auderent. Cum igitur, præter existimationis maculam, turbidi plerumq; sint ingenii spurii, & ad vitia paterna procliviores; cum patriæ sæpè detrimentum trahant; cum matrimonium vago & ferino concubitui præferendum sit; cum

cum exceptione laudatus.

Timotheus &c.

Conclusio.

ira Dei in castitatis violatores fulminet: spuri[os]
calculo nostro à regnorum gubernaculis sem[o]
vemus.

Unus uno in regno succedat

Definit enim regnum esse unum, si in plure[s]
hæredes discerpatur; & qvod magno labore i[n]
unitatem corporis collectum est, pluralitate suc-
cessorum dissipatur. Præterea inter potētiā æqva-
les, dum ad se qvisq; spe & cupiditate totum rapit,
facile dissidium & ex dissidio civile bellum oritur.
Carolinâ Francorum in stirpe (ne hac antiqvio-
res Merovingios referam) Italia & Germaniâ à
corpore Franciæ avulsâ, bella non inter fratres
modò, sed fratrum conspiratione in parentes
exorta sunt. Ipsis in Franciæ limitibus, imperio-
rum sedibus Lutetiæ, Suessioni, Aureliani, & Mo-
guntiaci positis, non modò vires divulsæ sunt &
distractæ, sed aliqvando damno reciproco collisæ.

Unitas pluralitate potentior.

Laudabili igitur consilio Capetorum sub pro-
genie sancitum est; ne regnum deinceps inter hæ-
redes divideretur; sed unus rerum potitus regiam
dignitatem & nomen sustineret. Reliqvis tamen
liberis appennagii, qvod vocant, assignatione, qvi
masculini sunt generis, filiabus autem superstiti-
bus dote prænumerandâ consultum. Præeuntem
hac in re Josaphatum, pium & sapientem He-
bræorum regem, habuerant. Hic ad plures iturus,
Joramo qvidem, qvod filiorum natu maximus
erat, regnum attribuit: reliqvis autem liberis auri
& argenti dona, cum oppidis Judææ munitis, do-
navit.

Hugonis de unitate cautio.

2. Paral. cap. 21.

Sed & Persarum in imperio Artaxerxi regnum
ita

rmansit, ut Cyro fratri Satrapia Græciæ vi-
assignaretur. Qvanquam non semper fidam
aut regio statui securam, eam partitionem,
psa qvæ adduxi exempla declarant. Fratribus
omnibus trucidatis, munimentum imperii
rricidio Joramus posuit. & Cyrus, animis
or, favore matris & Græcorum auxiliari ma-
ixus, bellum crudele fratri intulit. Ipsa in
ciâ, ante annos non ita multos, Gaston Au-
ni & Bloisæ appennagio non contentus, in-
os & externos motus in fratrem concitavit.
ò nihil caducis in hominum rebus reperias,
d instabilitati omni ex parte sit exemtum.

e spuriorum excludendâ successione, præce- De legitimo toro.
i axiomate egeram. de qva legem Hugo Ca-
s, fortunatus Gallorum regni reformator,
it: *ne in posterum spurii regum, etiam à patre agni-
ccederent.* Et jure qvidem optimo: paterna
n assertio rerum naturam invertere non po-
; nec id qvod non est facere ut sit. Unde nec
imi dicuntur, sed *legitimati*, qvi filiatione affer-
nt. nec à voluntate humanâ pendet, qvę ratio-
periori parere debet, legis divinæ immutatio.
Tertia de fundamento regni lege Capeti san- De Majoribus.
r, *ne in posterum sint Majores domus regiæ.* Sapien-
stituto: Majores enim illi rege majores facti,
omnem imperii, & tandem ipsam appellatio-
, in se populo novis rebus applaudente attra-
unt.

Fœminæ ab imperio naturæ
re removentur.

Hujus assertionis causam si qvis desiderat, adeat ea qvæ hac de qvæstione in Arcanis Regnorum congessimus. Ubi si qvid omissum videbitur, in Principe Absoluto, recentiori Arcanorum fœtu, supplevimus.

Ætas in successione major minori præfertur.

Ætatis prærogativæ regula. Aliqvando tamen vel voluntas paterna, vel ratio evidens, vel pœna delicti dignitatem à primogenito ad natu minorem transfert. Ne exempla anxiè circumspiciam: omnia hæc in Salomone majoribus prælato cōcurrerunt. Paterna in Bathsebæ, tenerrimo amore dilectæ, filium inclinatio multum in Davide rege potuit. Rationis evidentia in sapientiâ Salomonis, teneris in annis elucens, & animo justitiæ ac pietatis amante, emicuit. Sapientem enim insipientioribus leges dare, illud ipsum est, qvo jus majoris ætatis fundatur. Pœnam Adonias meruit, eo qvod vivo rege vel se pro rege gessit, vel factiosas transeunte in regno, adversus patris consilium & voluntatem, opes collegit. Cautio. Extra hunc pœnæ & delicti casum, etiam abdicationem promeriturum, consultum foret, ineptiori ad imperandum à patre persvaderi, ut capaciori tanti sceptrorum oneris molem imperii sponte concedat, ipse opulentâ in qviete acturus. Qvod ni fiat, bellorum civilium semina post obitum, non defuturis mali consilii vel stimulis vel seqvacibus, timentur. Absq; hac patris persvasione acceptatâ, retinentur sæpè ineptiores, vel lege ita jubente, vel metu commovendorum novitate cardi-

num reipublicæ. Sic Cleomenes apud Spar- ,homo vix mentis compos, legis reverentiâ rum gubernacula promotus est. Agesilaum , animi egregium, ob claudicationem inter enta non refero. Neq; Lysander eâdem in re- icâ suffragatores invenit, consilium subji- , ut in posterum magis idoneo, non ætate ori, successio in regno permitteretur. Sed hoc em impunè in Spartanorum regno, qvod ntati procerum, aut Ephororum nutui sub- batur, abiit. Graviori lapsu peccatur, ubi te capto, aut vitiorum gurgite immerso, ob em summa rerum defertur. Si qva in muta- e regno mala acciderunt, ad causas rerum, ad superstitionem nunqvam prætereundæ is reducantur.

Spartanorum in lege observandâ pervicacia.

Prolepsis.

Filius in regno patris natus to privatâ patris conditio- non præfertur.

Aliter qvidem in favorem Xerxis contra Arta- anem decisum est: at ea postmodum decisio, o Artaxerxi postposito, correcta apud Persas . Qvanqvam diremtio litis non malè à distin- ne sumitur: novus ne qvis ad regnum suo ni- erveneris, an sangvine vel matrimonio regio dum sibi ad altiorem fortunam struxerit. Hinc ientum Persiæ, in judicando discrepantium, ersitas rationem facti fœnerabitur. Aliàs benè D. responsum est, jura interna non admittere ferentiam ratione accidentalis dignitatis; nec ione dignitatis, sed naturæ, ad successionem

Persarum ratio.

parentum filios vocari. Nam & privatæ in rei su cessionibus, non habetur ratio temporis acqvi tionis, sed obitus parentis. Sed ne à jure public abeamus; filii ante dignitatem paternam genit à dignitatis tituli communicatione non exclu duntur. *Neqve interest*, inqvit de senatoris fili Ulpianus, *jam in senatoriâ constitutus eum susceperi an ante dignitatem senatoriam*. Sic allectus in nume rum advocatorum fisci, eximitur à cohortis, ve alterius vilioris conditionis, nexibus, cum filii qvandocunq; genitis, per constitutionem Theo dosii & Valentiniani Cæsarum. *Gregorius*; apud qvem & leges, pro contrariâ sententiâ allatas, dex trè solutas vide.

Juris Publici.

Petrus Gregor. l. 7. c. 9.

Nepos ex primogenito defuncti patruo in regni, ut & feudi, successione plerumqve præfertur.

Arduis hæc qvæstio motibus, armorum & verborum disceptationis, agitata, plenam decisionem vix dum invenit. Pro nepotibus cum res exemplis dijudicata, tum ratio non inepta militat.

Res judicata.

Inter Cleonymum, Cleomenis Spartanorum regis filium, & Areum Cleomenis nepotem, lite de regno coortâ, Senatus avitum regnum Areo adjudicavit. In controversiâ domus Borboniæ, idem in Galliâ imperante Ludovico Crasso judicatum est. Idem in Angliâ, in Lusitaniâ, in universa Hispaniâ, observatum esse scriptores commemorant.

Spartani iterum in partes vocati.

Propinqviores nationes

morant. In Germaniâ, Saxonum sub imperio, cum lis judicio dirimi non posset; duello indicto finem pro nepote invenit. In ditionibus qvoqve magno regno appensis, ut in Flandriæ Comitatu, & Britanniæ Gallorum Ducatu, idem juris fuisse memoratur.

Ratio.

Jure repræsentationis filius & pater pro eâdem personâ habetur, eodem propè jure fruitur. qvod in filio cõtinuatur, patre per mortem vivis exempto. Habet id qvidem in feudis præcipuè locum; sed nec à regni, qvod successione defertur, ratione nimium recedit. Si qvis autem jus primogenituræ remittat, Edomi negligentiam secutus, habet qvod sibi uni imputet. Nam jus hoc ita personæ vel repræsentationi adhæret, ut in vicinam transmitti nihil alienum habeat. Repræsentatio.

Qvæ in contrarium referuntur exempla, ea aut peculiarem habent rationem, aut à voluntate parentum, non à lege fluunt; aut paucarum inter barbaros gentium sunt propria; aut factum potiùs qvam jus respiciunt. Rationes, qvæ contra sententiam magis receptam moventur, apud Petrum Gregorium refutatas vide. Occupatio. l. 7. c. 11.

Successio linealis est, qvâ jus transmittendi futuram successionem, qvasi lege delatam, observatur.

Ea est vel Agnatica, Francici juris dicta, qvâ soli mares ad successionem admittuntur: vel est Succ. linealis.

Cognatica, qvâ etiam fœminarum ratio habetur, de qvâ vide Grotium: libro 2, cap. 7. par. 22.

Extraordinaria ſucceſſio vel temporis ratione vel perſonarum dicitur.

Extraordinaria temporis ratione eſt, qvâ patri nondum defuncto ſucceditur.

Ea vel volente patre, vel invito ſuſcipitur.

Nam vel à feſſo ætate & curarum laſſo, aut aliàs futurarum providentiâ, regnum filio defertur: vel à nolente vi, vel procerum conſenſu, extorqvetur. Spontaneæ ceſſionis illuſtria exempla in Davide Hebræorum rege, & in Carolo V. imperatore Romanorum habemus. Ille enim Iſraëlis regnum in filium Salomonem, hic regna hæreditaria in Philippum II. filium nimirum, Germaniæ imperium in fratrem Ferdinandum, accedente procerum conſenſu, à ſe abdicavit. Armorum portentoſâ violentiâ Selimus, fortunatiſſimus rex Turcarum, patri imperium eripuit. Pari violentiâ apud Germanos, ſed Papæ inſtinctu armatâ, Henricus V. patri cognomini regni habenas ademit. Plura exempla, ne exemplis jus confirmatum videatur, accumulare non libet.

Ceſſio regni.

Ereptio.

Perſonarum ratione extrordina-

dinaria successio est, qvâ liberis præteritis sororum filii, vel extranei etiam, ad successionem vocantur.

De extraneis defuncto succedentibus exemplum supra è Strabone, Arabiæ mores describente, attuli. Sororum filii apud Æthiopas, nec non apud Pictos filiis, modò fides scriptorum non vacillet, olim præferebantur. Caloris cum frigore convenientia.

His expeditis, qvæstiunculæ, à Grotio huic tractationi annexæ, examinandæ veniunt.

I.

An filius à patre exhæredari possit, ut ne in regnum succedat? Jus à naturâ, vel gentium consvetudine, privatis concessum, regibus adimi non debet. Sed ut privatâ in re, ita multò magis in publicâ, ubi vita omnium involvitur, gravem subesse exhæredationis causam oportet. præsertim ubi regna non sunt alienabilia, & patrimonii loco possessa: sed ita hæreditaria, ut jus suum populo, quoad curarum in translatione partem, non adimatur. Exhæredatio.

II.

An abdicari possit regnum, aut jus succedendi in regnum? Benè à Grotio ipso nodus inciditur: In hæreditariis qvi jus à se abdicat, in liberos nihil potest transferre. At in lineali successione, patris factum nocere non potest liberis. qvia jus eis ex lege, non ex voluntate patris, qvæsitum est. Pro se igitur abdicare qvis potest: ac ne id qvidem Juris regnandi abdicatio.

omni in regno, nec omni rerum facie. pro posteris, nisi populi accedente voluntate, in regnis juris Francici vel Castellani non potest.

III.

An de successione regni judicare possit aut rex qvi nunc regnat, aut populus per se, aut per judices datos?

Judicium de successione. Sed hæc qvidem qvæstio, non magni videtur esse ad usum vitæ humanæ momenti. Satis fieri tamen dubio, distingvendo inter judicium jurisdictionis, & judicium commissionis vel arbitrii, poterit.

IV.

An frater regis, absq; hærede defuncti, fratris majoris filio cedat? In hæreditariis qvidem regnis, divisionem admittentibus, ad partes æqvas concurrent. In aliis verò, ad similitudinem nepotis filio posteriori præferendi, majoris fratris filius jure præcedet. nisi consvetudo gentis alicujus jus introduxit, qvod successionem in gradum defuncti in limite transverso non recipiat. Sed ubi consvetudo dubiæ est observationis, aut ubi jus illud non exprimitur; in partem eam, qvæ liberos parentibus surrogat, potiùs inclinandum esse, rectè pronunciatur. Et hoc in Armoricâ Galliæ ditione observatum esse, Serranus, luculentus annalium Gallicorum scriptor, memoriæ tradit. Qvod autem aliter sentire in Novellis Justinianus videtur: antiqvas Romanorum leges, non æqvitatem naturalem, respicit.

Filius fratris majoris.

V.

An filius defuncti fratris, aut etiam filia, patruo regis præferatur? Affirmat cum Emanuele Costâ Grotius. nec id in lineali tantum successione, sed etiam in hæreditariâ, locum habere vult. in regnis

Subitio.

regnis nimirum, ubi subitio in locum mortui observatur. In regnis enim aliis vincet, qvi sexu aut ætate erit potior. atq; ita masculus etiam remotior fœminam, ætate præferendus juniorem excludet.

VI.

An filiæ nepos ex filio præferatur? id qvidem nec dubitandi locum habet: nisi alicubi solus liberorum gradus spectetur.

VII.

An minor ex filio nepos majori ex filiâ præferatur? Ea qvæstio magnis certationum motibus inter Ludovici & Elisabethæ, Divorum calculo Romano, posteros agitata, Hassiam à Thuringiæ conjunctione avulsit. Ratio inter linealem successionem, & inter purè hæreditariam, distingvit. Nepotum concursus.

VIII.

An neptis ex filio primogenito filium posteriorem excludat? Contra Emanuelem Costam negatur. In ipsis enim hæreditariis regnis, inter capaces valere debet sexus privilegium. Arragoniæ regnum pro vivido exemplo adducitur, in qvo tamen ipso, qvantum ad succedendi consvetudinem, variatum esse traditur. Ita si mores hominum, non æqvitatem naturalem, seqvamur: vix, ubi gradu stabili subsistamus, habebimus. Juris æqvi inventa, non vetustatis, non recentioris consvetudinis, ut cynosuram respicere, tutius fortasse fuerit. Est enim ubi approbationem illud Ciceronis inveniat: *Qvasi verò qvidqvam sit tam valde, qvam nihil sapere, vulgare: aut qvasi tibi ipsi in judicando placeat multitudo.* Neptis. Morum inconstans ludibrium. Divinat. lib. 2.

CAPUT XX.

DE IMPERII AMISSIONE.

Jus in perſonas extingvitur interitu vel abdicatione.

NOn hic juris domeſtici amiſſionem, non patris familiàs in cõjugem, in liberos, in mancipia imperium ademtum pollicemur. Publico in jure, qvæ bellorum & pacis materia, verſamur: publicis rebus, non privatis, ſcribendi arbitrio nos immiſcemus.

Interitus hic vel imperantium, vel eorum qvi imperantur, ſpectatur.

Imperantium interitu ſui fit juris qvi regebatur populus.

In regno qvidem qvod per electionem defertur, non interjectâ morâ. in hæreditario autem, non niſi omni familiâ & propinqvitate imperantis extinctâ. Ad naturalem enim libertatem redeunt, qvi dominum, vel qvi rectorem habere deſinunt. Sed hæc ita intelligenda ſunt, qvatenus libertas nec vi externâ, nec exorbitandi in vicinos licentiâ, qvæ armis compeſcenda ſit, impeditur. Antiqvâ in libertate populus Ditmarſorum agebat: ſed eum ſibi ſubjici Chriſtiernus rex Danorum ab imperatore Friderico petebat: qvod *non expediat ſine principe populum agere.* Adeò vicem oracu-

Ditmarſi.
Cranz. Dan. l. 8.

oraculi illud Demosthenis obtinet: *ἄπιστον, οἶμαι, ταῖς πολιτείαις ἡ τυραννίς, ἄλλως τε κἂν ὅμορον χώραν ἔχωσι.* Olynth. 1. *Suspecta libertati dominatio, maximè si vicinam regionem incolat.* Attamen non plenissimâ in libertate Dithmarsi agebant: qvi Bremensis episcopi lituum, saltem ecclesiasticis in rebus, reverebantur.

Præbuerant sanè insolescentis libertatis & vicinis tumore onerosæ, qvandam Dithmarsi speciem. Cilicius, bell. Dithm. lib. 1. Frisios inprimis, Eidorâ amne ægrè disjunctos, leviculas ob causas, v. gr. qvod facinorosos Dithmarsos ultimo supplicio affecerant, bello adorti lacessiverunt. Id satis ad arma inferenda Adolphus Holsatus, Christierno conjunctus, arbitratus; literas belli denunciatrices ad eos delegavit. Nec mora: bello subacto Dithmarsi, jugo lib. 2. accepto, impensas etiam belli, cujus ipsi autores videbantur, expendere jubebantur.

Qvi imperantur, vel corpore intereunt, vel spiritu.

Corpore intereunt, qvi vel omninò è rerum naturâ tolluntur, vel à conjunctione societatis dissipantur.

Aut enim internecione populus, aut dispersione deletur. Ad internecionem, qvæ fit furente gladio, adde maris exundationes, terrarum diductiones, montium ruentium oppressiones, famis aut pestilentiæ universalem sævitiam. Maris inundatione Helicen & Burin ad maris Ægæi litora, Inundatio.

nec longo intervallo Myunta, interiisse memorant. Addunt è Platone mari abreptos Atlanticæ populos: fabulosâ fortassis narratione; nisi eam ipsam esse ab Americo Vespucio inventam regionem dixeris. Qvas terræ motus hausit, uno tempore duodecim civitates apud Cornelium Tacitum Traduntur. Montis prærupti illapsu pagus insignis, Rhætorum in finibus, nostrâ memoriâ cum incolis omnibus oppressus. Famis qvæ vis, aut qvæ sit aëris lue infecti, passim videmus.

Dispersionis in Judæorum reliqviis, nunqvam in unum populum coalituris, clarum exemplum habemus.

Spiritu reipublicæ animali intereunt, qvibus juris communicatio adimitur.

Liv. l. 31. Exemplum in Capuanâ urbe, è Cicerone & Livio, alibi expressimus. Cui tamen jus civitatis postmodùm, si Vellejo & ipsi Ciceroni credimus, restitutum. Pejoris his conditionis Bruttii, ob diu præbitam Annibali commorationem, in apparitorum infimæ sortis numerum allecti, fuerunt. Apparitorum autem censu scribæ, accensi, interpretes, præcones, viatores, lictores, servi publici, carnifices habebantur. *Sigonius Ant. Jure Civ. Rom. l. 2 c. 15.*

Olynthii à Philippo Macedone, Thebani ab Alexandro hastæ venum subjecti, ad corporis dispersionem, non ad nudam civitatis ablationem, ferantur.

Ad populi integritatem propiùs accedunt, qvi vel loco migrare coguntur, vel muris urbis disje-

ctis

ctis obnoxii aliorum nutui habitant. Loco migrare à Romanis jussi Carthaginienses, piratæ Cilices, Ligures. illi à maris conspectu, isti à montium fiduciâ abstracti. Mœnibus & omni munitione nudati, Spartanorum imperiosâ postulatione, Athenienses, & ante eos Messenii. Mœnium quidem dejectio, vel muri non exstructio, jus civitatis non adimit. nam & ipsi Spartani, in viris & in armis omnia ponentes, muro caruisse memorantur. Splendorem tamen civium, si ad aliorum arbitrium dejectio fiat, imminuit. *Migratio.*

Abdicatio imperii est juris imperādi perpetua resignatio. Abdicatio est vel spontanea vel imperata.

Vel etiam medii generis, ad voluntariam cessionem metu majorum malorum inclinantis. Primâ in classe Diocletianum ponimus, expleto regni immoderati fastu privatam ad securitatem, & hortorum in secessu colendorũ jucundam amœnitatem reversum. In posteriori classe cum alii multi reperiuntur, tum Gothi à Narsete victi. qvibuscum ita convenit, ut prœlio superstites, rebus suis deportatis, Italiâ omni qvamprimum excederent. In mediâ Justinianus imperator, qvi Francis possessionem terrarum occupatarum firmavit, ne his qvoq; barbaris in se concitatis damni aliqvid acciperet. qvia ne ipsi qvidem Franci tutum sibi mansurumq; jus, nisi ex imperatoris autoritate, sperabāt. Idem Norici urbem, & qvod *Cessio imperii.* *Procop. Hist. Goth. lib. IV.* *lib. III.* *ibidem.*

in Pannoniâ munitum erat, aliosqve præterea agros & pecunias, Langobardis donavit. Unde illi provincias Romanorum alias, qvasi jure sociali penetrantes, imperii membra lacerabant. Eò enim perducta imperatorum autoritas erat, ut damnis ipsi suis & imperii subscriberent; & qvod vi non ferêdâ ereptum erat, donatione munirent.

QVÆSTIONES
circa transmissionem dominii obortæ.

QVÆSTIO I.

An populus qvi nunc est majorum debita exolvere teneatur?

Populus anus & alius.

* Ratio dubitandi: qvod alii succedant homines, alia temporum conditio. nec tantùm post geniti antecessores excipiunt: sed vario exterorum affluxu genus ipsum hominum mutari videtur. Sed his non obstantibus, qvi ut universi succedunt in jus & in commoda civitatis, ii & in onera olim suscepta succedunt. Nec desinit, ob hominum singulorum mutationem, idem esse populus: ut nec flumen idem esse desinit, etiam si aqvæ aqvas nova semper successione protrudunt. idem enim alveus, idem fluvii serpentis nomen, eadem ex eodem fonte scaturigo.

Jam qvid si mutatâ reip. formâ, à libertate populi in regnum transeatur? Negat Aristoteles eundem populum permanere. Ego cum Grotio inter consociationem juris & imperii, & inter partium qvoad regimen inter se relationem, distingvo.

gvo. Qvamvis regiminis formâ mutatâ, natura hominum non exuitur. Populus Atheniensium æqvè Codro regnante, ut Solone novas leges & exæqvationi civium accommodatas ferente, dicebatur. Nec Aristoteles tamen ipse mutationis vim eò usq; extendit, ut, ob mutatam gubernandi speciem, nomina expungenda esse expresè neget. Attamen patrum memoriâ proceres Flandriæ & Brabātiæ, operâ ducis Parmensis ad obedientiam regis reducti, qvod bello vel rebellione vigente mutuò sumserant, se jam obstringere negaverunt. Si qvam negandi rationem habuerunt: distingvuendum puto inter pecuniam ut populo, ut hominibus ejus regionis, creditam, & eam qvæ ad rebellionem fovendam expromta sit. Vagabatur inter usurpandam libertatem, & inter agnoscendum regis imperium, Belgii navicula. Reducto ad obseqvium pastoris grege errantium ovium, vetari à superioribus potuit, ne cui, fomenta rebellioni suppeditanti, qvod datum restituerent. nec id in pœnam tantùm inimicè erga regem animati sensus; sed ne attriti bello non necessario subditi planè exhaurirentur, & regii fisci vena prorsus exiccaretur. Alia Batavorum, & Batavis associatorum populorum, ratio. Qvamvis iniqvè fortassis cum iis actum, qvod facie rerum mutatâ, ob solvenda militum stipendia, qvæ in Brabantia expleverant, naves eorum in Scotiâ, merces in Germaniæ qvibusdam locis retentæ dicuntur. Sed hæc profundioris otii, & cogitationis intentioris, in præsens omitto. Scrupulus.

QUÆSTIO II.

An Papa transferendi imperii Romani jus habuerit?

De Romæ sub imperatoribus Byzantinis statu Pomponius Lætus: *Nescio quo fato præfectis obtemperavimus, & aliquando Augustulis, & sæpenumerò regibus Gothorum.* Quæ hominis pontificii, in antiquitate benè versati, confessio & donationi Constantinianæ, & exemtioni Romanæ urbis è diametro repugnat. Quo igitur jure vel cives Romani, vel eorum nomine pontifex, imperium Carolo in se & in membra Romani imperii obtulerunt? Serva post Herulos Gothorum Roma, debellatis per Justiniani legatos Gothis, Justiniani & posterorum ejus ad majestatem colendam rediit. Tardi in auxilio Romæ contra Langobardos ferendo imperatores fuere; non tamen pro derelicta eam habuere. Promtius à Francis laboranti auxilium; sed auxilium absq; subjectione nullam injuriam imperatori, qvi tunc rerum suarum in oriente satagebat, intulisset. Nec hæc Romano præsuli novandarum rerum causa: sed imperatorum contra irrepentem imaginum cultum vigilantia eum urebat. Armis igitur cum suis diffidebat, alienis innitebatur: & augmentum Francorum cum imperatoris ruinâ qværebat. Qvanqvam qvid imperatori hic decedebat? omni propè Occidente dudum ab imperio ejus avulso: in orientem autem nihil sibi juris Franci, nihil imperii vindicabant.

in Constantino.

Romæ status.

Papæ animus.

Juris antiqvi monumentum non tenue Roma

serva-

servavit, *in urbis suæ prærogativâ, & in honore consulatus*: fateor. Sed ea prærogativa plus umbræ & appellationis, qvam ponderis & veritatis habuit. Tantum abest, ut fundatum antiqvitate & gentium consensione jus imperatori imminuere potuerit. Durum est, qvod vir eruditus asserit, jus omne qvod hi qvi Constantinopoli habitabant ad eligendum imperatorem Romanum habere poterant, à voluntate populi Romani pependisse. Nam Constantinus, absolutioris dominii autor, dudum in hæreditariam possessionem qvicqvid Romani erat imperii converterat. Si qvando per aulæ factionem, aut militarem per impetum, populus Byzantinus qvosdam imperatores deposuit, aliis in eorum locum suffectis: receptæ imperandi per successionem ab intestato, vel etiam testamento paterno, consvetudini nihil decessit. Subdolè autem Grotius Irenes facit mentionem; qvasi contra mentem ac morem populi Romani fœmina imperaret. cum contrà superstitiosæ mulieris causam, adversus assertorem simplicitatis Constantinum, pontifices Romani fovissent. Primum autem civem Romanæ urbis pontificem vocare, nec cū sacro Clericorum ordine, & multò minùs cum animis Papæ, qvi se universorum dominum appellat, convenit. nec ad Judaicæ reip. normam regibus cedere, qvod summi erat pontificis, gauderet.

Prolepsis.

Grotianæ assertionis examinatio.

Fuisse autem qvalemcunq; hanc electionem personalem in Carolum Magnum, & qvosdam ejus successores, lite dijudicata nondum discussum est. Addo, Carolum Magnum huic electioni non acqvievisse: nec, nisi consensu Constantini

& Irenes accedente, ratam habere voluisse.

Concessio. Illud non diffitendum, Carolum & ejus successores jus imperii qvod habebant in Francos, ut & in Langobardos, à jure imperii in Romanos, ut novâ ex causâ qvæsito, solicitè distinxisse. Donum enim populi Romani accipere qvod ipsorum esset, aut nomine Romani imperii gentes patrias Romano præsuli subjicere, non sine causâ verebantur. Nam ne sic qvidem versutias Romanas effugere potuerunt; qvin regnum Germaniæ feudum Romani sacerdotis appellarent.

Salebræ. Placuisse interim populo Romano, *quò certius præsidium haberet, regem non proprium sibi sumere, sed eum qvem Germani fecissent: ita tamen ut jus sibi aliqvod retineret probandæ vel improbandæ electionis, qvantum scilicet ea res ad se pertinebat:* partim verè, partim latente fraude dicitur. Nec coronatio jus aliqvod imperii conferendi, qvod per approbationem subrepere animis poterat, demonstrat: ut à juris publici scriptoribus abundè ostensum est. Illi assertioni non refragor: regni Italiæ titulo *imperatorem sub se habere, qvæcunq; populi Romani fuerunt: qvæ neq; pactionibus, aut derelicti occupatione, aut victoriæ jure in aliorum populorum imperium concesserunt.* qvanqvam Germani, de imperio scribentes, astipulationi isti ægrè manum sint porrecturi. qvos nunc ad examen vocare, occupata opera, & impeditus pluribus meditationibus animus, non admittit. Qvas autem investituras feudorum,

Interregnum. episcopo Romano vacãte imperio debitas, Grotius intelligat non satis capio. in imperio enim Germanico Palatinus & Saxo, imperii vacantis Vicarii, divisis locorum partibus investituras tribuunt.

buunt. Italiæ qvæ supersunt feuda, qvæ præter Campaniæ regnum Siciliam annexam ferens, in obscuro jacent, papa etiam non vacante capite imperio sibi arripuit. Posse autem imperatori, morbo aut captivitate impedito, vicarium à populo Romano dari, solâ fortassis Cyni & Raynerii conjecturâ nititur: usus & veritatis ratio repugnat. Qvod autem papa *in populo Romano, tali tempore libero primas obtinet*: gratâ manu accipio, imperatore vivo populum Romanum liberum non esse; nec primum ejus civem libertatem vindicare, multò minùs in orbem humanum & ipsum in imperatorem, imperium jure posse.

Dicendum qvod res est: Grotius obtruso palpo alterâ manu solium pontificis erigendo, alterâ evertit.

QVÆSTIO III.

An ea imperii traductione dominium universi orbis ad Francos pervenerit?

Romanos rerum omnium potiri, præter aulicorum qvorundam adulationem, & vulgi rerum externarum ignari persvasionem poëtæ vel secuti vulgares opiniones, vel fingendi licentiâ excedẽtes, audacter assertum iverunt. Magnifico versu eâ de re Virgilius: Æn. 6.

Imperium terris, animos æqvabit olympo.

Qvod de Romanâ gente & urbe capiendum esse, seqvens versiculus testatur:

Septemq; una sibi muro circundabit arces.

Est enim qvasi Anchisæ apud inferos, de surre-

ctura Româ, vaticinatio. Simile qvid spirare Neptuni apud Homerum verba videri qveant: *Iliad. υ.*

Νῦν δὲ δὴ αἰνείαο βίη τρώεσσιν ἀνάξει,
Καὶ παῖδες παίδων, τοίκεν μετόπισθε γένωνται.

Æn. 3. Qvos versus, cum aliqvâ sensus adjectione, Virgilius ita expressit:

Hic domus Æneæ cunctis dominabitur oris,
Et nati natorum, & qvi nascentur ab illis.

Priorem versum, sine adjectione latitudinis imperii, ita verterem:

Jam valor Æneæ Trojanis jure praibit.

Nihil enim de orbis dominatione apud Homerum: qvi Æneæ posteros, cõtinuatâ serie regnantes in Italiâ, auditu percipere poterat: de Romanorum ex eo genere futurâ potentiâ nihil præsensione subolfacere poterat. Qvare ad Romanos poëtas, qvi Romam sub altissimo culmine conspexerunt, redeo. Qvasi elegantiâ cum Marone *Lib. 2. el. 5.* certaturus Tibullus, ita insurgit;

Roma tuum nomen terris fatale regendis,
Qvà sua de cœlo prospicit arva Ceres.
Qvâq; patent ortus, & qvâ fluitantibus undis
Solis anhelantes abluit amnis eqvos.

Fastor. lib. 2. Rotundiùs eandem rem complexus Naso:

Gentibus est aliis tellus data limite certo:
Romanæ spatium est urbis & orbis idem.

Qvod tamen alio in loco cum moderatione qvâdam, & tacitâ universæ amplitudinis exceptione, modulatur: *Fast. 1.*

Horreat Æneadas & primus & ultimus orbis:
Si qva parum Romam terra timebit, amet.

Epigram. lib. 12. Omnes verò rotundâ venustate supergressus Martialis:

Terra-

Terrarum Deâ gentiumq; Roma,
Cui par est nihil & nihil secundum.

Qvi in disputando non suum judicium seqvuntur, sed aliorum autoritati parent, in naturæ scrutatione meritò rejiciuntur. at in factorum qvæstione, in rei gerendæ veritate, autoritas testium ponderanda. Qvorum unus & alter in medium productus, gravitate suâ mulcentem aures poëtarum cantillationem facilè retundet. Pro Christianis, non adorati imperii Romani accusatis, Tertullianus respondet: *UNAM omnium rempublicam cognoscimus, Mundum.* Ergo imperium Romanum mundi extensione angustius. Mundum enim hic ut est respublica hominum, non pro universo cœlorum ambitu, accipimus. Qvod si clariorem testem, & rerum Romanarum peritiorem, desideras: ecce tibi Ammianum Marcellinum, de Constantio, Constantini post fratrum obitum unico successore, ita scribentem: *A justitiâ declinavit ita intemperanter, ut —— Orbis totius se dominum appellaret.* Injustitiæ tribuitur, vel solo titulo imperium totius Orbis affectare. Qvam ineptus igitur jurisconsultus Bartolus, qvi hæresis notâ aspergit, eos, qvi universi mundi dominationem ne qvidem in Germanorum imperatore agnoscunt. Plura de hoc qvæstionum genere in Principe Absoluto, qvò lectorem famelicum remitto, pertractavi.

Universitas imperii explosa.

Apolog.

lib 15.

Qvoniam autem ratio nos, non enim casus, in qvo nihil est rationis, ad Ammiani testimonium perduxit: qvid idem de pontificatu Romano, à qvo jus illud universi imperii emanare creditur, senserit, paucis aperiendum. Paparum inter cla-

Pontificiale regnum.

rissimos, eruditionis & sanctitatis nomine, Damasus. cujus & poëmata sacra extant: & cujus magna in componendis ecclesiarum orientalium litibus autoritas usurpabatur. De ejus ad pontificatum aditu ita Marcellinus: *Damasus & Ursicinus, supra humanum modum ad rapiendam episcopalem sedem ardentes, scissis studiis asperrimè conflictabantur.* Contra donationem Constantini, iis temporibus ignoratam, idem pro nobis militet: *Id adepti, futuri sunt ita securi, ut ditentur oblationibus matronarum.* &c. Nulla hic patrimonii Petri, nulla imperii occidentalis mentio; qvam in assignandâ rapiendæ sedis causâ, oblationibus matronarum longè præponderante, neqvaqvam omisisset. Vixit autem imperante in occidente Valentino, imperatore post constantinum Magnum qvinto, Damasus. Cum luxus Romanorum pontificum execratione idem Ammianus: *qvi esse poterant beati revera, si magnitudine urbis despectâ, qvam vitiis opponunt, ad imitationem antistitum qvorundam provincialium viverent.* Pudet ad frugalitatem Christianam hominis gentilis, qvamvis judicio synceri, exhortationem adducere.

Libr. 27. Simonia armata. Reditus eleemosynarii. Luxus Ecclesiasticus.

Qvæ de obligatione ex dominio ortâ Grotius huic capiti subjungit, ex amplissimo JCtorum de Obligatione campo decidi (est enim messis juris gentium) poterunt.

CAPUT XXI.

DE PROMISSIS.

QVæ tamen obligationi connexa sunt, & qvæ obligationem persæpè pariunt, PROMISSA, nobis in hac areâ percurrenda sunt.

Promissa

Promissa sunt vel simplicia, vel annexo juraméto munita. Simplicia non minùs qvam jurata promissa obligant.

Par enim est in mentiendo turpitudo, par in servandâ fide gravitas. *Qvid interest inter perjurum & mendacem? Qvi mentiri solet, pejerare consvevit:* inqvit Romanorum orator. nam qvi semel, inqvit idem, à veritate deflexit, hic non majore religione ad perjurium, qvam ad mendacium adduci consvevit. Qvis enim deprecatione deorum, non conscientiæ fide commovetur? Propterea qvæ pœna ab diis immortalibus perjuro, hæc eadem mendaci constituta est. Non enim ex pactione verborum, qvibus jusjurandum comprehenditur, sed ex perfidiâ & malitiâ, per qvam insidiæ tenduntur alicui, dii immortales hominibus irasci & succensere consveverunt. Hæc Cicero. Omninò omni mendacio fœditas, veracitati dignitas adhæret. Καθ' αὑτὸ δὲ τὸ μὲν ψεῦδος φαῦλον καὶ ψεκτὸν, τὸ δ' ἀληθὲς καλὸν καὶ ἐπαινετόν. Qvi verò alteri fallendo aliqvid promiserit, præter mentiendi levitatem, in eum cui promiserit non servando injurius est. injurius idem in societatem humanam: qvę fide verborum sublatâ intercidit. Hæc qvanqvam ita se habent, tamen pondus ex juramento verbis accedit. Horribile enim est, Deum in se testem perjurii, & vindicem si mentiatur invocare. Prætereà qvia apud omnes nationes jurisjurãdi sacrosancta habetur religio, sibilo

Cic. pro Roscio Comædo.

Mendax perjuro comparatur.

Aristot. Nicom. I V.

ſe hominum ſubjicit, & fidem in poſterum ſibi derogat, ſemel in perjurio deprehenſus. *Ubi ſemel qvis pejeraverit, credi poſteà, etiam ſi per plures deos juret, non oportet.* Qvæ contra promiſſorum obligationem Connanus diſputat, eleganter & nervosè à Grotio refutata vide.

Cicero pro Rabirio.

lib. 2. c. 11.

Publicè fidem tüeri, imperiorum decus eſt & ſtabilimentum.

Ferrum tuetur Principem, meliùs fides:

in Senecæ, ſi ejus eſt autoris, Octaviâ habetur. Ea imperantium autoritas optanda erat, ut vel nutus eorum vim juramenti habeat, ad exemplum Jovis Homerici, qvem ut ſupremum regem poëtæ imitandum in multis proponunt.

Nutus regum.

Iliad. α.

—— Οὐ γὰρ ἐμὸν παλινάγρετον, οὐδ' ἀπατηλὸν,
Οὐδ' ἀτελεύτητον γ' ὅ, τι κεν κεφαλῇ κατανεύσω.

Qvod capite annuero, non eſt revocabile, fraudis
Neſcium, & eventu certò veniente peractum.

Μέγιςον τέκμαρ, maximum fidei indicium, illum nutum qvamvis privatâ in pollicitatione appellat. Publicis verò in actionibus fidei naufragium facere, majeſtati inprimis adverſatur. Cœli apud Romanos depoſitum, Scipio Africanus, & hac à fidei obſervantiâ laudatur: *Omnium primum ratus, tueri publicam fidem.* A qvâ ne hoſtium qvidem, nec in adverſis deſes, perfidia deducere eum potuit. *Etſi non induciarum modò fides à Carthaginienſibus, ſed etiam jus gentium in legatis ſuis violatum eſſet, tamen ſe nihil nec inſtitutis P. R. nec ſuis moribus indignum in iis facturum eſſe*, rerum ſecuturâ fide pollicebatur.

Publica fides.

Liv. l. 29.

lib. 30.

Pro-

Promissionum expletio à facultate virium promittentis modum aliqvem accipit.

Qvam facultatem excipere in promissione, qvam pòst imbecillitatem fateri, gravitati consultius.

Εἰ δύναμαι τελέσαι γε, καὶ εἰ τετελεσμένον ἐστί:

Ni mea difficili superantur robora nisu:

minores apud Homerum dii petitionibus incertis annuunt. Iliad. ε, & alibi. Regem verò, autore Bodino, in integrum ab ipso restitui, ad imitationem ætate minorum aut metu circumventorum, non privilegium immunitati regiæ addit, sed pondus & autoritatem majestati detrahit. Non enim error in rege & imprudentia, publico consilio senatorum subnixo, non actionum exeqvendarum trepidatio formidanda. *Οὐ γάρ ἐστι βασιλεὺς ὁ μὴ αὐτάρκης, καὶ πᾶσι τοῖς ἀγαθοῖς ὑπερέχων.* *Non enim regis locum implere potest mancus potentiâ, nec bonorum omnium subsidio excellens.* Qvem locum Aristotelis latiùs, qvam ipse fortè senserit, extendo. Sin regia promissa damnum aliqvod reipublicæ, si dedecus publicum & majestatis trahant: alio ex fonte qvam restitutionis in integrum, qvæ imbecillitatis est confessio, labenti succurrendum. Privatis verò in regis actibus, jacturam aliqvam facultatum, qvam famæ & existimationis in rescindendis promissis, regem accipere, præsertim cum ferendæ aut resarciendæ calamitati sit; ratio cupiditate superior dictitat.

Privilegium.

Aristot. Nicom. l. 8. c. 11.

Gradus locutionum de futuro.

Grotius tres gradus loqvendi de rebus futuris,

qvæ noſtræ ſunt poteſtatis, procudit: qvi ſine exa-
mine dimittendi nobis non ſunt. Primus gradus
Aſſertio. eſt *aſſertio explicans de futuris animum, qvi nunc eſt.*
Ad hanc, ut vitio careat, nihil aliud reqvirit, niſi
veritatem cogitationis, non autem cogitandi per-
ſeverantiam. *Habet enim*, inqvit, *animus humanus
non tantùm naturalem potentiam mutandi conſilium,
ſed & jus.* Sententiæ hujus illuſtrationem etiam
è ſacris, ſi fas erat, adducere poterat. Conſtituerat
2.Cor.1.v.15. Paulus Corinthum reverti, Corintho Macedo-
niam petere. Qvo miſſo itinere, qværit, an levitate
v.17. qvadam conſulendi, carnis affectu abreptus, aſſe-
rendi & negandi limites confuderit. Suſpicioni
levitatis avertendæ gnomam ſacram, nihil carna-
le ſapientem; obvertit. Ὅσαι γὰρ ἐπαγγελίαι τοῦ θεοῦ, ἐν
αὐτῷ τὸ ναὶ, καὶ ἐν αὐτῷ τὸ ἀμὴν, τῷ θεῷ πρὸς δόξαν δι' ἡμῶν.
v.20. *Qvotqvot enim ſunt promiſſiones Deo, in ipſo ſunt
ETIAM, & in ipſo ſunt REVERA, Deo ad gloriam
per noſtrum miniſterium.* Qvi locus etiam ad aver-
Scripturæ ſacræ veritas vindicata. runcandas eorum, qvi ſcripturam contrariarum
locutionum arguunt, objectiones & ſannas facit.
Prima nodi ſolutio in voce ἐπαγγελίαι, *promiſſiones.*
latet. Animo conceperat, & verbi vel literarum
indicio patefecerat, itineris qvendam circulum,
qvem rebus cum tempore mutatis non obiit.
Nulla in hac conſilii formatione promiſſio, nulla
ex promiſſione obligatio. Altera ſcrupuli excuſ-
ſio in voculis τοῦ θεοῦ, *Dei.* Dei, non hominum
ſunt promiſſiones, qvæ in Evangelio feruntur;
cœleſtis gratiæ abundantiam, non terrenæ con-
verſationis vagam incertitudinem, proferentes.
Diſtingvendum enim in ſcriptis Apoſtolorum
arbitror, ſi qvid humanæ privatis de rebus con-
ceptio-

ceptionis, divinæ ſeminis ſpiritualis meſſi aſperſerint. Ita ad Philippenſes ſcribens Apoſtolus, ſperabat ſe ad illos rediturum: & ad Philemonem commendatitias exarans, diverſorium ſibi parari imperabat: cum tamen è carcere Romano nunqvam, niſi ad ſupplicium perferendum, dimiſſus credatur. Qvod futurum, Epheſiis congregatis, prophetică non dubio vaticinatione, prædixerat. Præter enim ſermonem magis attentum, multum inter οἶδα novi, & ἐλπίζω ſpero, intervalli qvoad vim aſſerendi intereſt. Si qvis verò ſimplicem aſſertionem ſcribentis ad Hebræos urgeat (cujus epiſtolæ autorem Barnabam Tertullianus, & eum ſecutus Camero, prædicat) ſi locum de itinere Hiſpanico proferat: eodem reſpondendi lecytho, eâdem qvâ ſuprà operâ defungimur. *Qvantum enim ipſius voluntatis interfuit, hoc pronunciavit, qvod reverà voluiſſet efficere. Qvantum autem ad divini ſecreta conſilii (qvæ ut homo omnia non potuit, licet ſpiritu Dei plenus, agnoſcere) ſupernâ prætermiſit diſpoſitione præventus.* Gelaſius Papa, ut eum laudat Baronius, *Ann. Eccleſ. Anno 61.*

Philem. v. 22.

Act. 20. v. 25.

Hebr. 13. v. 23.

Rom. 15.

Erant in ſententiâ Pauli *Qvotqvot promiſſiones* &c. qvæ ulteriorem explicationem deſiderarent: ſed extra ſcopum noſtrum falcem agri theologici non arripimus. Illud in adjuvando Grotio vel caſtigando non prætereundum, jus illud mutandi poſt aſſertionem conſilii non nimis vagæ licentiæ eſſe debere: ſaltem ne verbis noſtris pondus aliis in aſſertionibus detrahatur. Nam & Paulus Apoſtolus in exiſtimatione ſuâ vindicandâ, & ſuſpicione levitatis amovendâ, laborans: cauſam mutati animi cum gravi Dei teſtis invocatione pro-

Limitatio Canonis Grotiani.

v. 23. fert. *Ego autem Deum testem in animam meam invoco:* qvam juramenti gravitatem non temerè alio novi Fœderis loco reperias: *qvod vobis parcens Corinthum non veni.* Multa enim in moribus & in doctrinâ Corinthi vacillabant, qvæ increpationis asperitatem Apostolo extorsissent. Atq; hæc mutandæ vel promissionis, nedum assertionis, complendæ causarum non postrema; cum id qvod alteri promisimus, ei non expedit. qvod Phaëthonthéa ruinâ, & miserabili Hippolyti obitu, poëtæ & orator de officiis declarant. Atq; hæc de primo loqvendi de rebus futuris, qvæ nostræ sint futuræ potestatis, gradu.

Pollicitatio. Alter gradus est, *cum voluntas seipsam pro futuro tempore determinat, cum signo sufficiente ad indicandam perseverãdi necessitatem.* Pollicitationem hanc docendi gratiâ à promissione separatam, vocitat Exemplum in debito misericordiæ & gratiæ reponendæ expromit: ad qvam nos ita obligamur ut alteri jus lege exigendi non creetur. Siqvidem exceptâ Macedonum gente, non est in ullâ dat adversus ingratum actio. Aliud exemplum in debito constantiæ, qvod proprium est hujus loci, & fidelitatis depromit. Nam si qvis ultrò alicui, calamitate jam intricato, auxilium polliceatur, i ferendo autem deficiat; conqverendi fortassi causam alter habebit; judicio vel armis disceptandi non habebit. Qvanqvam non desunt, suppeditante historiâ, exempla eorum, qvi vel germani fratribus, ob non latum auxilium, bellum injustum intulerunt.

Seneca Benefic. lib. 3.

Promissio. Tertius gradus est, *ubi ad determinationem tale accedit signum volendi jus proprium alteri conferi*

Spo

Sponsionem intellige, vel similem è stipulatione obligationem: qvâ ad dandum aliqvid vel faciendum obstringimur. Ejusmodi promissionum præstationem ex immutabilis justitiæ naturâ venire, Dei spontaneâ obligatione demonstratur. Loca qvæ Grotio indicantur scripturæ, non omnes parem obligati nobis Dei necessitatem adferunt. Nehemiæ, precibus ad Deum vacanti, fœdus cum Abrahamo initum recensetur. Sexto ad Hebræos capite, τὸ ἀμετάθετον τῆς βουλῆς, consilium irrefragabile Dei, juramenti interventione, qvod nondum est hujus loci, probatur. Decimo capite nihil aliud, nisi *fidelem esse pollicitum*, Deum nimirum, habetur. qvod & Apostolus primo prioris ad Corinthios capite, versu nimirum nono, (nam in Grotiana versus assignatione erratum est) exprimit. Nec aliud aliis in allegatis, nisi πιστὸν esse Deum, qvod phraseologiâ Hebraicâ etiam ad benignitatem refertur, conspicitur. Nehem. 9. v. 8. Hebr. 6. v. 17. c. 10. v. 23.

CAPUT XXII.
DE IVREIVRANDO.

JUSJURANDUM est Dei in veritatis testimonium, cum noxii perjurio capitis execratâ devotione, religiosa invocatio.

DE jurejurando campus & Theologis, & Jureconsultis, & Politicis deniqve, percur-

Jurisj. sacra. rendus latissimus aperitur. Illis, ut conscientiam obstringit, & Deum vel autorem vel determinatorem habet. His, ut fori, & causarum expediendarum, vinculum & adjumentum. Istis, qvatenus regum & populorum conventiones temperat. Cætera, qvæ ad jurisjurãdi religionem pertinent, per qvæstiones institutas enodabimus.

QVÆSTIO I.

Utrum jurare Christianis permissum?

Erecta non vultu magis qvam animo, simple hominum natura, sermonem animi indicem ac cepit. Nec aliter conveniebat societati hominum naturæ priùs cognatione qvam legum vincul conglutinatæ, qvam animi sensus mutuâ fiduci aperire. Postqvam autem fraude in orbem inv ctâ, fides passim interiit: aliud proserpenti mal remedium, ne fide sublatâ societates hominu interirent, inventum. Metu Dei ultoris injec & jurejurando sancito, promissiones firmatæ, j dicia constabilita, contractus robur acceperu

Jusjur. à malo. Et hoc est qvod Christus, antiqvæ puritatis vi dex & magister, id qvod simplicem assertion vel negationem superat, *à malo provenire* enunci

Matth. 5. v. 37. A malo, pravæ nimirum consvetudinis, nisi ju to non credendi, & depravati hominum ad m tiendum ingenii. Priscum igitur hominum p vitate nondum detortorum statum, menda mutuò se non circumveniendi, tollendâ ex eo randi necessitate, Christus reduci exoptans, & hominum debili capacitate sanciens, *omninò*

v. 34.

jur

jurandum esse pronunciat. Qvod autem jusjurandum omne, etiam judiciarium, etiam contractuum & fœderum confirmatorium, è radice evelli non potest, à malitiâ hominum provenit, medicinam tam acrem non recipientium. Simplici enim sanctitati, & loqvendi per omnia veracitati, proximum est jurisjurandi religionem vereri. Monendi tamen sunt & judices & litigantes: illi, ne passim etiam leviculis in causis, aut ubi veritas aliis indiciis erui potest, juramentum deferendo profanent. hi, ut omnem jurandi occasionem, etiam cum rerum suarum detrimento, fugiant. Abstinendum potiùs à litibus judiciariis, qvas ἥττημα, infirmitatem & qvasi labem ac nævum, Apostolus appellat, qvam earum roboratâ consuetudine charitas in multorum animis exulcerata refrigescat, & ad eruendam veritatis fidem admonitio Christi, de cavendo jurejurando, temeriâ levitate violetur. Monitum.

1. Cor. 6. v. 7.

Hæc est ingenua, & ut ego arbitror genuina, loci qvi multos torsit explicatio. Veteri in testamento, infirmitati rudis Hebræorum animi Deus condescendendo, cùm superfluum jurisjurandi testimonium durities cordis eorum esse non sineret: duo saltem repagula jurandi freqventiæ, à Christo recensione repetita, communiit. 1. Ne jusjurandum violaretur: οὐκ ἐπιορκήσεις, *non pejerabis*. 2. Ne alii qvam Deo vero jusjurandum à populo Dei redderetur: ἀποδώσεις δὲ τῷ κυρίῳ τοὺς ὅρκους *reddes JEHOVÆ juramenta tua.* Non qvod reliqui id facerent, inqvit in hunc locum Hieronymus, sed qvod melius esset Deo id exhibere, qvam dæmonibus. Christus umbrâ discussâ novâ luce

Septa juramenti.

Matth. 5. v. 33.

exortus, voluntatem paternam pleniùs patefa-
ciendo illustravit. Qvi tamen judicia forensia sub-
laturus non erat, non omnem jurisjurandi neces-
sitatem adimit, sed jurandi etiam in judiciis fre-
qventiam, temeritate remotâ, circumscribit. Me-
lius igitur est Christo judice à jurejurando, qvo
à malâ radice provenit, omninò abstinere. Cum
qvo Salomo Ecclesiastes, inter eum qvi jurat &
qvi jusjurandum veretur distingvendo, conveni
1. Cor. 7. Sed qvemadmodum Paulo melior est cœlibatu
qvam conjugium, non tamen cõjugium damna-
tur: ita, per interpretamentum Apostolorum
juramentum non planè abusu hominum reme-
Aliorum interpretationes. ventium, non jurare melius habetur, ut tame
non omne juramentum culpâ jurantem implic
c. 22. q. 1. Augustini explicatio, qvam Gratianus in D
Augustini. creto refert, juramentum à malo esse non jura
tis, sed incredulitatis ejus cui jurare cogitur:
aliqvando vera est; ita nec ex mente Christi vi
tur, nec omnibus casibus applicari poterit. In
mitatem eorum, qvi non aliter moventur ad
dem, rectè accusat: sed non ea sola recepti fi
jurisjurandi occasio. Nec malè interim mo
Augustinus: ut qvantum in ipso est, qvisq;
juret. & cavendum unicuiqve, ne assiduitate
randi ad perjurium per cõsvetudinem delaba
Non in bonis, sed in necessariis jurationem
bendam. Cui Isidori dictum consentit: *dum
randi usum facimus, perjurii crimen incurrimus.*
tamen ea Doctorum ecclesiæ præcepta, præ
qvam hoc fortassis Augustini, *etsi non bona, t*
necessaria est, juratio; omnem Christi menten
hauriunt. Multò minùs eorum non plana e
n

patio, qvi voculâ τῶ λόγω arreptâ, nihil aliud qvàm jurandi familiari in sermone freqventiam interdici arbitrantur. Nam id ne Hebræis qvidem veteri in lege permissum, & gentilibus plerisq; vitiosum habebatur. Neq; locus Jacobi, qvi cum Matthæi loco conferendus est, nihil nisi jurationem qvæ in garrulitate versatur vetat. Et dictionem sive sermonem, τὸν λόγον, à publico locutionis usu removere, domesticam ad futilitatem restrictum, nec Græci sermonis nec Romani consvetudo patitur. Nostri an-

Jacob. 5. v. 12.

Qvi nihil nisi jurationem per templum, & alias per creaturas, vetitum esse arbitrantur, & Christi verbis & Jacobi vim faciunt. Qvò enim illud Christi ὅλως, OMNINO *non jurabitis*; qvo illud, *Sit sermo vester* &c. reducent? Qvid facient illo Jacobi, μήτε ἄλλον τινὰ ὅρκον, *neq; aliud qvodcunq; juramentum jurate?* Christus, & cum præeuntem secutus Jacobus, non modò per tremendi Dei majestatem, sed etiam per ea qvæ Dei possidentis gubernationem involvunt, jurandi consvetudinem sublatam exoptat. Jurare per cœlum vetat; qvia qvi per cœlum jurat, jurat per sedem Dei, & per eum qvi sedi insidet. qvi jurat per terram, jurat per scabellum pedum Dei: & conseqventer per Deum ipsum. Ne qvidem per hominum manufacta, si qvid sanctitatis & Deo consecrati habent, jurare permissum. v. gr. per Hierosolyma: urbem Deo in peculio repositam; ubi Prophetarum locutione Deus focum & ignem habebat. Qvo sensu accipio verba: ὅτι πόλις ἐστὶ τοῦ μεγάλου βασιλέως, *qvandoqvidem urbs est magni regis.* non Davidis et Salomonis, & multò minus Herodis, qvi eam

Recentiorum.

Matth. 5. v. 22. h. l.

Terra igitur, ut focus, domicilium sacrã omnium deorum est: Cicero 2. de legibus.

Rex Magnus.

urbem possidebat: (ex eâ autem qvam David muro cinxerat, Salomo templo & donis ornaverat, nihil præter locum superfuit) sed verè magni regum regis, Dei: non enim articulum τῦ otiosum reor. Qvod omnia priora superat: ne qvidem per se ipsum, salutis suæ pignore interposito, jurare homo poterit. non enim sui vel juris vel potestatis est: Deo præ omnibus rebus creatis & corpore & animo sacratus. Nam & capilli hominum, Deo peculiarium, numerati sunt: nec unum ex iis, album an nigrum, producere homo poterit. Non igitur vel Dei immediata invocatio, vel dum divino nomini qvâdam reverentiâ parcimus, eorum qvæ singulari in Dei curâ sunt & patrimonio, sub juramento attestatio, sensu qvo supra dixi, temeranda est.

Matth. 11. v. 30.

* h. l.

Grotii.

Grotius, ut est singularis in multis judicii, singularem interpretandi verba Christi & Jacobi rationem commentatur. Inter juramentum assertorium, & promissorium futuri incerti, distingvens: illud Apostoli Pauli exemplis confirmari, istud verbis magistri tolli asserit. Ingeniosè, & ad judicia fori accommodatè, si generalitas verborum Christi & Jacobi eam distinctionem admitteret. Ratio autem à Jacobo addita, μὴ ὑπὸ κρίσιν πέσητε (ita enim legendum esse, consensus bonorum exemplarium & sensus ipse indicat) *ne in judicium incidatis*, utrumqve tempus involvit. Assentientem tamen Gratianum, si non plenè saltem partitè Grotius habet. *Aliud est*, inqvit, *ad juramentum spontè accedere, aliud vel ad asserendam innocentiam suam, vel ad pacis fœdera confirmanda, vel ad persvadendum auditoribus, qvando pigri sunt credere*

Lib. 2. c. 13. p. 21.

c. 22. q. 1.

qvo

od eis utile est, juramentum afferre. Primum prohi-tur, secundum conceditur. Fœderum confirmatio, fidelitatis juratio, & similia, futuri incerti promissia sunt: nec minùs ad rerum humanarũ vincu-m, qvã sunt forensia judicia, utilitatis vel necessatis habent. Rebus igitur humanis Grotius, in-rpretando Christum & Jacobũ, & ad civiles usus iducendo, plenè non consulit. Sine fidei enim imperantes certitudine nulla subjectio: sine bjectione nullum imperium. Sine imperio *nec nus ulla, nec civitas, nec gens, nec hominum univer-genus stare, nec rerum natura omnis, nec ipse mun-potest.* Nec enim in imperandi vel autoritate scientiâ, si desint qvi obtemperent, cardo uni-rsi in integro versabitur. Qvo respiciens eodem o Cicero, gravibus verbis edisserit: *Neqve so-iis præscribendus est imperandi, sed etiam civibus imperandi modus.* Aut igitur nudè verba Chri-sine respectu rerum humanarum accipienda nt: aut rebus humanis non jejunè nec dimi-ex parte, detortis ad usum civilẽ verbis Chri-consulendum. Promissorium juramentum. Cic. 3. de legibus.

QVÆSTIO II.

Utrum pacta per deos fictios jurata valeant?

Homini qvidem veri Dei cognitione imbuto, falsos deos jurare non permissum. Si qvis ta-n vel mentis errore abreptus, vel ut simplicio-per credulitatem in fraudis laqveum inducat, deos non deos juraverit, pacto stare naturâ ciente obligatur. Numen enim divinum ge-

nerali intuitu, qvanqvam errabundâ notarum impreſſione, in teſtimonium vocatum eſt.

Perjuri gentiles.

Perjuri Carthaginienſes habentur, etiamſi Deum verum non cognoverint. Nec Romanorum magis exprobatione, qvam cladium ſucceſſu irruentium cumulo, audierunt:

Liv. l. 30.

Tot cladibus edocti, tandem deos & jusjurandum crederent. Qvanqvam Dei revelatione manifeſtati agnitione cœcus, Lyſander cum opprobrio audivit:

Plutar. in Lyſandro.

Τὸν μὲν ἐχθρὸν ὁμολογεῖ δεδιέναι, τοῦ δὲ θεοῦ καταφρονεῖν, *Hoſtis metum, Dei contemtum præfert.* Plus enim pietatis, plus in eo ſynceritatis ac fidei, qvi Deum qvamvis ignoratum colit, qvam qvi nullum in actionibus omnibus Deum, nullum jusjurandum veretur. Qvare nec Jacobus patriarcha, ut Davidem & alios reges omittam, cum Labano idololatra pactum inire ambiguit. qvo facto

Gratian. c. 22. q. 1.

non peccato ejus ſe ſociat, qvo per dæmonia juravit, ſed bono pacto ejus, qvi fidem ſervavit: ut Auguſtinus loqvitur. Qvi & id, qvod paulò ante dixi, confirmat: *Sine ullâ dubitatione minus malum eſt per Deos falſos veraciter jurare, qvam per Deum verum fallaciter.* Error enim in intellectu, etſi non minus miſeriæ

Peccatum morale gravius.

certè minus neqvitiæ & culpæ habet, qvam voluntatis, deditâ operâ obtenebratæ, præfracta obſtinatio. Nec Jonam inter nautas ſimpliciter pio verſari piguit, qvi ſceleri Ninivitarum, qvam vi pœnitentiâ compunctorum, non ignovit.

Per creaturas juratio.

Qvid de juratione per cœlum & ſimiles creaturas ſentiendum ſit, è qvæſtione è præcedenti intelligitur. Cum hoc tamen diſcrimine: gentiles per creaturam, ut per Deum, jurabant: Judæi, & interdum

Joſephus.

ſancti, in creaturâ creatorem venerabâtur. Qvi in Joſepho, per ſalutẽ Pharaonis jurato, tumultuari

tu

ictus in simpulo, non in Ægæo mari, exci-
Non enim per Pharaonem jurabat, sed pi-
salutis ejus interposito, fratres fictâ incre-
ie exploratores vocabat. ac si dixisset, Qvam
mihi est, vel qvam certa, incolumitas Pha-
;, tam vos exploratores esse scio. Potest
sensu diviso, ut duæ sint enunciationes, ac-
ivit Pharao: &, *Exploratores vos estis*. qvorum
vera, falsa posterior. Vel in sensu conjuncto
; falsa erit, si de spirituali Pharaonis vita ac-
. Non enim illuc traho, Josephum caput
onis tacitâ execratione devovisse. id enim
i ejus in regem, & regem qvidem benefa-
m, & saluti ipsius, qvæ saluti regis innititeba-
lversaretur. Non enim Sejani imaginem in
ho, non Plautiani aut Perennis, historia sa-
pingit.

QVÆSTIO III.

Utrum juramentum vi vel ore extortum obliget?

e vi: Nullum periculum tantum, nullus
s esse tantus debet, qvi mentem usq; adeò
uâ moveat, ut Deum contra se testem, con- Metus.
imi sententiam jurando, invocet. Non esse
ndum ab iis qvi corpus occidunt, animam *Matth. x. v. 28.*
n occidere non possunt; magis autem ti-
dum esse eum, qvi & animam & corpus igni
nali perdere potest: etiam hic locum habet.
ponium Tribunum patris accusatorem ju-
Manlius ferro adacto jurare coëgit, fore ut
tione desisteret. juravit, & abstinuit: cau-

ſamq; eam populus probavit. Ubi tunc illa ex ptio, *Qvod vi & metus cauſa?* Qvi latroni ſilenti & lytrum ſui juravit, ad utrumq; naturaliter ol gatur. Si qvis tamen patriæ proditionem, ſi rentum necem juraverit; culpam meticuloſæ rationis à Deo deprecetur; qvod juramento pollicitus, ne præſtet. Non enim juramenti vinculum neqvitiæ, aut Deus invocatus ma rum facinorum conciliator eſt habendus. A ex hoc fonte jura municipalia qvibuſdã in lo

Juramenti laxatio.

& magiſtratus pro civium ſalute vigilantes, vet promiſſam latroni pecuniam numerare, ſilen latrocinandi audaciam fovere vetant. Eſſe en colluſionem qvandam cum nefariis homini in eo ſilentio, eſſe patriæ facultatum ſpoliation in numerandâ pecuniâ, interpretantur. Qvor ſolicitam pro innocentibus curam vehemen probo: juramenti remiſſionem aliis defend dam relinqvo.

Error in jurejurando committitur, vel qv alieno dolo elicitum eſt, vel qvod mentis præci

Dolus.

tatione protruſum. Qvod dolo elicitur jusjur dum, cum de aliâ re juratur, alia mente conci tur, ſubruto promittendi fundamento, qvæ perſtruxeris corruunt. Ut ſi qvis Hiſpanor ſe legatum fingens, fœdus cum Turca extorſe

Gabaonitæ. Jeſ. 9.

Nec obligatum Gabaonitis Joſuam fuiſſe ar tror, cum populo remotiſſimæ regionis, vel n potiùs & qvi nuſqvam exſtaret, qvam cum vic pactum. Tutius tamen ad evitandam Dei off ſionem arbitrabatur, ſervatâ & ſic jurejura religione, in mitiorem partem inclinare. Null enim in ſervandis hominibus ſcelus eſt; nec cru

e evitando piaculum. Qvod autem pacem Cananæis fieri Deus vetuerat, consilii magis praecepti videtur fuisse. Nam ipse pacem Gabaonitis ratam habuit: & Saulis præpo- m zelum graviter in posteris ejus punivit. ris autem regionis incolis non parcendi oc- nem Deus ipse, animos eorum ad belli per- iam indurando, præbuit. 2.Sam.21. Josu.11.v.20.

entis præcipitatione protrusi juramenti sa- istoria in Jephtæ vovendi temeritate, solven- iti Deo non accepti pervicacia, proponit. ille hominem qvenqvam in victimam ma- dum, & multo minùs unicam filiam, animo eperat. Jurisjurandi anxia reverentia, & viri osito ac sermone constantis gloriosa affecta- uctum ipsi acerbum accersivit. Judic. 11. Error.

QVÆSTIO IV.

An irrevocabilis juramenti obſervantia?

Melius est non vovere, qvam à voto concepto ire, inqvit Ecclesiastes: ita non jurare, qvam mentum dissolvere, melius est. Maximè cum æ gravissimæ, gentilium sententiâ etiam ad eros transituræ, caput perjurio obstrictum eant. Sed ne scrupulosâ in eo qvod non est mentum superstitione ducamur, rectè mo- ır. Verba nuda.

Consilium prudensq; animi sententia jurat:
Et nisi judicii vincula nulla valent:

rit apud Nasonem puella, ab amatore circum- ta. Legenda, & clarè pronuncianda, verba Heroid. epist. 20.

Acontius Cydippæ dederat, qvibus qvafi ju mento amanti obſtringeretur. Poſt aliqvam a mi luctantis agitationem, rectè impoſtori ſpondet:

Qvid tibi nunc prodeſt jurandi formula juris,
Lingvaq; præſentem teſtificata deam?

& paucis interjectis verſibus:

Sed ſi nil dedimus præter ſine pectore vocem:
Verba ſuis fruſtrà viribus orba tenes.
Non ego juravi: legi jurantia verba.

Atq; hoc ſenſu verſus Euripidis, à multis exagi tus, nihil abſurdi continet:

Ἡ γλῶσσ' ὀμώμοχ' ἡ δὲ φρὴν ἀνώμοτος,
Jurata lingva eſt, mente juratâ nihil.

Fraus juramenti. Sin eam fraudem occultat, lingvam qvidem j jurandum exactum promiſiſſe, animo autem c ſentienti voluntatem jurandi non adfuiſſe: ni eo verſu ſceleratius. Qvanqvam Germanoru tritum ſermone proverbium jactatur: Jurame tum à non volente exactum, Deum remiſſio facilem habere: Gezwungen Eyd iſt Gott le Nobis non tam laxus ad jusjurandum effunde dum, nec cuivis bono, ſinus.

Altera. Nec ſaniores illi, qvi ſervatis occultò intellec verbis, exſpectationem eorum qvibus juratur c cipiunt. Hi ſibi rem cum Deo eſſe, aut Deum o cultos animi receſſus introſpicere, vel non intel gunt, vel ſuo cum dedecore & ſecuturo dam floccifaciunt. Si *ream lingvam non facit, niſi mens r* ut Auguſtinus loqvitur: lingvam niſi mens a ſoluta non abſolvit.

Sed ut non arrodenda juramenti verba; ita e tenſione ad minùs faventem interpretatione

ne

ucenda. Juramento se Israëlitæ obstrinxe- Israëlitæ.
ullum eorum filiam suam Benjaminitæ ulli
rem daturum. Pœnitentiâ post cladis com-
tionem ducti, viam ipsi qvâ aliorum filias
rimonium raperet subjecerunt. Non enim
um benignitatis sinum aliis ex officii neces-
præcludit, ad aliorum etiam fontes obstru-
cogitur. Qvanqvam fuerat in eo undecim
m juramento aliqvid iniqvitatis, vel teme-
præcipitationis. qvare ex alio etiam penu,
vaculâ nodus hic incidendus.
m præter erroneam mentis præcipitantiam, ἀδυνάτου
paulò antè attigimus, ab omni re illicitâ, moralis.
æ jure vel divino interdictâ, juraturo aut ju-
itum expleturo sedulò cavendum.
rantem autem populum, & eum qvidem so-
& ab eadem familiæ radice, ita armis coër-
ut eum interdicendo conjugio cum stirpe
das, non est naturæ juri consentaneum. Nec
m integram delere Deo propositum erat:
nen conjugia cum alienigenis interdixerat.
gitur Israëlitæ ad se reversi, compunctione
i dolentes, de resarciendâ juramenti temeri-
ogitaverunt. Qvemadmodum David, qvod
ıentum vehementi irâ percitus juraverat, se
itùs domum Nabalis exstirpaturum, ira de-
â correxit.
nili in valetudinario decumbunt, qvi præ-
ittendi in Deum vel in homines officii ne-
atem jurejurando sibi imponunt. Julianus Ammian.
rator Deo suo iratus, non se deinceps ei sa-
aturum juravit: nec resecravit. non erroris
i abjectione; sed mentis perseveranti tumo-

Chronic. Prussia. ic. Lichtenaviæ, pagi insu..næ Borussiæ, incol mutuo se juramento obstrinxerant, anno verten te se sacra non adituros, nec cauponâ excessuro

Matth. 15. Judæorum filii se & sua devoverunt, si qvid pa rentibus benignè facerent. Honorius, degen

Adde his execrationem, qvæ habetur Act. 23. v. 12. Theodosii magni filius, nunqvam se pacem cu Alarico Gothorum rege, orbis Romani & Urb flagello, facturum juraverat. Hæc omnia jur mento concipere, impietatis inconsideratæ, no deferendo fovere, stultæ perseverantiæ.

ἀδύνατον naturale. Id qvod fieri naturâ aut viribus humanis n qvit, qvam stolidè juratur, tam ineptè exigitu Ad ea enim, qvæ facultatem humanam superan aut qvæ sunt repugnantia naturæ, nemo hom num vel se vel alium obligare potest.

QVÆSTIO V.

Qvæ Principum in remit tendo jurejurando potentia?

Juramenti laxatio. Esse aliqvem in terris, qvi vincula juramen resolvat, gentilium superstitioni non persvasu fuit. Adeò illi pluris Jovem suum & deorum tellitium, qvam nostrum ævum unum veru Deum, faciunt. Absolutiones juramentorum

Grot. l. 2. c. 13. par 20. principibus olim, *nunc ipsorum principum volunta qvo magis cautum sit pietati, ab Ecclesiæ præsidibus ex centur.* Egregiè verò pietati cavetur, si qvæ su jura Dei, ab homuncione aliqvo invaduntur; larga delinqvendi rima peccare volentibus ape tur. Matrimonia aliis concessa interdicuntur, al contra præceptum Dei contracta conceduntur Peccandi datur licentia, veniâ peccandi concef

Nu

& juramentum, qvo homo homini, sed
ɔuè Deo obligatur, laxatur. Ferendum esset,
menti non approbante Deo facti indicium
dotibus fieret. Legitimi verò juramenti ne-
qvem exsolvere, ejus est qvi se pro Deo ge-
Nondum eò audaciæ Cœlestiani tempore
ntum erat, qvi *ut agatur consultiùs, & aufera-* c. verùm in
teria dejerandi, monebat. Tempus maturi- eâ. de jure-
proterviæ & hominum vafra simplicitas jurando.
unt. Qvæ olim à Principibus fiebat jura- Principum
absolutio, istâ argutiâ à viris doctis expli- potestas.
& defenditur. *Qvia actus nostri non plenè sunt* Grot. d. l.
râ potestate, sed ita ut à superioribus dependeant,
iplex esse potest actus superiorum circa id qvod ju-
alter directus in personam jurantis, alter in perso-
ui juratur. In personam jurantis dirigi potest, aut
am juretur irritum reddendo juramentum, qva-
us inferioris sub potestate minoris continetur, aut
am juratum est vetando ne impleatur. Nam infe-
và inferior, obstringere se non potuit, nisi qvatenus
ori id placiturum esset: ampliorem enim non habe-
testatem. &c. *Sed & actus ex utroq; mixtus esse*
, ut si superior constituat, qvod inferior juraverit
t illo casu, puta ex metu, aut imbecillitate judicii,
num valere si ab ipso approbetur. &c. *In personam*
ratur actus dirigi potest, tollendo ab eo jus qvod ei
m est, aut etiam, si jus desit, vetando neqvid ex tali
ento accipiat. idq; duobus modis, sive in pœnam,
publicam utilitatem, ex vi supereminẽtis imperii.
rè nodus inciditur, qvoad civilem obliga- Censura.
em, aut obligationis exsolutionem. scrupu-
uramenti jurantem obstringentis remanet,
i supereminentis inter homines imperii au-

Grot. par. 15. toritate eximendus. *Non enim persona sola respici cui juratur, sed is qvi juratur Deus, qvi ad obligation pariendam sufficit.* In Deum enim, non in hor nes, pejeratur: Dei, non hominum, conten
Grot. d. l. qvod juratum fuerat dispungitur. *etsi persona deficiat, cum Deo negotium est:* qvi nomine suo vilipendium abutentes non impunè laturos, ternæ memoriæ tabulis insculpsit.

Præterea dubium de promissis latroni jure rando præstitis, qvod difficultatis est maxin
paragr 2. Grotianâ solutione non tollitur. Nam *qvi jura aliqvid promisit nocenti qvâ talis est, puta pirata, potest jus promisso qvæsitum pœnæ nomine ob id ipsum auferre: qvia tunc verba nullũ haberent effectum, q*
Gravior correctio. *omninò vitãdum est.* Sic mollior hominũ ratiocii tio, dum cupiditati suæ blanditur, ne eam qvid ipsam explendo desiderio stabilit. Aliàs ubi ma præcepta sapientũ, nulli neq; homini, neq; pert bationi animi, nec fortunæ succumbere jub tium? Ubi locus iis, si non in fide servandâ, in veritate divinorum præceptorum observandâ, magnifaciendâ præ rebus externis divini nomi reverentiâ? Oppetere morte manu latronum tius fuerat, qvam fidem suam in ignominiam, r men altissimi Dei & testimonium in vilipendi adducere. Pecuniolæ autem, qvæ in tuâ potest sit, aut qvam amicis conferentibus possis cor dere, jacturam tanti facias, ut eam divinis & h manis omnibus rebus præponas? & mori sen maluisses, qvam te aut necessarios tuos exinani Non est consentaneum, qvi mortis metu n frangatur, cum frangi nummorum ærugine: n qvi invictum se in vitæ discrimine præstiterit, vi

ci

:nti comparcendi amore. *Nihil est enim tam* *Cic. offic. lib. 1.*
; animi, tamq; parvi, qvam amare divitias: nihil
us magnificentiusq; , qvam pecuniam contemne-
n habeas: si habeas, ad beneficentiam liberalita-
onferre. Ubi autem honestiùs eam, qvam in
1æ dignitate asserendâ, contemseris? qvan-
riosiùs eam, qvam ad tuendam sacramenti
)nem, expenderis?

in qvò latronum extremæ neqvitiæ, & ho-
n generi non magis qvam ipsis exitiabili,
n; aut qvò jus ei qvæsitum putem, qvi per
n injustum causam promissioni juratæ de-
aro. Sed ne vitiorum odio vitia imiteris, &
e latrocinii perjurio te induas, admoneo.
ndæ latronum catervæ, & qvidem atrociter
prehenduntur puniendæ. Tu tibi senten-
n tuum favorem, cum juramẽti vilipendio,
eris. Aut imitare Svetonianum illũ Julium
em, si res tuarum virium: qvi lytrum pro-
m bonâ cum fide exolvit; piratas, post exo-
fidem captos, cruci affixit.

QVÆSTIO VI.

Jtrum à clericis, ita dictis, 1amentum exigendum?

erici à forensibus negotiis remoti, & secula-
curarum vacui, facilè à juramento abstinere
nt. imò jure Canonico vel à jurando repel-
r, vel jurandi necessitati eximuntur. Sed qvi *Episcoporum homagium.*
od Præsuli Romano episcopi jurare, & qvi-
fidelitatis juramentum, coguntur? *Ego N.* *c. Ego N. de jurej.*
pus ab hac horâ in antea fidelis ero sancto Petro,

sanctaq; Romanæ Ecclesiæ, dominoq; meo Papæ C. ej successoribus canonicè intrantibus. Non ero neq; in c silio, neq; in facto, ut vitam perdat aut membrum, vel piatur malâ captione. Consilium, qvod mihi aut per aut per literas, aut per nuntium manifestabit, ad damnum nulli pandam. Papatum sanctæ Romanæ ecc siæ, & regulas sanctorum patrum, adjutor ero ad def dendum & retinendum salvo ordine meo) contra om homines. Vocatus ad synodum veniam: nisi præpedi fuero canonica præpeditione. Legatum Apost sed. qv certum esse cognovero, in eundo & redeundo honori tractabo, & in suis necessitatibus adjuvabo.

Limina Apostolorum singulis annis aut per me, per certum nuncium visitabo: nisi eorum absolvar lic tiâ. Sic me Deus adjuvet, & hæc sancta Evangelia.

Examinatio. Multis capitulum hoc incommodis, inconv nientiis multis laborat. 1. Proximo capitulo clericorum libertate tuendâ, & episcoporum stu retundendo, ita habetur: *Nullus episcopus c ricos suos (nisi fortè qvibus ecclesiasticarum rerum co missa fuerit dispensatio) sibi jurare compellat.* Con luit Urbanus Clericorum etiam infimorum i munitati, episcoporum dignitati & juris exæqv tioni Gregorius non consuluit. Sit sanè primæ dis episcopus Papa Romanus; sanxerit eti Phocas imperator, *urbem Romam totius salutaris a caput esse; cum anteà propter sedem principis C stantinopolis haberetur:* major inter ostiarium episcopum, qvam inter episcopum Romanæ u bis & alium qvemvis, in dignitatis prærogativ distantia est. 2. *Magistrum neminem habemus, n Deum solum:* & multò minùs Dominum: spi tualibus nimirum in rebus & causis fidei. 2. Cor.

Pomp. Latus. in Phocâ.

Tertull. ad Scap.

1. Petr. 5. v. 3. Matth. 23. v. 8. & analogicè
7. v. 23. Hic verò episcopus qvilibet fideli-
DOMINO SUO Papæ, ejusq; succes-
s, jurare cogitur. 3. Splendor & amplitudo
t & pontificalis apex, fidei dijudicationem
ollit, ut nec humilitas hominum deprimit.
sonis probamus fidem, an ex fide personas? 4. Qvid *Tertull. De*
rimæ qvidem sedis Romanus episcopatus? *præscript.*
i nec solus Apostolicus? *Omnes primæ, &*
Apostolicæ, dum unam omnes probant unitatem. *ibidem.*
s, & auxilii latio, Pontifici & successoribus
r. Etiámne, si *episcopum Romanum agnoscen-* *advers. Praxeam.*
m prophetias Montani constituerit? 6. Auto-
Papæ loci prærogativam adjungit: cum ve-
nihil præscribat: *non spatium temporum, non* *De Virg.*
inia personarum, non privilegium regionum. Hæc *velandis.*
tulliano, Latinæ ecclesiæ antiqvissimo scri-
. 7. Tertulliano ætate proximus, integrita-
i superior, Cyprianus, æqvalitatem omni-
piscoporũ statuendo, dominationis omnem
ionem sustulit.
emini, inqvit, *præscribentes aut præjudicantes,* *epist. 73.*
inùs unusqvisq; Episcoporum qvod putat faciat,
s arbitrii sui liberam potestatem. Alia ex hoc au-
prælationem sedis ignorante, non congero:
mnia capituli ad severitatem examinis re-

ramentum omne omnibus hominibus, id *Conclusio.*
initio proposuimus, religiosum esse debet;
osius & raræ usurpationis episcopo & sacer-
; maximæ autem circumspectionis & qvam
mum, qvo futuri incerti fidem de nobis &
iationem pollicemur.

CAPUT XXIII.

DE CONTRACTIBUS.

Promissis affinis est, qvoa
vim obligationis, contractu
um devinctio.

Contractuum qvæ sit natura, qvæ affecti
nes, proprietas, divisio; è jure communi p
tendum. Qvatenus ad regum & populorum co
Contractus. ventiones porriguntur; & ut pacis vel belli ju
servanda aut temeranda, ingrediuntur; nobis
lucem protrahendi sunt. Qvod ut ad captum j
niorum fiat, per qvæstiones dubia exorta, vel q
exoriri possunt, eventilanda.

QVÆSTIO I.

An ex contractu imperato
res populorum obligantur?

Justitiæ illa pars, qvæ propriè & strictè justi
nomen obtinet, τὸ ἐν τοῖς συναλλάγμασι διορθωτικὸν
καιον, qvam Expletricem nonnemo appellat,
communis omnium est hominum, ut in exple
dâ æqvitate & conferendo opere nullius digni
Eth. Nic. l. 5. c. 6. tem vel merita respiciat. In cæteris Aristote
pronuntiet: ἐκ τούτων αἱ μάχαι καὶ τὰ ἐγκλήματα, ὅ
ἢ ἴσοι μὴ ἴσα, ἢ μὴ ἴσοι ἴσα ἔχωσι καὶ νέμωνται. *Inde co*
tentiones & qverelæ, cum æqvales inæqvalia, aut inæq
les æqvalia in tribuendo sortiuntur. Contractu
conventionibus omnes æqvales redduntur: n

qv

ıvam hic fortuna, aut altitudo fungendi :ris, discernit. Aut igitur cum externo rege ›pulo, aut cum sibi commisso grege vel ali- è gregis numero, reges & principes contra- . Illic & ante contractum pari sorte qvoad iæ æqvalitatem fuerunt; istic contrahendo les facti, in privatorum conditionem, qvoad ;andi necessitatem, descendunt. Ad qvæstio- ıgitur propositam affirmando, nihil circui- : utentes, respondemus.

Regum conventiones.

erùm sunt qvi in aures regentium qvæstus ì, aut gratiæ captandæ, fictè & simulatè insu- ınt: Omnia regibus in omnes, & maximè in ıtos, licere. Nullam esse legem tantę vel æqvi- vel gratiæ, qvæ imperantes omnibus leges trio præscribentes, constringat. Licere iis vel um contractus, qvi non sint ex usu imperii, ım ipsis nocentes, rescindere. Vel, si justitiæ ulla violetur, regia manu agendum, nec juris ;is qvam utilitatis rationem potentiâ eminen- ıs habendam.

Objectio.

Νήπιοι, οὐδ' ἴσασιν ὅσῳ πλέον ἥμισυ παντός.
Dimidium toto potius, nescire fatentes.

od ænigmaticè ab Hesiodo in Operibus di- m, Socrates apud Platonem, tertio de Legi- , evolvit. ὁπόταν ᾖ τὸ μὲν ὅλον λαμβάνειν, ζημιῶδες, ' ἥμισυ, μέτριον, τότε τὸ μέτριον τοῦ ἀμέτρου πλέον ἡγή- ι, ἄμεινον ὂν χείρον☉. *Ubi totius acceptio damnosa, ıidium moderatum; moderatum immoderato majus ıtrabatur,* (Socrates) *ut qvod pejore sit præstan- s.* Sed qvomodo totum præ dimidio, præ mo- ato immoderatum damnosum sit, spectemus. Damnosum est, famæ lucro postpositæ jactu-

Toto dimidio præstantius.

ram facere,existimatione omni excidere,vilis
muncionis fide fractâ nomen habere. Dam
sum est, neminem post fidei naufragium reperi
qvicum deinceps contrahas.Damnosum est,c
scientiæ carnificinâ torqveri, & suo damnar
judicio flagris internis cædi. Sed supra omnia
mnosum est,Deum justi & injusti,fandi & nef
Aristoph. Thesmoph. di,ultorem sperare. Ὅτι τὰ παραγίνομενα πάντ' ἀνόσια Ἀποτίνεται. *iniqva & nefaria facta Deus exolvit.*

Si nullus pœnæ à Deo & ab hominibus n
tus: ille mihi principatu gerendo dignus ha
tur,qvi integritate sine externo præmio lætus,
cuniæ fallaces illecebras omnibus rebus p
ponit.

Vindex avaræ fraudis, & abstinens
Ducentis ad se cuncta pecuniæ:
Consulqve non unius anni,
Sed qvoties bonus atq; fidus
Judex honestum prætulit utili, &
Rejecit alto dona nocentium
Vultu, & per obstantes catervas
Explicuit sua victor arma.

Lib. 4. od. 9. uti animosè Horatius.

QVÆSTIO II.

Utrum usura vel cum natu mutui vel cum æqvitate co veniat?

Princeps inter contractus gratuitos Mutuu
cum Usurâ, qvæ emolumentum collocantis
spicit,nihil commune habet. qvanqvam lapsa
qve

qvendi consvetudo, paulatim deflexit de viâ, ut mutui appellationem cum fœnore confunderemus. Non ita Plauti, proprietatem latinitatis amanti, seculo: qvo, rapta ad fœnerandi licentiam hominum cupiditate, *nomen qvoq; jam interiit Mutuum.* nec id locupletiorum tantum, commiserari nescientium, culpâ; sed ingratorum etiam, qvorum forum & compita plena, crimine. Mutuum. Pseudolo.

Præsertim ut nunc sunt mores: adeò res rediit;
Si qvis qvid reddit, magna habenda est gratia:

uti Plauto propè æqvalis Terentius. Et explicatiùs ipse Plautus: Phorm. Trinummo.

Si qvis mutuū qvid dederit, fit pro proprio perditū.
Cum repetas, inimicū amicū beneficio invenis tuo.

Eò autem impudentiæ perventum erat, ut nisi testibus vel tabulis convincerentur, jurejurando mutuum acceptum abnegarent. Unde Laberii, seculo illi conveniens, dicterium: Alexandra.

Qvid est jusjurandum? emplastrum æris alieni.

Ergo gravis debiti, & præter sortem lucri non modici, exactor, Fœnerator ingratis immittendus erat. Immittendus, non à lege, nec æqvitate naturali, sed aliâ hominum immitiorum pravitate. Justa enim qvorundam passio fœneratores, qvis & iniqvis acerbos, non tutabatur. Fœnus.

Sordidissima rei faciendæ & inqvinatissima ratio, ex usurâ ditescere, apud Romanos habebatur. ...ëtæ, ad aures populi & ex communi hominum judicio fermè loqvētes, scortorum eos propudiis ...o ad lucrandi turpitudinem comparabant; imò ...ione qvâdam fœditatis, & impudentiæ notâ, ...rtis & lenonibus deteriores fingebant.

Hi saltem in occultis locis prostant, vos in foro ipso?

Curcul. ausus est fauces aperire, secundo populi rumore, Plautus. Qvid igitur? ita demersæ erant leges, populi Romani vindices, ita tremefacta civium omnium libertas, ut qvos mussitando execrabantur, palam rogationibus coërcere non auderent? Nec voluntas populi, nec leges id vetantes deerant: usus constantia & observatio deerat.

Rogationes plurimas contra vos populus scivit:
Qvas vos rogatas rumpitis, aliqvā reperitis rimam:
Qvasi aqvam ferventem frigidam esse, ita vos
putatis leges,

idem eodem dramate.

Nam ut aqva fervore calefacta, citò ad naturam suam recidit: ita leges, usus omissione obsolescentes, non diuturnâ morâ in priorem licentiam degenerant.

Sublatus pudor omnis, licentia fœnus refertur:
Lucilius. inqvit Satyricorum præsultor.

Licentiam eam nobilitatis factio, mutua patrum occultè delinqventium conniventia, & locupletiorum clientela faciebat. In odia tamen hominum, qvamvis potentes aut potentioribus annexi, ut portitores, & in provinciis publicani, in-*Offic. l. 1.* currebant. Vel Ciceroni hujus rei testi, gravi tem-*Tacit. Annal. VI.* porum suorum censori, crede. *Sanè vetus urbi fœnebre malum, & seditionum discordiarumq; creberrima causa, eoq; cohibebatur antiqvis qvoq; & minùs corruptis moribus.* Frustrà cohibebatur: frustra cupiditati, limites omnes perrumpenti, obviam ibatur.

Οὔποτε ποιήσεις τὸν καρκίνον ὀρθὰ βαδίζειν.
Non facies recto cancrum procedere gressu.
Οὐδέποτ' ἂν θείης λεῖον τὸν τραχὺν ἐχῖνον.
Non facies glabrum, qvicqvid coneris, echinum:

rectè

icetiarum comicarum autor Aristophanes. *in Congregatis.*
is & plebiscitis *obviam itum fraudibus, qvæ to-* *Tacitus d. l.*
ressæ, miras per artes rursum oriebantur.
nedium qvidem laborantibus calamitate *Emplastrum fœnoris.*
s Tiberius ferebat: sed qvod ruenti in cor-
mores civitati non diu suffecit. Seqventi-
iperatorum qvo qvis procivium salute vi-
or, hoc ad coërcendam usuræ exorbitatio-
:um universam tollere neqviret, attentior.
eteris curâ insignis Alexander Severus,
publicum trientarium exercuit: ita ut pauperi- *Lamprid.*
isq; sine usuris pecunias dederit ad agros emen-
dendas de fructibus. Ipse igitur gratis pecunias
exemplo locavit: *usuras fœneratorum con-* *idem.*
ad trientes pensiones. Hæc imperator gentilis,
vam à Christianorum cœtu non aversus.
ianis eo temporum statu persvasum fuit,
um novâ luce exortum, omnem usuræ exi-
licentiam sustulisse. *Prius igitur fuit, ut fru-* *adv. Marc. lib. 4.*
œnoris eradicaret: de Christo Tertullianus.
)co fœnoris nomine Mutuum, gratuitæ
:ionis contractum, ut alibi autor ille & illud
,accipit. Qvæ Christianorum de vetitis usu-
svasio, Christianis imperatoribus rerum
;, & populo cum vivendi licentiâ mundanas
tias abstracto, propè apud solos episcopos
icos remansit.
:ilè illis qvidem fuit omni usurâ abstinere, *Usuræ prohibitio.*
litibus per otium suffulti, contrahendis ne-
non implicabantur. Attamen & cæteris
bus, Christi præsertim nomen professis,
atis major qvam commodi, veritatis
lucri captandi, ratio me judice habenda.

Si igitur rationi consentaneè Ambrosius
nunciavit, *Usura arte neqvissimâ, ex ipso auro rum nascitur:* artem, qvam magister damna
omni solertiâ vitemus. Si Augustinus r
censuit, *ibi esse jus belli, ubi etiam jus gladii:*
nore imposito non jugulemus, qvos ferro jug
re nefas habemus.

Atq; hanc suam sententiam ecclesiarum
sules nec imperatoribus, & multò minùs foro
culari, persvadebant. Qvod poterant, clericor
ordini in consiliis, & pontificalibus in decre
gravissimâ sub pœnâ usuram interdicebant.
ctâ verò Pontificum Romanorum potentiâ
incrementum jubendi autoritate nactâ, omni
minum generi usuræ prohibitæ. Vide, si tanti
cis, Gregorii & Sexti Decretalium titulos de
suris. Plura autem, è sacra etiam scripturâ, co
turus, qvam scripsimus Aulam Tiberianam a

In qvâ si rigidi nimium visi sumus, pauca r
ris emolliendi gratiâ hic addemus.

Prohibitionis emollitio. Fœneratores antiqvitùs odiosos reddeba
cerbitas, & nimium cum damno alterius dite
di studium. Bonis evertebantur tenues & lo
pletes; qvi solvendo non erant in vincula d
bantur. Centesima singulis mensibus exolve
in sortem accrescebat. Nec centesima multi c
tenti, pro arbitrio usuræ modum augebant.
terea incauta adulescentulorum ætas, aut aliâs
xu perditi, tanqvam venatione irretiebantur:
nis eorum insidiæ fœnore locando tendeban
Nec mensuram aviditas eorum, nec versutia
dum habebat.

Qvi verò lucrum ex agrorum coëmtione,

co

n paſtione, longinqvâ vel inteſtinâ merca-
acturi, pecuniâ alterius à lucro aliunde fa-
ɔ ceſſuri utuntur: ſi qvid ex pacto locanti-
:munerentur, gravem conqverendi occa-
n non habebunt. Ex uno genere de ſimili-
it eſt periculi avertendi &c. judicabis: qvæ
ɔ fœneratorum nomine vitando, in pacta
is generis tranſibunt.

ıntiſſæ loco fœneratorem cum accuſatore, Comparatio.
l odia hominum & publicam invidiam,
aramus. Odio digni vel maximo ſunt, qvi
entes judicio capitis arceſſunt. Minus odi-
& tamen odium, merentur, qvi ſangvine
/is nocentium hominum ſaginantur. At
t reip. causâ, aut patrocinio alterius accu-
laude qvam à vituperio propiùs abſunt. Ita
atio pro nocendi vel juvandi remiſſiori vel
:iori ſtudio, magis minùſve reprehenditur.

QVÆSTIO III.

vomodo debitoribus, bel-
.lamitate aut caſu fatali ad
.tas redactis, ſuccurrēdum?

ıvet hanc qvæſtionem in Aſylo debitorum, Obæratorum aſylum.
ıſtriosè pertractat, Carpzovius. Nos pon-
us rerum delibaturi, qvid ſit judicii noſtri
ıgemus.

riſſimam legem & rigoroſam pronunciat,
ı XII extat: *Æris confeſſi rebusq; jure judica-* Tab. 3.
ınta dies juſti ſunto: Poſt deinde manus injectio
ius ducito, ni judicatum faxit, in vinculis ſexa-

ginta dies habeto, inter eos trinis nundinis continuis ad Prætorem in Comitium producito: quantæq́; pecuniæ judicatum erit prædicato: Tertiis autem nundinis, si interea pactus non sit, capitis pœnam dato, aut trans Tyberim peregrè venum ito: Et si plures forent, qvibus Reus esset judicatus, tertiis nundinis partes secanto. Hanc duritiem, inqvit ex Oldendorpio, freqventia imposturæ apud Romanos efflagitavit, qvò leviorum hominum audacia in contrahendis passim debitis reprimeretur. Nec mores aliarum gentium ab hoc rigore multum recessisse; & inter Judæos servituti Creditorum mancipatos fuisse Debitores, sacri Codicis autoritate adjutus (Proverb. 22. 2. Reg. 4. addere potuerat Matth. 18.) asserit. Multum deinde in morosos debitores in-

Pos. 4. vectus, debitoribus miseriâ afflictis, benignitatis aliqvo temperamento succurrendum esse autu-

Pos. 5. mat. Nec tamen ita uni favendum, ut alteri fiat injuria, nec Debitoribus ita providendum, ut Creditores nimium graventur, laudato Novellarum loco, astruit.

Capite 2. His in antecessum positis: frenos Creditoribus, in exigendis usuris intra æqvilibrium continendis, injicit. Primum frenum: Ne qvicqvam ultra usuras qvincunces exigatur. A qvo capistro nec usuras pupillares, nec mercatorias, nec præscriptionis laxamentum, nec deniq; antichreseos pactionem eximit. Alterum frenum: Ne pretio viliori pecuniam, distinctis terminis solvendam, usurarii emant. Tertium: Ne usuræ ultra alterum tantum exigantur. A qva freni necessitate exolvit, illud qvod interest, morosi debitoris culpam, usuras rei judicatæ, usuras pupillares, & qvæ vi-

duarum

duarum & miserabilium personarum vel piæ causæ dicuntur. Ab hac necessitate præterea annuos reditus, certo pretio comparatos, excipit. Frenum IV: Ne usuræ usurarum exigantur. V: Ne usuræ præteriti temporis vel futuri in sortem redigantur,& earum iterum usuræ petantur. VI:Ne mulctæ ultra consuetas usuras postulentur. VII: Ne sortis nomine usuræ illicitæ celentur. Hæc usuræ supra modum crescentis repagula, nihil iniqvitatis habitura. Sed qvia ne sic qvidem omni calamitate debitores afflicti eximuntur; circa sortis ipsius exsolutionem adminicula qvædam debitorum, bonis præsertim lapsorum, benignâ manu porrigit. Cap. 2.

Primum est, Reductio monetæ ad eum valorem, qvi tempore mutui contracti viguerit. Secundum: Ne collectæ imponantur ultra reditus & fructus perceptos vel percipiendos, sed juxta æs & libram. Tertium: iis consulit, qvi ex fructificatione ad præstationem obstringuntur. Quartum: Cessionis bonorum. Quintum: contra licitationes, pretium nimis vile pro subhastatis bonis offerentes. Sextum: qvo Civitati prospectum, mutuo in utilitatem ejus non converso. VII: Tantum civitatibus & earum administratoribus relinqvendum, ut inde salaria exolvi, & status reip. conservari possit. VIII: Ne executio fiat in res ad agriculturam pertinentes. IX. Conventio de emto pignore tollatur. X: Iniqvæ contrahentium conventiones deleantur.

Ita rigoris iniqvitate repulsâ, speciales pro calamitate belli indultus depromit. In qvibus non postremi: Moratoriæ qvinqvennales; Quantum Cap. 3.

facere possunt; Damni & lucri participatio; charitatis Christianæ interventio; privilegium necessitatis; executionum suspensio; publica utilitas privatorum contractibus præferenda. Quibus admonitionum loco præmissis, juris præsidia suggerit.

Cap. 4. Primum præsidium: Exolutionis dilatio. II: Principis moratorium Rescriptum. III: Particulares solutiones. IV: Usurarum remissio. V: Nominum cedendorum privilegium. VI: Bonorum abdicatio. VII: Datio in solutum. VIII: Rei ad pristinum statum revocatio. IX: Distractorum bonorum reluitio: qvæ ad certum tempus nihilominùs restringitur. X: Administratio vel seqvestratio bonorum, dum ex annuo reditu creditoribus satisfiat. XI: Ne exigantur ultrà qvam facere possunt: qvod Jus competentiæ vocant. XII: Pecuniæ executionis

Cap. 5. sublevatio. Postremò de modo, & de ratione æqvilibrii exercendi, differit. cui fundamenti loco substernuntur. 1. amicabilis inter partes dissentientes, à judice tentanda, compositio. 2. creditorum conditio. 3. miserabilium personarum consideratio. 4. qvalitas & natura rei debitæ. v.gr. rei depositæ ante omnia restitutio; ut rei vendicatio super omnes actiones & exceptiones sit: debita, qvæ in modica consistunt summâ; sola commiseratione mutuò data; pecunia inter mercatores ad cambium data. 5. ut in causâ desperatâ processui executionis frenum laxetur. 6. locupletatio debitorum sit fundamentum intentionis ex parte creditorum. &c. Qvæ summatim subduxi, fusiùs Carpzovius, & satis ad æqvitatis normam accommo-

commodatè. nam neq; tenuiores debitorum violentiæ ſuperborum exactorum deduntur, neqve egentibus creditoribus ad ſua recuperanda jus eripitur. Nos pro modulo capacitatis noſtræ paucula, vel confirmandi gratiâ qvæ dicta ſunt, vel autoramento accumulandi, addemus.

Poſito, & conceſſo mihi hoc fundamento, lucri à pecuniâ locatâ captationem, qvæ fiat cum detrimento accipientis, naturâ injuſtam eſſe; facilis erit qvæſtionis intricatæ extricatio. Pecuniam Principi alicui ad villarum extruendarum, vel hoſpitum excipiendorum, magnificentiam credidiſti. Periit ſine fructu, ſine utilitate ad poſteros vel ad rempublicam reditura, pecunia. Largitionem principum Germaniæ ad talia delinimenta non ignoraveras: ultrò etiam à miniſtris aulæ, munuſculo aliqvo corruptis, occaſionem elocandæ Principi pecuniæ eblanditus es. Qvid liberos principis, qvid nepotes, è belli exitialis ruinâ vix emergentes, ad luendam majorum luxuriam exagitas? Age, in uſum vel domeſticum vel populi convertere pecuniam, cum fructus cumulo reddendam, voluit. Belli calamitas intervenit, qvæ uſum illum inhibuit, vel omnem cum reditibus pecuniam abſorpſit. Qvid uſuram ex nullo uſu pecuniæ, qvid fructum ex impedito fructu repoſcis? Gaude, & gratias fortunæ age, ſi tibi integra ſors reddatur: ſi pecunia tua, tanqvam in tutâ cuſtodiâ, belli furore ruente delituit. An tu graſſante belli impetu, communi gentium & bonorum ſtrage, ſolus periculi immunis eſſe poſtulabas? Qvod ſi non imperantibus, ſi privatæ conditionis hominibus pecuniam, cui otium & ſitum invide-

Solutionis fundamentum.

Principi credita.

Privatis credita.

bas, commisisti: non difficilior erit nodi expeditio. Pecuniam aliqvis ad fundi instructionem, vel ad negotiationem expediendam, bonâ fide accepit. Belli calamitas interveniens, qvam providere vel vitare humani non fuit consilii, omnia cum culmo & geniculo demessuit. Sortis etiam partem, ne dum usuram universam, calamitoso remittere humanitas imperavit. An tu commoditatis ex tua pecuniâ proventuræ particeps esse voluisti; damni participationem recuses? Wiltu ein interesse mithaben zugewinnen/ so mustu auch ein interesse mithaben zuverlieren: inqvit alicubi Lutherus.

Civitatibus. Tutissimum fœnus, & restitutu æqvissimum, putatur, qvod universitati alicui, qvod civitati, aut civitatis administratoribus & senatui, locatur. Sed primò in promtu hic est Ulpiani responsum: *Civitas mutui datione obligari potest, si ad utilitatem ejus pecuniæ versæ sunt. alioqvín ipsi soli, qvi contraxerunt, non civitas, tenebuntur.* Verùm si ipsa etiam civitas contraxit, aut si in rem ejus pecunia versa sit; casus autem fatalis, aut belli sævientis furor, pecuniæ usum & substantiam extinxerit: sortem cum

Pro Usu usura. usurâ repetere, summæ iniqvitatis fuerit. *Usurarum præstationem in solo usu pecuniæ mutuò acceptæ, vel prædii pro eâ emti, fundari:* DD. non malè respondent. Pro usu enim, non pro otiosâ cessatione, multò minùs pro damno & interitu, usura & lucri portio exigitur.

Prolepsis. Occurri nobis à fœneratorum patrono aliqvo poterit: leges & principum edicta, usuram concedentia, instar muscipularum esse & tendiculæ, qvæ simpliciores ad collocandam fœnore pecu-

niam

niam alliciant: Aut igitur juſtas eſſe, aut injuſtas, regum & civitatum ſanctiones: injuſtas abolendas eſſe, vel potiùs non ferendas; juſtas obrogatione vel vetito uſu tolli non debere. Qvibus ex meâ mente verbis Carpzovii reſpondeo: qvod *Pii principes ac Magiſtratus nunqvam lubentes approbaverint uſuras, ſed ſaltem inviti ac coacti eas permiſerint ac tolerarint, ne vel commerciorum uſus extingveretur, vel miſeris debitoribus omnis pecuniæ adipiſcendæ via præcluderetur.* Non enim ita reſerata eſt res locupletiorum familiaris, ut promiſcuo indigentium uſui gratis pateat. qvin potiùs ita incluſa eſt, ita picatis manibus attēta, ut eam benignitas nulla aperiat. Clauſtrum igitur ſpe lucri faciendi laxandum erat, & fœnoris permittendi tolerātiâ nummi latitantes in apertum eliciendi, ſi conſulere menſariis & fori negotiis, ſi indigentię multorum ſuccurrere voluerunt. Qvas igitur flagitante hominum uſu condere leges, præter naturæ præſcriptum, potuerunt; eaſdem revocare mutatis temporibus, & favente jure naturæ, poterunt. *Non enim Principum manus ita ſunt conſtringendæ, qvin pro ratione ſtatus ac neceſſitatis à legibus poſitivis, nedum moribus duntaxat toleratis, recedere qvirent.* Publica civium neceſſitas curſum uſuris aperuit: major neceſſitas eaſdem inhibebit. Plus autem omni in re publicæ utilitati, qvam privatæ, eſt conſulendi: & utriuſq; temporis arbitri ſunt pii & ſapientes principes.

Aſyl. cap. IV.

Ob bonum mali tolerantia.

Carpz. d. l.

Vela ventis aptanda.

Objici etiam à nonnemine poterit: non otioſam pecuniam eſſe debere; majorem ejus nitorem eſſe, ſi temperato uſu ſplendeſcat. Qvin igitur facultatibus tuis, qviſqvis es, captos à prædonibus

Obj. 2.

Reſp.

allusum ad locum Ciceronis, Offic.2. redimis, aut æs alienum amicorum causâ suscipis, aut in filiarum collocatione necessarios adjuvas, aut qværendâ deniq; vel augendâ re familiari suffulcis?

Cur eget indignus qvisqvam te divite? qvare
Templa ruunt antiqva Deûm? Horatii venam agnoscis, abditæ in abstruso laminæ inimicissimi. Adjuvandis amicis & propinqvis, fulciendâ republicâ, subveniendo miseris, nec otiosa erit pecunia, & vero usu splendebit. Fructus enim divitiarum in erogatione est; sancta & pia erogatio in gratuitâ communicatione. Non te ad effusiones pecuniarum, qvibus multitudo vel pauci voluptuarii deliniantur, adhortor. Non ut adulatoribus, histrionibus & saltatoribus benignè largiaris, nec ut ad potum sodales cessantes provoces, efflagito. Sunt aliæ impensarum, & ut magis hæsuræ ita gloriosiores, scaturigines. Desunt qvi calamitate premuntur; aut qvi nullis suis rebus adversis res meliores qværunt? Publica res nunqvam vel bello adjumentum, vel pace ornamentum non desiderabit. Sed frustrà eorum aures moralibus præceptis circumstrepo, qvi non de largiendâ pecuniâ, sed de qværendâ sine fine & modo, de collocandâ cum emolumento, & de utendâ cum incremento soliciti sunt. Cum iis mihi negotium, qvi non de aliis juvandis, sed de se locupletandis cogitât. Rem familiarem dilabi sine re, flagitiosum esse; suis non providere, impium, clamitabunt. Sit ita: sed ne in avaritiæ, ne in illiberalitatis maculam, nimium augendâ re vel contrahendâ, incidas. *Posse enim liberalitate uti, non spoliantem se patrimonio, nimirum est pecuniæ fructus maximus.*

Restrictio. (margin, beside "luptuarii deliniantur")

Obj. 3. (margin, beside "locupletandis cogitât")

Resp. (margin, beside "clamitabunt")

Cic. d. l. (margin, beside "trahendâ, incidas")

ximus. Nec pœnitendus in mutuo, gratis nimirum conferendo, nec te ſpe reditus fruſtrante, fructus.

Jam enim ad lenta nomina mea ſe convertit, ſed in arctum hic contrahenda, oratio. Non novas à me tabulas, non creditum abnegandi datam licentiam, non impudentiæ fovendæ pollicitationem exſpectetis. Omni vobis ope & diligentiâ annitendum eſt, ut, ſi non cum remuneratione aliqvâ, ſaltem integram ſortem, nec morâ in longum trahēdâ, reddatis. Defraudandus eſt genius, ſomnus oculis detrahendus, nulli parcendum labori, dum fidem, ſocietatis humanæ vinculum, qvod in vobis ne labefactetis. Atq; id ſponte à vobis fieri, virtutis eſt, & laudi datur. Cunctantes, & officium de die in diem procraſtinantes, leges ad id qvod gentium juris eſt, reddere qvæ debes, conſtringent. Fraudandi enim ſpe ſublatâ, exſolvendi neceſſitas conſeqvetur. Si cum in eluctabili miſeriâ conflictamini; ſi extra indigentiam creditor: precibus cum eo, non jure ſtricto agite. Remittere enim debita, humanitatis eſt & pii officii, nō ullius ex lege neceſſitatis. Cogi enim non vult commiſeratio, nec humanas ad leges beneficentia conſtringi. Sin reflavit illi fortuna, qvi vobis qvondam ſuccurrebat; ſi vos proſpero flatu optatos ad exitus provehimini: non expungendo gratè nomina, ad iniqvitatem impudentiam addetis. Sin ambobus res arcta: tamen ut ſuum, qvi fidem tuam ſecutus eſt, habeat elaborandum. nam *ferendum non eſt, ut in pari paupertatis causâ melior ſit conditio debitoris qvam creditoris*: ut non ineptè Jureconſultus. atq; ita, neutram in partem favore nimio inclinans,

Vela orationis conversa.

In medio navigatio.

Ἐς μέσον ἀμφοτέροισι δικάζω, μηδ' ἐπ' ἀρωγῇ.

Arbiter æqva fero, neutris nimis aptus, utrisq;.

QVÆSTIO IV.

An naturaliter in vendendo & emendo ſe mutuò circumvenire liceat?

Aſſerit Pomponius Jureconſultus: æqvitas, niſi interpretatione verborum admiſsâ, non aſſerit. Igitur qvid hic *licere* ſit, qvid *naturale* dicatur,
Licere. qvid *circumvenire*, explicandum eſt. LICERE
1. ea aliqvando dicuntur, qvæ ſuâ qvidem naturâ prava non ſunt, ſed ad vitandam aliorum offenſionem, vel majus bonum promovendum,
1. Cor. 6. 12. rectiùs omittuntur. Sic omnia ſibi licere, ſed non omnia prodeſſe, apoſtolus Paulus pro-
2. nunciavit. Deinde ut ἀπὸ τοῦ ἐξεῖναι licere ἐξουσία poteſtas dicitur; ita licere ea dicuntur, qvæ pote-
Cic. pro Rabirio. ſtati magiſtratuum ſunt permiſſa. *Veſtri conſilii res eſt*, inqvit vir conſularis, *veſtræ ſapientiæ; qvid deceat vos, non qvantum liceat vobis, ſpectare debetis. ſi enim qvid liceat qværitis, poteſtis tollere è civitate qvem vultis.* Ergo magiſtratui ea licere dicuntur, qvæ per adjunctam poteſtati impunitatem facere poteſt. *Ubi eſt ſapientia judicis?* pergit vir conſularis. *In hoc, ut non ſolum qvid poſſit, ſed etiam qvid debeat, ponderet: nec qvantum ſibi permiſſum, meminerit ſolùm, ſed etiam, qvatenus commiſſum ſit.* Deniq;, qvod
3. hujus loci eſt proprium, Licere ea dicuntur, qvæ moribus recepta, paſſim impunè fiunt, qvæ legi-
Qvintil. bus non vindicantur. *Sunt qvædam non laudabilia naturâ,*

naturâ, sed jure concessa. Sic debitoris corpus, ut declamator explicat, inter creditores dividi jure Romano *licuit*. Sic Ciceroni miser fuisse Cinna dicitur, qvi non solum viros bonos interfecit, sed etiam ita se gessit, ut ea facere ei liceret. Et addit explicandæ mentis gratiâ: *Etsi peccare nemini licet, sed sermonis errore labimur: id enim licere dicimus, qvod cuiqve conceditur.* Sic concubinam qvondam etiam viris piis, etiam Levitis, licebat habere. Sic bello indicto, etiamsi per naturam injusto, rapere, & rapta in usum suum vertere, licebat. *Tuscul. qv. V.* *Judic. 19.*

Tum certare odiis, tum res rapuisse licebit:

inqvit de bello Punico Virgilius. Ergo licere ea dicimus, qvæ jure externo fiunt, qvæ per impunitatem committuntur. cui verbo id qvod natura justum, qvod fas est, qvod oportet aut decet, opponitur.

Nec tibi qvid liceat, sed qvid fecisse DECEBIT,
Occurrat; mentemq; domet respectus honesti:

imperatorem Honorium Claudianus alloqvitur. Libet versus poëtæ, hanc admonitionem proximè præcedẽtes, ob opulentiam sensus adscribere. *In tertium consulatum Honorii.*

Tu licet extremos latè dominere per Indos,
Te Medus, te mollis Arabs, te Seres adorent:
Si metuis, si parva cupis, si duceris irâ;
Servitii patiere jugum, tolerabis iniqvas
Interius leges, tunc omnia jure tenebis,
Cum poteris rex esse tui. ——

Ubi altiori qvâdam sapientiâ afflatus, leges peccati nominat, qvæ dominatione interiori in fœdam servitutem, seqventem ductum suum hominem, asserunt. Similli locutione Apostolus Christi exaltati usus, legem peccati & mortis legi spiritus vi- *Peccati leges.* *Rom. 8. v. 2.*

dine per gentes & per ſecula ſparsâ, qvam de corruptâ hominum, mente occœcatorum & à Deo derelictorum, naturâ, accipiendus videtur. Pauli ad Epheſios aſſertio, meo & Theologorum judicio, huc non facit. Nec multò feliciùs Eveni poëtæ verſus adducitur:

Ταύτην ἀνθρώποισι τελευτῶσαν φύσιν εἶναι.

De radicatis enim longâ meditatione moribus, non de receptâ hominum cõſvetudine, loqvitur. Qvo ſenſu & Galenus capiendus: ἐπίκτητοι φύσεις τὰ ἤθη, *in aſcititiam naturam mores abeunt*. τὰ ἤθη enim & τὰ ἔθη malè à Grotio confunduntur. nec de inſtitutis populorum & conſvetudine agere, medicorum eſt: qvi tamen mores animorum, corporis temperamentum ſeqventes, aut cum eo conjunctos, non aſpernantur. Nec Thucydides, oculis non caligantibus inſpectus, ad hujus qvæſtionis rhombum hilum facit. Τῶν νόμων κρατήσασα ἡ ἀνθρωπεία φύσις, εἰωθυῖα καὶ παρὰ τοὺς νόμους ἀδικεῖν. *Legibus potentior hominum natura, ſolita & legibus neglectis injuſtè agere.* Cui loco lucem ſimilis in eodem libro fœneratur: Πεφύκασί τε ἅπαντες καὶ ἰδίᾳ καὶ δημοσίᾳ ἁμαρτάνειν, καὶ οὐκ ἔστι νόμος ὅστις ἀπείρξει τούτου. *Naturâ ad delinqvendum publicè & privatim omnes facti ſunt: nec eſt lex ulla qvæ à delicto abigat.* πεφυσιωμένα, in naturam converſa, rectè interpretatur virtutes & vitia, poſtqvam altas radices egerunt. Sed nihil hæc ad ea, qvæ recepti paſſim moris ſunt, nihil ad juvandum Pomponii reſponſum. Idem de Diodori Siculi dicto, τῆς φύσεως ὑπὸ τῆς ἀνάγκης ἡττημένης, *naturâ à neceſſitate victâ*, ſentiendum.

Libro 3.

Circumventio.

Circumvenire, eſt fraudis aliqvid in decipiendo alio committere. qvod jure conceſſum: in pretio nimi-

nimirum emtionis & venditionis, minuendo vel intendendo. non etiam in rei vitio celando: multò minùs in merce vitianda, vel pretio rei emtæ intervertendo. Hic enim plurimi vendere, ille qvam minimo emere voto contendit. Nec id naturæ lege omninò prohibitum; cum nulli rei natura definitam æstimationem faciat. Pretium enim unicuiq; rei, præter vendentis cupiditatem, vel indigentis necessitas, vel æstimantium opinio, vel civilis indictio facit. Unde enim est, qvod gemmula aliqva, ciceris aut pisi qvantitatem vix excedens, prædio urbano æstimetur; nisi à raritate, aut stultâ hominum opinione? Rebus verò fungibilibus, ut in jure loqvuntur, & usu consumendis, pretium ferè necessitas facit. Cui tamen rei determinatio, maximè in iis qvæ minori mensurâ veneunt, à magistratu accedit. Qvi & emtori vel venditori, ultra dimidium justæ æstimationis læso, succurrit.

Emtionis mensura.

Restrictio.

Periculum & commodum rei venditæ, nec dum traditæ vel abductæ, ad emtorem an venditorem pertineat, è jure communi, & decisione Justinianæâ petendum. Non enim planè sunt commenta juris civilis, qvæ in æqvitate fundantur; aut qvæ in æqvilibrio posita, justam finitionem ex arbitrio superiorum accipiunt.

De interiori ex honestate, non ex lege civili, rei vendendæ æstimatione; deqve mercis apertâ & candidâ indictione, non celandis qvæ in usum ementium rem circumstant, copiosè differentem Ciceronem, Officiorum libro tertio, consule.

Remissio.

facere possunt; Damni & lucri participatio; charitatis Christianæ interventio; privilegium necessitatis; executionum suspensio; publica utilitas privatorum contractibus præferenda. Quibus admonitionum loco præmissis, juris præsidia suggerit.

Cap. 4.

Primum præsidium: Exolutionis dilatio. II: Principis moratorium Rescriptum. III: Particulares solutiones. IV: Usurarum remissio. V: Nominum cedendorum privilegium. VI: Bonorum abdicatio. VII: Datio in solutum. VIII: Rei ad pristinum statum revocatio. IX: Distractorum bonorum reluitio: qvæ ad certum tempus nihilominùs restringitur. X: Administratio vel seqvestratio bonorum, dum ex annuo reditu creditoribus satisfiat. XI: Ne exigantur ultrà qvam facere possunt: qvod Jus competentiæ vocant. XII: Pecuniæ executionis sublevatio. Postremò de modo, & de ratione ęqvilibrii exercendi, differit. cui fundamenti loco substernuntur. 1. amicabilis inter partes dissentientes, à judice tentanda, compositio. 2. creditorum conditio. 3. miserabilium personarum consideratio. 4. qvalitas & natura rei debitæ. v. gr. rei depositæ ante omnia restitutio; ut rei vendicatio super omnes actiones & exceptiones sit: debita, qvæ in modica consistunt summâ; sola commiseratione mutuò data; pecunia inter mercatores ad cambium data. 5. ut in causâ desperatâ processui executionis frenum laxetur. 6. locupletatio debitorum sit fundamentum intentionis ex parte creditorum. &c. Qvæ summatim subduxi, fusiùs Carpzovius, & satis ad æqvitatis normam accommo-

Cap. 5.

commodatè. nam neq; tenuiores debitorum violentiæ superborum exactorum deduntur, neqve egentibus creditoribus ad sua recuperanda jus eripitur. Nos pro modulo capacitatis nostræ paucula, vel confirmandi gratiâ qvæ dicta sunt, vel autoramento accumulandi, addemus.

Posito, & concesso mihi hoc fundamento, lucri à pecuniâ locatâ captationem, qvæ fiat cum detrimento accipientis, naturâ injustam esse; facilis erit qvæstionis intricatæ extricatio. Pecuniam Principi alicui ad villarum extruendarum, vel hospitum excipiendorum, magnificentiam credidisti. Periit sine fructu, sine utilitate ad posteros vel ad rempublicam reditura, pecunia. Largitionem principum Germaniæ ad talia delinimenta non ignoraveras: ultrò etiam à ministris aulæ, munusculo aliqvo corruptis, occasionem elocandæ Principi pecuniæ eblanditus es. Qvid liberos principis, qvid nepotes, è belli exitialis ruinâ vix emergentes, ad luendam majorum luxuriam exagitas? Age, in usum vel domesticum vel populi convertere pecuniam, cum fructus cumulo reddendam, voluit. Belli calamitas intervenit, qvæ usum illum inhibuit, vel omnem cum reditibus pecuniam absorpsit. Qvid usuram ex nullo usu pecuniæ, qvid fructum ex impedito fructu reposcis? Gaude, & gratias fortunæ age, si tibi integra sors reddatur: si pecunia tua, tanqvam in tutâ custodiâ, belli furore ruente delituit. An tu grassante belli impetu, communi gentium & bonorum strage, solus periculi immunis esse postulabas? Qvod si non imperantibus, si privatæ conditionis hominibus pecuniam, cui otium & situm invide-

Solutionis fundamentum.

Principi credita.

Privatis credita.

bas, commisisti: non difficilior erit nodi expeditio. Pecuniam aliqvis ad fundi instructionem, vel ad negotiationem expediendam, bonâ fide accepit. Belli calamitas interveniens, qvam providere vel vitare humani non fuit consilii, omnia cum culmo & geniculo demessuit. Sortis etiam partem, ne dum usuram universam, calamitoso remittere humanitas imperavit. An tu commoditatis ex tua pecuniâ proventuræ particeps esse voluisti; damni participationem recuses? Wiltu ein interesse mithaben zugewinnen/ so mustu auch ein interesse mithaben zuverlieren: inqvit alicubi Lutherus.

Civitatibus. Tutissimum fœnus, & restitutu æqvissimum, putatur, qvod universitati alicui, qvod civitati, aut civitatis administratoribus & senatui, locatur. Sed primò in promtu hic est Ulpiani responsum: *Civitas mutui datione obligari potest, si ad utilitatem ejus pecuniæ versæ sunt. alioqvín ipsi soli, qvi contraxerunt, non civitas, tenebuntur.* Verùm si ipsa etiam civitas contraxit, aut si in rem ejus pecunia versa sit; casus autem fatalis, aut belli sævientis furor, pecuniæ usum & substantiam extinxerit: sortem cum usurâ repetere, summæ iniqvitatis fuerit.

Pro Usu usura. *Usurarum præstationem in solo usu pecuniæ mutuò acceptæ, vel prædii pro eâ emti, fundari:* DD. non malè respondent. Pro usu enim, non pro otiosâ cessatione, multò minùs pro damno & interitu, usura & lucri portio exigitur.

Prolepsis. Occurri nobis à fœneratorum patrono aliqvo poterit: leges & principum edicta, usuram concedentia, instar muscipularum esse & tendiculæ, qvæ simpliciores ad collocandam fœnore pecu-

niam alliciant: Aut igitur justas esse, aut injustas, regum & civitatum sanctiones: injustas abolendas esse, vel potiùs non ferendas; justas obrogatione vel vetito usu tolli non debere. Qvibus ex meâ mente verbis Carpzovii respondeo: qvod *Pii principes ac Magistratus nunqvam lubentes approbaverint usuras, sed saltem inviti ac coacti eas permiserint ac tolerarint, ne vel commerciorum usus extingveretur, vel miseris debitoribus omnis pecuniæ adipiscendæ via præcluderetur.* Non enim ita reserata est res locupletiorum familiaris, ut promiscuo indigentium usui gratis pateat. qvin potiùs ita inclusa est, ita picatis manibus attĕta, ut eam benignitas nulla aperiat. Claustrum igitur spe lucri faciendi laxandum erat, & fœnoris permittendi tolerātiâ nummi latitantes in apertum eliciendi, si consulere mensariis & fori negotiis, si indigentię multorum succurrere voluerunt. Qvas igitur flagitante hominum usu condere leges, præter naturæ præscriptum, potuerunt; easdem revocare mutatis temporibus, & favente jure naturæ, poterunt. *Non enim Principum manus ita sunt constringendæ, qvin pro ratione status ac necessitatis à legibus positivis, nedum moribus duntaxat toleratis, recedere qvirent.* Publica civium necessitas cursum usuris aperuit: major necessitas easdem inhibebit. Plus autem omni in republicæ utilitati, qvam privatæ, est consulendi: & utriusq; temporis arbitri sunt pii & sapientes principes.

Asylo. cap. IV.

Ob bonum mali tolerantia.

Carpz. d. l.

Vela ventis aptanda.

Objici etiam à nonnemine poterit: non otiosam pecuniam esse debere; majorem ejus nitorem esse, si temperato usu splendescat. Qvin igitur facultatibus tuis, qvisqvis es, captos à prædonibus

Obj. 2.

Resp.

allusum ad locum Ciceronis, Offic. 2. redimis, aut æs alienum amicorum causâ suscipis, aut in filiarum collocatione necessarios adjuvas, aut qværendâ deniq; vel augendâ re familiari suffulcis?

Cur eget indignus qvisqvam te divite? qvare
Templa ruunt antiqva Deûm? Horatii venam agnoscis, abditæ in abstruso laminæ inimicissimi. Adjuvandis amicis & propinqvis, fulciendâ republicâ, subveniendo miseris, nec otiosa erit pecunia, & vero usu splendebit. Fructus enim divitiarum in erogatione est; sancta & pia erogatio in gratuitâ communicatione. Non te ad effusiones pecuniarum, qvibus multitudo vel pauci voluptuarii deliniantur, adhortor.

Restrictio. Non ut adulatoribus, histrionibus & saltatoribus benignè largiaris, nec ut ad potum sodales cessantes provoces, efflagito. Sunt aliæ impensarum, & ut magis hæsuræ ita gloriosiores, scaturigines. Desunt qvi calamitate premuntur; aut qvi nullis suis rebus adversis res meliores qværunt? Publica res nunqvam vel bello adjumentum, vel pace ornamentum non desiderabit. Sed frustrà eorum aures moralibus præceptis circumstrepo, qvi non de largiendâ pecuniâ, sed de qværendâ sine fine & modo, de collocandâ cum emolumento, & de utendâ cum incremento soliciti sunt. Cum iis mihi negotium, qvi non de aliis juvandis, sed de se locupletandis cogitât.

Obj. 3. Rem familiarem dilabi sinere, flagitiosum esse; suis non providere, impium, clamitabunt.

Resp. Sit ita: sed ne in avaritiæ, ne in illiberalitatis maculam, nimium augendâ re vel contrahendâ, incidas.

Cic. d. l. *Posse enim liberalitate uti, non spoliantem se patrimonio, nimirum est pecuniæ fructus maximus.*

ximus. Nec pœnitendus in mutuo, gratis nimirum conferendo, nec te ſpe reditus fruſtrante, fructus.

Jam enim ad lenta nomina mea ſe convertit, ſed in arctum hic contrahenda, oratio. Non novas à me tabulas, non creditum abnegandi datam licentiam, non impudentiæ fovendæ pollicitationem exſpectetis. Omni vobis ope & diligentiâ annitendum eſt, ut, ſi non cum remuneratione aliqvâ, ſaltem integram ſortem, nec morâ in longum trahēdâ, reddatis. Defraudandus eſt genius, ſomnus oculis detrahendus, nulli parcendum labori, dum fidem, ſocietatis humanæ vinculum, qvod in vobis ne labefactetis. Atq; id ſponte à vobis fieri, virtutis eſt, & laudi datur. Cunctantes, & officium de die in diem procraſtinantes, leges ad id qvod gentium juris eſt, reddere qvæ debes, conſtringent. Fraudandi enim ſpe ſublatâ, exſolvendi neceſſitas conſeqvetur. Si cum in eluctabili miſeriâ conflictamini; ſi extra indigentiam creditor: precibus cum eo, non jure ſtricto agite. Remittere enim debita, humanitatis eſt & pii officii, nō ullius ex lege neceſſitatis. Cogi enim non vult commiſeratio, nec humanas ad leges beneficentia conſtringi. Sin reflavit illi fortuna, qvi vobis qvondam ſuccurrebat; ſi vos proſpero flatu optatos ad exitus provehimini: non expungendo gratè nomina, ad iniqvitatem impudentiam addetis. Sin ambobus res arcta: tamen ut ſuum, qvi fidem tuam ſecutus eſt, habeat elaborandum. nam *ferendum non eſt, ut in pari paupertatis causâ melior ſit conditio debitoris qvam creditoris:* ut non ineptè Jureconſultus. atq; ita, neutram in partem favore nimio inclinans,

Vela orationis conversa.

In medio navigatio.

Ἐς μέσον ἀμφοτέροισι δικάζω, μηδ᾽ ἐπ᾽ ἀρωγῇ.
Arbiter æqva fero, neutris nimis aptus, utrisq;.

QVÆSTIO IV.

An naturaliter in vendendo & emendo se mutuò circumvenire liceat?

Asserit Pomponius Jureconsultus: æqvitas, nisi interpretatione verborum admissâ, non asserit. Igitur qvid hic *licere* sit, qvid *naturale* dicatur, qvid *circumvenire*, explicandum est. LICERE ea aliqvando dicuntur, qvæ suâ qvidem naturâ prava non sunt, sed ad vitandam aliorum offensionem, vel majus bonum promovendum, rectiùs omittuntur. Sic omnia sibi licere, sed non omnia prodesse, apostolus Paulus pronunciavit. Deinde ut ἀπὸ τοῦ ἐξεῖναι licere ἐξουσία potestas dicitur; ita licere ea dicuntur, qvæ potestati magistratuum sunt permissa. *Vestri consilii res est*, inqvit vir consularis, *vestræ sapientiæ; qvid deceat vos, non qvantum liceat vobis, spectare debetis. si enim qvid liceat qværitis, potestis tollere è civitate qvem vultis.* Ergo magistratui ea licere dicuntur, qvæ per adjunctam potestati impunitatem facere potest. *Ubi est sapientia judicis?* pergit vir consularis. *In hoc, ut non solum qvid possit, sed etiam qvid debeat, ponderet: nec qvantum sibi permissum, meminerit solùm, sed etiam, qvatenus commissum sit.* Deniq;, qvod hujus loci est proprium, Licere ea dicuntur, qvæ moribus recepta, passim impunè fiunt, qvæ legibus non vindicantur. *Sunt qvadam non laudabilia naturâ,*

Margin notes: Licere. 1. — 1. Cor. 6.12. — 2. — Cic. pro Rabirio. — 3. — Quintil.

naturâ, sed jure concessa. Sic debitoris corpus, ut declamator explicat, inter creditores dividi jure Romano *licuit*. Sic Ciceroni miser fuisse Cinna dicitur, qvi non solum viros bonos interfecit, sed etiam ita se gessit, ut ea facere ei liceret. Et addit explicandæ mentis gratiâ: *Etsi peccare nemini licet, sed sermonis errore labimur: id enim licere dicimus, qvod cuiqve conceditur.* Sic concubinam qvondam etiam viris piis, etiam Levitis, licebat habere. Sic bello indicto, etiamsi per naturam injusto, rapere, & rapta in usum suum vertere, licebat. *Tuscul. qv. V.* *Judic. 19.*

Tum certare odiis, tum res rapuisse licebit:

inqvit de bello Punico Virgilius. Ergo licere ea dicimus, qvæ jure externo fiunt, qvæ per impunitatem committuntur. cui verbo id qvod natura justum, qvod fas est, qvod oportet aut decet, opponitur.

Nec tibi qvid liceat, sed qvid fecisse DECEBIT,
Occurrat; mentemq; domet respectus honesti:

imperatorem Honorium Claudianus alloqvitur. Libet versus poëtæ, hanc admonitionem proximè præcedētes, ob opulentiam sensus adscribere. *In tertium consulatum Honorii.*

Tu licet extremos latè dominere per Indos,
Te Medus, te mollis Arabs, te Seres adorent:
Si metuis, si parva cupis, si duceris irâ;
Servitii patiere jugum, tolerabis iniqvas
Interius leges, tunc omnia jure tenebis,
Cum poteris rex esse tui. ——

Ubi altiori qvâdam sapientiâ afflatus, leges peccati nominat, qvæ dominatione interiori in fœdam servitutem, seqventem ductum suum hominem, afferunt. Simili locutione Apostolus Christi exaltati usus, legem peccati & mortis legi spiritus vi- *Peccati leges.* *Rom. 8. v. 2.*

vifici opponit. Juvat magnanimis Claudiani verſibus non minores Senecæ admetiri.

Hercule Furente. Choro IV.

Neſcitis cupidi arcium,
Regnum qvo jaceat loco.
Regem non faciunt opes,
Non veſtis Tyriæ color,
Non frontis nota regiæ,
Non auro nitidæ trabes.
Rex eſt, qvi poſuit metus,
Et diri mala pectoris:
Qvem non ambitio impotens,
Et nunqvam ſtabilis favor
Vulgi præcipitis movet:
Non qvicqvid fovet occidens,
Aut undâ Tagus aureâ
Claro devehit alveo. &c.

4. Eſt & alia verbi *licere* acceptio, minùs in uſu poſitâ: qvâ ex principiis doctrinæ poſitis, alteri affirmare datur, qvod alteri non permiſſum eſt. Qvo ſenſu capiendus Cicero: *Qvod ſi is eſſet Panætius, qvi virtutem propterea colendam diceret, qvod ea efficiens utilitatis eſſet; ut ii, qvi res expetendas vel voluptate vel indolentiâ metiuntur:* LICERET *ei dicere, honeſtatem aliqvando cum utilitate pugnare.* Ergo qvod Ariſtippo, qvod Epicuro, qvod Hieronymo, indolentiâ ſummum bonum metienti, aſſerere licebat; Stoico, omnia ad virtutem referenti, non licuit.

Offic 3.

5. Licendi igitur verbum aliqvando cum eo qvod oportet conſentit: ut cum naturæ & populorum legibus conſtitutum eſt, *ut non liceret ſui commodi causâ nocere alteri:* aliqvando ab eo, qvod naturæ jure præſcriptum eſt, ut modò demonſtratum, recedit.

Cic d l.

Qvid

Qvid sit Naturale, qvid Naturaliter in assertione JCti explicandum consequitur. Naturale.

Naturale moraliter, qvod cum integrâ hominum naturâ consentit; *Non naturale*, qvod ab eâdem recedit, vocatur. Hoc sensu minimè naturalis est, nec cum jure naturæ conveniens, mutua hominum in re contrahendâ circumventio. *Detrahere enim aliqvid alteri, & hominem hominis incommodo suum augere commodum, magis est contra naturam, qvam mors, qvam paupertas, qvam dolor, qvam cætera, qvæ possunt aut corpori accidere, aut rebus externis.* Cic. ibid. Homini enim homo, qvasi mutuâ membrorum uno in corpore conspiratione, commendatus est. Convictum præterea hominum &, qvæ maximè est secundum naturam, societatem tollit syncerae mentis infuscatio. Incolumis enim esse non potest civium conjunctio, si ipsis in Bonæ fidei contractibus fides concesso qvasi jure labefactetur. Naturæ igitur ratio, cui lex divina accedit, celsitudinem animi, integritatem in verbis & in factis, hominum utilitati inservientem justitiam & liberalitatem, non utilitatis communis derelictionem, non fraudem mutuam exigit. *Recta enim & convenientia & constantia natura desiderat, aspernaturq; contraria.* Cic. d. l. Flexu tamen sermonis id naturale aliqvando dicitur, qvod est recepti passim moris, & inveteratæ gentium consvetudinis. Exempla ejus locutionis in Politicis cõgessimus: & qvædam non contemnendâ à Grotio suggeruntur. Lib. 2. c. 12. p. 26. Sunt tamen in iis, qvæ ad dijudicationem vocata, examen ægrè sustineant. Grotius examinatus. Sapientiæ, qvi Salomoni adscribitur libri locus, Μακπῶϛ μὲν γὰρ πάντες ἄνθρωποι φύσει, &c. non tam de consvetu-

dine per gentes & per ſecula ſparsâ, qvam de corruptâ hominum, mente occœcatorum & à Deo derelictorum, naturâ, accipiendus videtur. Pauli ad Ephesios aſſertio, meo & Theologorum judicio, huc non facit. Nec multò feliciùs Eveni poëtæ verſus adducitur:

Ταύτην ἀνθρώποισι τελευτῶσαν φύσιν εἶναι.

De radicatis enim longâ meditatione moribus, non de receptâ hominum cõſvetudine, loqvitur. Qvo ſenſu & Galenus capiendus: ἐπίκτητοι φύσεις τὰ ἤθη, *in aſcititiam naturam mores abeunt.* τὰ ἤθη enim & τὰ ἔθη malè à Grotio confunduntur. nec de inſtitutis populorum & conſvetudine agere, medicorum eſt: qvi tamen mores animorum, corporis temperamentum ſeqventes, aut cum eo conjunctos, non aſpernantur. Nec Thucydides, oculis non caligantibus inſpectus, ad hujus qvæſtionis rhombum hilum facit. Τῶν νόμων κρατήσασα ἡ ἀνθρωπεία φύσις, εἰωθυῖα καὶ παρὰ τοὺς νόμους ἀδικεῖν. *Legibus potentior hominum natura, ſolita & legibus neglectis injuſtè agere.* Cui loco lucem ſimilis in eodem libro fœneratur: Πεφύκασί τε ἅπαντες καὶ ἰδίᾳ καὶ δημοσίᾳ ἁμαρτάνειν, καὶ οὐκ ἔστι νόμος ὅστις ἀπείρξει τούτου. *Naturâ ad delinqvendum publicè & privatim omnes facti ſunt: nec eſt lex ulla qva à delicto abigat.* πεφυσιωμένα, in naturam converſa, rectè interpretatur virtutes & vitia, poſtqvam altas radices egerunt. Sed nihil hæc ad ea, qvæ recepti paſſim moris ſunt, nihil ad juvandum Pomponii reſponſum. Idem de Diodori Siculi dicto, τῆς φύσεως ὑπὸ τῆς ἀνάγκης ἡττημένης, *naturâ à neceſſitate victâ*, ſentiendum.

libro 3.

Circumventio.

Circumvenire, eſt fraudis aliqvid in decipiendo alio committere. qvod jure conceſſum: in pretio nimi-

nimirum emtionis & venditionis, minuendo vel intendendo. non etiam in rei vitio celando: multò minùs in merce vitianda, vel pretio rei emtæ intervertendo. Hic enim plurimi vendere, ille qvam minimo emere voto contendit. Nec id naturæ lege omninò prohibitum; cum nulli rei natura definitam æstimationem faciat. Pretium enim unicuiq; rei, præter vendentis cupiditatem, vel indigentis necessitas, vel æstimantium opinio, vel civilis indictio facit. Unde enim est, qvod gemmula aliqva, ciceris aut pisi qvantitatem vix excedens, prædio urbano æstimetur; nisi à raritate, aut stultâ hominum opinione? Rebus verò fungibilibus, ut in jure loqvuntur, & usu consumendis, pretium ferè necessitas facit. Cui tamen rei determinatio, maximè in iis qvæ minori mensurâ veneunt, à magistratu accedit. Qvi & emtori vel venditori, ultra dimidium justæ æstimationis læso, succurrit.

Emtionis mensura.

Restrictio.

Periculum & commodum rei venditæ, nec dum traditæ vel abductæ, ad emtorem an venditorem pertineat, è jure communi, & decisione Justinianæâ petendum. Non enim planè sunt commenta juris civilis, qvæ in æqvitate fundantur; aut qvæ in æqvilibrio posita, justam finitionem ex arbitrio superiorum accipiunt.

De interiori ex honestate, non ex lege civili, rei vendendæ æstimatione; deqve mercis apertâ & candidâ indictione, non celandis qvæ in usum ementium rem circumstant, copiosè differentem Ciceronem, Officiorum libro tertio, consule.

Remissio.

QVÆSTIO V.

Utrum monopolia in republicâ ferenda?

Monopolia non omnia cum naturæ jure pugnare, Grotius contra receptam plurium mentem asserit. nec tamen assertionis vel certam rationem, vel commodum exemplum adducit. Josephus nec suo, nec regis nomine Monopolium exercuit: nulli enim frumentum vendere, si copia adesset, interdictum. Emere autem largo rerum omnium proventu, qvod indigentiâ publicè exortâ cariùs vendas, vetitum non est. Nec aliud viro sancto illâ comportatione rei frumentariæ, & regiorum horreorum impletione, provisum, qvam ne pressa fame Ægyptus interiret. Alexandrinos Indicarum & Æthiopicarum mercium distractionem exercuisse, mirandum non est. Nam & Batavi hoc seculo merces Brabanticas, & vinum Rhenanum (influente in Bataviam Rheno, ut Nilo Æthiopico in Ægyptum) ob navalium commoditatem, & nauticæ rei exercitationem, sine ullâ Monopolii suspicione vel vitio, exteris communicant. Et patrum memoriâ Veneti, navali operâ pollentes, merces Alexandrinas, & per Ægyptum Indicas, Europæis impertiebantur. Nec tamen ab universæ civitatis emporio, ad privatorum cupiditatem, rectè procedendo Grotius argumentatur. Juri igitur civili, Monopolio privationem bonorum & perpetuum exilium, vel aliàs pœnam arbitrariam, indicenti potiùs qvam vagæ Grotii conjectationi accedimus. Varias

Monopolii eversio.

Mono-

Monopolii species recensentem, post Ducianum & Menochium, vide Althusium. *Dicaeolog. l. 1. c. 133.*

QVÆSTIO VI.

Qvæ mercatura iniqvissima?

Ea qvæ munera, honores, judicia, leges, & patriam ipsam emit vel vendit. Nihil ad arguendum efficacius, nihil probrosius illo versu Lucii Varii: *Publica venalia.*

Vendidit hic Latium populis, agrosq; Qviritum
Eripuit, fixit leges pretio atq; refixit.

Qvod tamen labentibus in deteriùs moribus, & Romanâ sævitiâ in sua membrâ lanianda conversâ, novum non fuit.

Turpicula & illa mercatura, sed qvam necessitas interdum exprimit, qvâ qvi in alto fastigio sunt collocati, pacem à dignitate minoribus redimunt. Ita Justinianus imperator, qvanqvam Gothorum & Vandalorum victor, pro qvinq; induciarum annis bis mille libras auri, pro mensibus autem octodecim libras auri sexcentas, pependit. Qvæ annuâ pensione numeranda fuere, præsente pecuniâ exsolverunt, ne annua tributa pendere viderentur. *Adeò vocabula magis turpia, qvam res ipsas aversari, mos hominum est.* Sed & ante Justinianum, pacem Romanis rerum dominis & securitatem Germani vendebant. *Pacis redemtio.* *Procop. Hist. Goth. l. IV.*

Illi terribiles, qvibus otia vendere semper
Mos erat, & fœdâ reqviem mercede pacisci:

uti Claudianus, De Stiliconis laudibus libro primo, testatur.

Ullàne posteritas credet? Germania qvondam
Illa ferox populis, qvæ vix instantibus olim
Principibus totâ potuit cum mole teneri.&c.

idem De bello Getico.

Sunt & hodie, qvi vel pacem à potentiori inimico, vel securitatem à vagis inaccessorum latronum incursionibus redimunt: qvos alio loco signavi.

Cæteri bonæ fidei vel stricti juris contractus, locutionibus ipsis è jure Romanorum ortis, in belli vel pacis mutatione parum momenti trahunt. De societate autem, qvantum ad institutum nostrum satis videtur, capite de fœderibus

Qvasi Societas.

actum. Illud non prætereundum, esse qvandam belli, ut sic dicam, sine societate societatem: qva gentes vagæ & collectitiæ, vicinæ vel remotiores, ostensione prædæ hosti distrahendo, vel ad internecionem delendo, immittuntur. Julius Cæsar, cum Ambiorigem & Eburones è sylvarum & paludum latebris extrahere ad cædem non posset, allectis ad prædam Germanis, paludum gnaris & levis armaturæ, latibulo eos excussit. Cum bellum

anno 1519.

pro Sveciæ rege liberãdo, inter Danos & civitates Vandalicas, arderet; Rostochiũ & Wismaria proclamatione in suis & vicinis locis factâ, militem

Albert. Cranz. Vand. l. 9.

sine militiâ, sine stipendio stipendiarios alliciunt. *qvotqvot forte propriâ navigaturi sunt ad militiã in Danos, & prædas in tria regna facturi, portubus & urbibus suis utantur: ut malis vexati Dani cũ Svecis, ad relaxationem capiti regis inclinent. Venit subitò incondita gregariorum manus, missiq; in mare, excursiones plurimas fecere in Daniam & cætera regna.* Sed eâ non venalitiorum, sed projectorum ad omne facinus, manu uti, non semper tutum vel honestum. Nam &

Licentia armata.

Germani, signo à Cæsare sublato Eburones insectati, omisso hoste vago & inope, ipsa Cæsaris absentis castra, spoliis opulentiora, oppugnatum venere:

venere : nec Vandalicarum urbium auxiliatrix turba modum prædandi tenuit. *Semel permissâ veniâ in hostes, facilè homines sine lege vivētes abutuntur, sine discrimine obvios qvosq; in mari deprædantes, neq; ipsis memoratarum urbium civibus deferentes. Multa inde urbibus provenere incommoda, multæ ab exteris querimoniæ.*&c. *Vitalianos se appellavere, qui non aliam ob causam bello se inferrent alieno, quam ut vitalibus alerentur : commeatum enim hoc nomine appellarunt.* Vitaliani. Nostro ævo Turcis familiare est, Tartarorum, sordidâ inopiâ sqvalidorum excitam tenebris suis gentem hosti obruendo imittere. Tartari. Qvanquam Præcopienses Tartari, Turcarum ditioni propinqviores, ex fœderis necessitate Turcis auxiliari tenentur.

CAPUT XXIV.
DE
LEGATORUM IURE.

Hactenus causas belli ob dominium rerum & personarum exortas vidimus : nunc humanitatis aut religionis tuendæ seqvuntur.

Humanitas vel in barbarorum immanitate repellendâ, vel in legatorum violatione

averruncandâ, qvod ad causas belli spectatur.

A barbaris, omne fas in movendo bello supergressis, oppressorũ causa piè suscipitur.

Cic. off. l. 1.

Barbarorum suppressio.

NAm injustitiæ duo genera sunt: unum eorum qvi inferunt; alterum eorum qvi ab iis qvibus infertur, si possint, non propulsant injuriam: uti sapientiæ & Officiorum præceptor.

Ambros.

Fortitudo, qvæ vel in bello tuetur à barbaris patriam, vel domi defendit infirmos, vel à latronibus socios, plena justitia est: inqvit Officiorum Tullianorum in scribendo imitator. Sed Ciceronis verba & generalia magis, & magis rotunda sunt. Ad socios enim defendendos, nedum patriam laborantem, fides nos peculiarior obstringit.

August.

Fides enim quando promittitur, etiam hosti servanda est, contra qvem bellum geritur: qvantò magis amico pro qvo pugnatur? Civium verò ignominiam repellere, & injurias illatas ulcisci, interioris fidei est.

Civis injuriâ affecti ultio.

Qvod apud Romanos, majestatis Romanæ memores, haud negligenter observatum. Illa vox & illa imploratio, *Civis Romanus sum*, sæpè multis, in ultimis terris, opem inter barbaros & salutem tulit.

Cic. in Verrem lib. V.

Bellum enim cum Romanâ gente suscipiendum, si civem Romanum violatum esse famâ percrebuisset, barbarorum ultimi verebantur.

Cic. d. l.

Qvot bella majores nostros, & qvanta suscepisse arbitramini, qvod cives Romani injuriâ affecti, quod navicularii retenti, quod mercatores spoliati dicerentur? Qvod & in oratio-

oratione pro Lege Maniliâ, civibus contra Mithridatem inflammandis, non obiter attingit.

Justissima belli ratio habetur, qvà in legatos commissa contumelia vindicatur.

Barbararum & excultarum gentium commune est, à legatis, belli & paci intermediis nunciis, probra & violentiam abstinere, aut ob eorum læsionem ad ultionem exardescere. Bellicosissimus Hebræorum David, in nullam gentem acerbiori vindictâ, qvam in Ammonitas, legationis cum ignominiâ remissæ autores, excanduit. Nullam graviorem causam, Athenienses implacabili bello lacessendi, Philippus Macedo arripuit. Qvam illis ansam datam gravibus literarum verbis, ut ea Demosthenis operibus inserta sunt, exprobrat. *Καὶ τοι τὸ παρανομεῖν εἰς κήρυκας καὶ πρέσβεις, καὶ τοῖς ἄλλοις τε πᾶσιν ἀσεβὲς εἶναι δοκεῖ, καὶ μάλιστα ὑμῖν. qvanquam præcones & legatos violare, & aliis omnibus, & maximè vobis, impium videtur.* Qvo minùs mirandum est, à Romanis, ob legatos facto aliqvo violatos, nisi publicè satisfactum sit, ei civitati bellum indici atq; inferri solere. Qvi & tribunorum plebis, verbo aliqvo aut nutu læsorum, causâ bella gravissima susceperunt. *Φαλίσκοις ἐπολέμησαν, ὑπὲρ Γενυκίου τινὸς δημάρχου λοιδορηθέντος, καὶ Γαΐου Βετηλείου θάνατον κατέγνωσαν, ὅτι δημάρχου πορευομένου δι' ἀγορᾶς οὐχ ὑπεξέστη μόνος. Phaliscis bellum intulerunt, ob Gemicium qvendam tribunum plebis convitiis impetitum: & Cajum Butterium ultimo supplicio adjudicarunt, qvod tribuno per forum incedenti solus non assurrexit.* Causa

2 Sam. 10.

Barbaris mos in cõmune omnibus, legationis sacra venerari.

Procop. Hist. Goth. l. 3.

Epist. Philippi.

Cic. in Verr. l. 1.

Tribuni pl. læsi.

Plutar. in Tib. & Cajo.

severitatis, qvod in tribuno, ut & in legatorum personâ, majestas populi Romani imminui videbatur. Altera causa, qvod & tribunorum & legatorũ persona sacrosancta, id est, ab injuriâ hominum defensa atq; munita, habebatur. Sed de tribunis aliàs. Nomen legatorum ejusmodi esse debet, qvod non modò inter sociorum jura, sed etiam inter hostium tela incolume versetur. *Jus legatorum cum hominum præsidio munitum, tum etiam divino jure vallatum*, orator Romanus prædicat.

Cic. Verr. lib. 1.

Harusp. respons.

Legati sancti.

Nec tantum ob majestatem regum & populorum, in legatis violatis læsorum, vindicandam legati inviolabiles esse debent: sed etiam ne pacis negotia impediantur, & ut vitæ eorum & saluti consulatur. *Ea apud omnes gentes certissima fit consensio, ut de pace tractaturis publica fides servetur inviolata.* Cum Norvagi oratores Danorum correptos atroci neci dedissent, Fridlevus Daniæ rex justâ indignatione succensus. *contra jus gentium violatos oratores* infremuit. Sed exemplorum & testium, passim extantium, affatim.

Cranz. Dan. l. V.

idem Norv. l. 1.

Pœna legati violati.

Pœna legatorum violatorum, si bellum non necessarium cum ignominiâ præcavere velimus, non omnium temporum eadem. Eum qvi legatum pulsasset, dedi hostibus, qvorum essent legati, Qv. Mucius respondit. Qvi legatos, oratores, comitésve eorum pulsasset, lege Juliâ de vi publicâ teneri, Ulpianus edisserit. Qvæ plerunqve est aqvæ & ignis interdictio, vel cum bonorum ademtione deportatio. Sed apud gentes alias deditio ut plurimum obtinet: Vel capitale supplicium violatoribus à domino irrogatur.

Missio

Missio legatorum, & solennis receptio, summum imperium gerentium est.

Civili igitur bello ut cætera gentium jura, ita mittendi & recipiendi legatos, qvoad solennitatem, silescunt. *Legationis jus externo, non civi comparatum*, patres Romani respondent. E qvo fundamento legatos Antonio, patriam incendii ruinâ inflammanti, mittendi dissvasor, non una Philippicorum oratione, Cicero fuit. Nec legatorum jure deprecatores à subditis ad regem missi, nec provincialium aut municipalium oratores nituntur. Montinium cum collega, à provinciarum Belgicarum senatu missum, Philippus rex Hispaniæ durâ custodiâ attinuit: nec factum id omnes, qvasi fas gentium in eo violatum esset, accusant. Provinciarum legatos, vel precandæ alicujus rei, vel decedentem provinciâ prætorem laudandi, aut contra repetundarum arcessendi, ut subditorum causidicos Romani audiverunt. Tertio loco reges & populi plenè victi, ut jam summo imperio exuti, jus mittendi legatos amittunt. Hinc P. Æmylius, Macedonici belli confector, excusatur, qvi Persei, se duce à Romanis victi, caduceatores retinuit. Minimè omnium piratæ, latrocinantes, servi fugitivi, legationis jure communi fruuntur. Interdum tamen reip. necessitas huic juri locum, ut & in bellis civilibus, aperit. qvod ne fraude mittentium fiat, fides publicè data intervenit.

Legationis jura. *Liv. LVI.*

Legatos non admittere, qvam admissos rejicere, humanius est.

Non admissi legati. Utrumq; aliqvando fieri solet: sed prius illud freqventiùs. Aut enim autor mittendi, aut mittendi causa, aut is qvi mittitur displicet. Autorem legationis vel scelus aliqvod insigne, vel tempus non admittit. Ob sceleratam gentis vitam, & ob flagitia nefanda, Cynethensium legati undiqve pulsi dicuntur. Tempus armatâ irruptione fervens, imminente jam faucibus hoste, legationi pacificæ minùs commodum Græcis & Romanis visum. Peloponnesiis Atticam regionem hostili Thucyd. lib. 1. manu jam premẽtibus, legatos eorum pacis conditiones laturos Athenienses, ex Periclis sententiâ, non receperunt. Qvanqvam hoc factum vafritiei Periclis, causas belli qværentis, adscribi poterit. qvare & princeps legationis rejectæ, in hæc ibidem. verba erupisse fertur: ἥδε ἡ ἡμέρα τοῖς Ἕλλησι μεγάλων κακῶν ἄρξει, *Hæc dies magnorum Græcis malorum initium erit.* Ab iisdem postea Atheniensibus, Peloponnesum castris munitis insidentibus, legatos libro V. Spartani non acceperunt. Ἐψηφίσαντο κήρυκα καὶ πρεσβείαν παρ' ἀθηναίων μὴ προσδέχεσθαι, ἢν μὴ ἐκ πελοποννήσου ἐξίωσι, τὰ τείχη ἐκλιπόντες. Sic Romani, cum Italiam Carthaginienses vastarent, legatos eorum non admiserunt. Duriùs cum Perseo Macedoniæ rege, bellum excipiente magis qvam inferente, actum videtur. De qvo ita Livius: *Legati ab rege* Liv. l. 42. *Perseo venerunt. Eos in oppidum intromitti non placuit, cum jam bellum regi eorum & Macedonibus, & senatus decresset, & populus jussisset.*

Causa

Cauſa mittendi aditum aliqvando legatis præcludit: ut ſi iniqva, liberis auribus indigna, poſtulaturi ſunt: aut ſi ad indicendum bellum veniant. Qvâ de causâ Carolus V. Romanorum imperator, conjuratorum in ſe Gallorum, Venetorum, & Florentinorum legatos à conſpectu ſuo removit. Is qvi mittitur, vel ob impietatem, ut qvondam Theodorus ad Lyſimachum miſſus; vel ob flagitioſam vitam aut ſordes natalium, vel ob peculiare qvoddam odium inviſus eſt. Cauſa etiam non admittendi in dubitatione, publicè an privatim qvis legatus veniat, verſatur. qvæ hodie dubitatio, exhibendis mandati inſtructionibus, exempta. Stulta Polyſtratidæ, Spartanorum legati, calliditas videtur: qvi interrogatus, publico cum collegis an ſuo nomine adeſſet: Αἴκεν τύχωμεν, δημοσίᾳ, αἴκεν ἀποτύχωμεν, ἰδίᾳ, *Si obtinebimus petitum, publico nomine venimus; ſin repulſam feremus, noſtro adſumus,* reſpondit. Qvanqvam in eo laudandus, qvod repulſæ dedecus in ſe recipere, qvam patriæ affricare maluit. *Plutar. in Lycurgo.*

Cum ignominiâ rejectæ, poſtqvam ſemel admiſſa eſt, legationis Albertus Cranzius exemplum ſuppeditat. *Remiſſi ſunt non ſine contumeliâ oratores, qvod irridere, non paciſci venirent.* Simulata enim Vendorum, qvos Vandalos autor appellat, de pace petendâ legatio fuit. Similem Parthicorum ad Neronem, de Armeniæ poſſeſſione, legatorum irriſionem in Taciti Annalibus examinavimus. Rejecti legati. *Vandal. l. V.*

Qvæ nunc in more ſunt aſſiduæ Reſidentium legationes, nec ex uſu recipientium videntur, & antiqvis temporibus ignorabantur. Reſidentes.

Non extendenda legatorum privilegia ad solutam omnis honestatis & fidei polluendæ licentiam.

De legatorum delinquentium impunitate. Externa enim corporum ex instituto sanctitas, veræ, internæ, & à naturâ præscriptæ, sanctitatis violationi non patrocinatur. Demus impunitatis in omni scelere fiduciam legatis, eorumq; comitibus & pedisseqvis, qviq; se in tutelam eorum pro seculi more receperunt: qvæ non malorum messis inde proveniet? Nisi examussim viri probi futuri sint; scortationibus, rapinis, cædibus, proditionibus & status ad qvem missi sunt eversionibus laxa fenestra, non enim rima, aperietur. Procop. Hist. Goth. l. 1. *Tamdiu sui reverentiam sibi salvam præstant legati, qvamdiu modestiam sibi custodem adhibent, nec legatis decôra egrediuntur. Alióqvi si legatus regem contumeliâ insultet, si alienum lectum polluat, etiam interfici eum jure posse, consentit humanum genus.* Dissimulandum non est, esse hæc verba Theudati, ingenio ad perfidiam proclivi hominis, ut ostenderet ad necem legati qvasvis causas, etiam fictitias, valere. Cui rectè à legato Justiniani respondetur; adulterii culpam hic fingi non posse, cum legato vix aqvæ sit copia, Custodia legatorum. nisi volentibus custodibus. Custodes enim olim legatis, qvàqvà incederent, apponebantur. Et aliqvando Isdiagunam, Persarum ad Justinianum legatum, incustoditum fuisse, ut novum qvid lib. 1 V. Procopius commemorat. *Magno enim tum honore tum liberalitate eum coluerat Imperator: solusq; is con-*

is conspectus fuerat sine custode. Qvæ legatorum custodia si in usum revocaretur, multis incommodis & difficultatibus præveniri poterat. Sed ad legatum imperatoris, coram Theudate Gothorum principe differentem, redeo. *Qva autem*, inqvit, *mittentis jussu verba enuntiat*, (nim. legatus) *eorum culpam, si qvid peccatur, non ipsi, sed ei qvi imperavit, aeqvum est imputari: cum legato obseqvii incumbat necessitas.* Libertatem in expediendis mandatis optimo jure defendit: polluendi alienos lectos in legato impunitatem non agnoscit.

Alioqvi ut Romulus cædi fraternæ *muri causam opposuit, speciem honestatis neq; probabilem, neq; satis idoneam*; ita fingere cædis causam, vel non idoneam arripere, possunt qvi in legatum malè animati sunt. Tanta enim vis est mendacii, ut speciem veritatis vel obscuret vel imitetur. Sed non ex eo qvod aliqvando fieri ab improbis tyrannis potest, qvi vel nullâ causâ inventâ sæviunt, laxanda sunt claustra omni neqvitiæ. Utilitatem pœnæ cum legationum utilitate nõ male Grotius comparat; sed in hoc mihi cum eo non convenit, qvod hanc illi præponderare autumat. *Minima de malis:* antiqvorum adagium est. Sed qvis, corpori & sensui non serviens, peccandi licentiam minus malum incerto mortis obeundæ timore judicet? Judicia, qvamvis magnorum in historiâ virorum, me non perturbant. De legatis Tarqvinii, legatione perperam & in fraudem Romanorum fungentibus, T. Livius: *De legatis paulùlum addubitatum est: & qvanqvam visi sunt commisisse, ut hostium loco essent, jus tamen gentium valuit.* Promeruisse mortem (hoc enim est, hostium loco haberi) Ro-

Cic. de offic. 3. Legatorum discrimen.

c. 18. par. 4.

Contraria sentiens Grotius.

lib. 2.

manorum judicio visi sunt: sed belli à rege causam hanc arrepturo, & vicinos tanqvam in justam ultionem contra violatores juris gentium tracturo, metus eos inhibuit. Sic gentium jus prævaluit: qvia cædes legatorum in aperto, causa in occulto gentibus fuisset. De comite fido Jugurthæ Salu-

De B. J. stius: *Fit reus magis ex æqvo bonoq́, qvàm ex jure gentium, Bomilcar comes ejus qvi Romam fide publicâ venerat.* Jus gentium saluti legatorum consulit: naturæ jus cædes impunè abire prohibet. Si qvando pugna hic oboriatur: cedat jus gentium juri naturæ; populorum instituta Bono & æqvo cedant. Atq; ita Salustius pro hac sententia, non pro eâ qvam Grotius propugnat, allegatus. Nec gentium tamen consensum fuisse probabile est, legatos reverentiam sui & generis humani exuentes, reverentiam apud alios, etiam contra fas & contra pietatem, retinere debere. Conjecturæ Grotianæ, *privilegia ita intelligenda, ut aliqvid tribuant contra jus commune*, ita locum concedo, si ea privilegia juri supremo non derogent. Civilium enim legum, nõ naturalium, scribũtur privilegia. Qvod autem pergit: *si legati ab injustâ tantum vi tuti essent, nihil in eo magni esset, nihil præcipuè*: nodum in scirpo qværit. Multum enim hic præ cæteris hominibus præcipui: qvod ab hoste, qvod aliis negatum, commeandi licentia, qvod reges adeundi & liberè coram eis loqvendi, parrhesia concedi-

Totilæ fastus. tur: & qvæ sunt alia ejus generis. Nam qvod Totilas Pelagium legatum verba promturum verbis

Procop. Gothic. l. 3. coërcuit: ne pro Siculo qvoquam, neu pro Romæ mœnibus, aut de servis perfugis verba faceret: stulta fuit Gothorum fastus arrogantia.

Audi-

Audivitq; non inanis effectus futuram Pelagii increpationem: *omissis ad te precibus, legatione apud Deum fungor, qvi de supplicum contemtoribus pœnas solet exigere.* Qvæ ipsa legati, qvanquam non à principe æqvali, sed à Româ obsessâ missi, oratio apud superbum regem impunis habebatur.

In eo non difficulter Grotio accedo, si tale sit delictum qvod contemni posse videatur, aut dissimulandum esse, aut è finibus jubendum excedere legatum.. Nam ne in hominibus qvidem, publicam personam nullam gerentibus, ob qvodvis erratum ad carceres & ad manum carnificis pervenitur. *Vivitur* enim *non cum perfectis hominibus, plenèq; sapientibus, sed cum iis, in qvibus præclarè agitur, si sint simulacra virtutis.* Cic. de Offic. l. 1. Si crimen sit atrox & ad publicum malum spectans, mittendum esse legatum ad eum qvi misit, cum postulato ut eum puniat vel dedat: prudentiæ esse potest, juris præscripti non potest. Nec Galli, deditionem Fabiorum postulantes, pro exemplo probante adduci possunt. Non enim, ut repeterēt, è manibus amiserunt: qvorum potiti nunqvam fuerant. Nec magis Romani Fabios puniverunt, qvam qvos ad suos remiserant Romani, cives Carthaginienses. Acriores enim alienorum delictorum judices, ad nostra vel nostrorum connivemus.

Apicem tamē necessitatis in capiendo legato, sed eum nō in sumtione pœnæ, sed in prævētione gravis mali, prǽsertim publici, Grotius excipit. Qvod si vim armatā intentet, occidi etiam posse, nō per modū pœnæ, sed per modū naturalis defensionis, largitur. Qvo concesso, legati non in tuto locātur. Æqvè enim de vi intentatâ, qvam alio ficto crimi-

ne, circumveniri poterunt. Parum autem ad defensionem vel ad salutem intereſt, ad avertendum periculum imminens, an perpetrato jam facinore qvis occidatur.

Legatorum interceptio, & violenta attrectatio, nō omnibus hominibus criminoſa.

Legati intercepti. Si qvi enim ad hoſtes noſtros commeant, aut ſi qvi ab hoſtibus fines noſtros tranſeunt: molimi- nibus eorum cōtra noſtram ſalutem aditum præbere, nimiæ ſimplicitatis foret. *Thucyd. lib. 2.* Bello Peloponneſiaco, Spartanorum oratore iter ad Perſarum regem per Thraciam ſuſcipiente, Sadocum Sitalcæ regis filium, civitati Athenienſium adſcriptum, Athenienſes eò perducunt, ut captos Lacedæmonios ſibi in manus tradat, ne ad regem tragreſſi, civitati ejus damnum inferrent. Iidem Artaphernem à Perſis venientem, ne contra ſe cum Spartanis paciſceretur, *idem. l. 4.* interceptum cuſtodiæ tradiderunt: qvem poſtea unà cum nunciis triremi Ephεſum deduxerunt. Flagrante Annibalico bello Italiâ, cum Philippus Macedo legatum ad Annibalem, *Juſtin.* jungendæ ſocietatis gratiâ, cum epiſtolis mitteret; comprehenſum Romani, & ad ſenatum perductū, incolumem dimiſerunt. *non in honorem regis, ſed ne dubius adhuc, indubitatus hoſtis redderetur.*

Privilegium legatorū etiam ad comites eorum, & ad rem familiarem pertingit.

Non

Non qvidem per se, sed, ut loqvuntur, accessoriè: & ad voluntatem non iniqvam legati determinatè. Voluntatem non infinitam legati, sed æqvitate circumscriptam, capio. Nam si qvamvis delinqvendi licentiam suis permittere, aut si re familiari ad negotiationem in provinciâ, aut ad injustam usuram abuti velit, non auditur.

Ideò *vasorum* nomine bona legati veniunt: ut supellex domestica, & pecunia usu domestico absumenda, intelligatur. *Rex facisne me tu regium nunciũ populi Romani Qviritium, vasa comitesq; meos?* in fecialis juris, ab Anco Martio descripti, antiqvo carmine habetur. Qvare nec in solutionem debiti capi, nec pignoris causâ attineri, jure possunt. Vasa legatorum.

Comites qvoq; eorum & ministri, intra civilem modum se tenentes, à manus injectione immunes sunt. Sin ad cædes, aut non ferendam lascivīam vertantur, non majori qvam ipse legatus privilegio fruuntur. Illam verò legati in domo suâ jurisdictionem, & delinqventium popularium in asylum receptionem, nec apud antiqvos reperio, nec Politicorum scitorum rationibus convenire autumo. Nec enim summa imperia bipartitè conjungi, indivisæ majestati; nec receptaculum per spem impunitatis scelerum, administrandæ justitiæ convenit. Comites. Jurisdictio legati.

Solicita est legatorum incautè obeundis negotiis functio.

Non solum fides ab iis, & ne terminos legationis egrediantur cautio, sed etiam temporum au-

cupandorum notitia, & res ad utilitatem communem expediendi ſolertia reqviritur. Inter alia qvæ enumerare non eſt hujus tractatus, laudi legato datur, mitioris reſponſi occaſionem dare, & irarum inter potentes cauſis antevertere. Exemplum poëtæ in Iride, fidâ Deorum & ſolerti ad obeundas legationes miniſtrâ, procudunt. Ad Jovis poſtulationem, ut à pugnâ contra Trojanos abſtineretur, aſperum Neptunus reſponſum, nec dignum ad aures lædendas relatu, dederat. Iris verita Jovis contra fratrem offenſionem, & gravius ab excandeſcentiâ malum, his eum verſibus ad ſaniorem locutionem adducit:

Iridis legatio.

Hom. Iliad. o.

Τόν δὲ φέρω Διὶ μῦθον ἀπηνέα τε κρατερόν τε;
Ἦ τι μεταστρέψεις; στρεπταὶ μέν τε φρένες ἐσθλῶν.
Hæc tua verba Jovi refero non mitia, dura?
Anne qvid immutas? mutabilis ira bonorum.

Neptunus bile detersâ ad ſe reverſus, æqvam eſſe & amicam Iridis commonitionem agnoſcit.

Ἐσθλὸν καὶ τὸ τέτυκται, ὅ τ' ἄγγελος αἴσιμα εἰδῇ.
Res bona, temporibus ſi noverit apta miniſter.

Non ita agunt, nec ex officio boni legati, qvi cruda reſponſa, non expectatâ mitigatione, & ſæpè in deterius aucta, referunt.

Datur & officium ſine dignitate in legatione, & ſine officio dignitas.

Si qvis in hoſtium poteſtate conſtitutus, ad redimendos vel permutandos captivos domum mittatur, abſq; dignitate legationis functio eſt. Nec enim captivus, & infra ſortem privati hominis,

M. Regulus.

nis,esse definit, etiamsi legatorio munere fungatur. Qvare M.Regulus, de permutandis captivis Romam à Pœnis missus, qvamdiu jurejurando hostium teneretur,se esse senatorem negavit. Sine officio dignitas, & qvædam non tangendi sanctitas,in liberâ Romanorum legatione fuit. Senatorii ordinis homines, vel privatum negotium in provinciâ obituri, vel in amœno otio victuri, ut non sine dignitate aliqvâ agerent, lagationis titulum à senatu ambierunt. titulum sine re, sine fructu ferendo flosculum? Qvorsum enim *sine procuratione senator, legatus sine mandatis, sine ullo reip. munere?* Qvod genus legationis, qvamqvam ad commodum senatorum pertinere videretur, Cicero in consulatu, nisi tribunus pl.intercessisset, sublaturus erat. qvod poterat, tempus minuit, & ex infinitâ legatione annuam fecit: ita diuturnitate sublatâ, turpitudo remansit. Pervertunt homines fundamenta naturæ, cum res honorum insignibus, non hæc illis cedere debere arbitrantur.

Libera legatio.

Cic. de Legib. 3.

Caput XXV.

DE RELIGIOSO IN DEUM CULTU.

Religio partim in cultus divini profanatione, partim in sepulturæ violatione læditur.

RELIGIOSUM commnni Latinorum locutione dicitur,qvo ad colendum Deum, pio metu injecto, obstringimur & qvasi religamur. Propriâ autem Romani fori locutione, re-

Religiosum

ligiosa loca sunt, sepeliendis & continendis hominum defunctorum ossibus & cineribus dicata. De his, ordine ducente posteriùs: nunc qvæ ad Dei venerationem, hominibus neglectam, vel perversè usurpatam, spectant perseqvemur.

Religio vel defectu Deum colendi, vel in excessu temeratur.

Defectus Atheismi nomine, excessus nomine Superstitionis vulgò nuncupatur.

Atheismus vel in profundâ Dei ignorãtia, & essentiæ ejus negatione, vel in supino Dei colendi & timendi neglectu versatur.

Esse Deum universi rectorem, tam evidens hominibus est, ut nulla unqvam secula id negaverint. *Omnibus de diis opinio insita est, nec ulla gens usqvàm est adeò extra leges moresq; projecta, ut non aliqvos Deos credat.* Ab hac persvasione gentium si qvis contrariâ asseveratione recedat, & naturæ injurius sit, & sensui communi repugnet, & conscientiam testem ejuret. *Nemo est enim tam rudis, tam feris moribus, qvin oculos suos in cœlum tollens, tametsi nesciat cujus Dei providentiâ regatur, hoc omne qvod cernitur: aliqvam tamen esse intelligat, ex ipsa rerum magnitudine, motu, dispositione, constantiâ, utilitate, pulchritudine, temperatione.* Qvem locum Lactantius,

Senecà epist. 118.

Deum esse.

Lactant. Instit. l. 1.

ctantius, Ciceronis imitator & simia, ex illo Ciceronis loco expressit: *Qvis est tam vecors, qvi aut cum suspexerit in cœlum, deos esse non sentiat?* &c. Qvanqvam in hac ævi nostri perversitate eò perventum est, ut si non in Dei substantiâ apertè negandâ, saltem in Deo securè contemnendo, impietas Seculum vocetur. *Harusp. resp.* Seculum.

Superstitio partim in anilium observationum anxietate, partim in præpostero Dei colendi ritu, se fatigādo trepidat.

Superstitiosos ex eo dictos, qvod subinde ad deorum imagines prostrati filios sibi superstites precarentur, vulgò autumant. Rectiùs meo judicio ii, qvibus superstitiosi dicuntur, qvi superstitem memoriam defunctorum colunt, aut qvi parentibus superstites, imagines eorum domi, tanqvam deorum penatium, celebrant. De superstitione qvoad aniles trepidationes, succinctè agit in Charactere Theophrastus: de præpostero Dei vel deorum cultu, abundè nostri Theologi. Nos pro instituto pauca, qvæ obiter in mentem venerint, hic delibabimus. Superstitiosi.

In superstitionem, qvam in negandum Deum, gens est humana pronior.

E cerebri enim sui fœtu varia deorum monstra, varios & secum pugnantes placandi dei ritus, fœcundum errorum genus humanum excogitat.

Superstitionis seminaria. Accedunt arioli & sacrificuli, dementandis hominum mentibus, & vel ad scelerum perpetrationem obstringendis, sagaces & arguti. *Liv. l. 39.* *Nihil enim in speciem fallacius est, qvam prava religio. ubi deorum numen prætenditur sceleribus, subit animum timor, ne fraudibus humanis vindicandis divini juris aliqvid im-* Efficacia. *mistum violemus.* Qvin & continendis metus freno populis, multa superstitionum terriculamenta à *idem lib. 1.* civitatum rectoribus inventa. Celebre illud de Numâ Pompilio: *Omnium primum rem ad multitudinem imperitam, & illis seculis rudem, efficacissimam, deorum metum injiciendum ratus est. qvi cum descendere ad animos sine aliqvo commento miraculi non posset, simulat sibi cum deâ Ægeriâ cōgressus nocturnos esse.* Eodem simulationis artificio Lycurgus leges, qvasi ab Apolline autore, Spartanis; Minos Cretensibus, qvasi à Jove præscriptas, obtrusit. De Numâ pergit Livius: *Multitudine omni à vi & armis conversâ, & animi aliqvid agendo occupati erant, & deorum assidua insidens cura, cum interesse rebus humanis cœleste numen videretur, eâ pietate omnium pectora imbuerat, ut fides ac jusjurandum, propulso legum ac pœnarum metu, civitatem regerent.* Felici instituto, si ad effectum eum regendæ civitatis pervenit: qvod autem mendaciis, & præstigiarum in re di- *Strabo lib. 1.* vinâ sutelis, minimè nobis laudando. Ταῦτα δ' ἀπεδέξαντο οἱ τὰς πολιτείας καταστησάμενοι μορμολύκας τινὰς πρὸς τοὺς νηπιόφρονας. *Hæc indumenta larvarum civitatum fundatoribus, ad irritiendos puerilia sapientium animos, placuerunt.*

Multifaria, & aut inanis aut

hor-

horrenda, superstitionis tumultuatio.

Omnes omnium gentium inanitates, aranearum textu leviores, commemorare piget: cum & Ægyptii, sapientiæ opinione cultissimis anteferendi, eò se abjecerint, ut & hortorum salsugines pro numinibus haberent.

Porrum & cæpe nefas violare ac frangere morsu.
O sanctæ gentes, qvibus hæc nascuntur in hortis
Numina! inqvit irrisor seculi sui. *Juvenalis.*

Romani, qvi omnium sacrorum, præter unius veri Dei, colluviem in urbem acceperunt, religione se, non armis, orbem vicisse gloriantur. Hi statas solennesq; ceremonias, Pontificum scientiâ; benè gerendarum rerum autoritates, augurum observatione; Apollinis prædictiones, vatum libris; portentorum depulsa, Etruscâ disciplinâ, explicari voluerunt. Sed omnium maximè auspicia, sine qvibus nihil vel privatis in rebus vel publicis gerebant, observavere. Sapientiores tamen spretâ vulgi opinione, *optimis auspiciis ea geri, qvæ pro reip. salute gererentur; qvæ contra remp. fierent, contra auspicia fieri*, censebant.

Romana sacra.

E Cicerone Valer. Maximus lib. 1.

Cic. in Catone.

Inania hæc omnia: plena horroris, qvæ in contaminato Bacchanalium ritu, qvæ in humanarum victimarum immolatione, & simili diræ feritatis crudelitate committebantur. Et Bacchanalium qvidem flagitia Romani legum severitate prohibuerunt: humanas gentium aliarum hostias ita sunt execrati, ut ipsi non planè ab iis, tempore statuto immolandis, abhorrerent. *Latio ad hodiernum Jovi mediâ in urbe humanus sangvis ingusta-*

Superst. immanitas.

Scorpiace.

tur: inqvit Tertullianus. Quam inguſtationem ne pro levi aræ aſperſione cum qvibuſdam accipias; ecce tibi Arnobium interpretem: *Hodieq; ab ipſis latiaris Jupiter homicidio colitur.* Colchorum, Carthaginienſium, Celtarum, Britannorum, Scandinaviorum, & inprimis Orientalium, cruentas immolationes, ut nimium pervulgatas, non attingo. Ne Græci qvidem, ſi vera Iphigeniæ hiſtoria, ſacri ſceleris immunes fuere.

Lib 8. qui Minutio autori tribuitur.

DEUM eſſe, extra dubitationem poſitum eſt: qvalis, & qvemadmodum ſit colendus, verbo divino præſcribitur, & ratione indagatur.

Unam eſſe & individuam Dei majeſtatem, ſenſibus non perceptibilem nec in effigiem creaturæ detorqvendam, ſancto timore eſſe adorandam, & freqventi cultu honorandam, (qvæ primam legis tabulam cõficiunt) rationi non obbruteſcenti facilè perſvaſeris. Ab hac tamen perſvaſionis & fidei ſemitâ in varia errorum divergia, ſeu imbecillitate humani ingenii, ſeu fraude Satanicâ & in pœnam prævaricationis & Dei deſerti, diſceſſum eſt. Pro uno Deo multitudo deorum, pro vivo numine ſimulacra introducta. Nec jurisjurandi ſinceritas, & dei in teſtem vocati reverentia, nec cólendi ejus vel fervor vel puritas diu permanſit. Cœca hominũ brutalitas à factore ſuo deſciſcens, numen qvod ipſa non effinxerit, colere & adorare de-

Lapſus pietatis imaginariæ.

re detrectavit. Unde factum, ut qvasi negatâ Dei omniscientiâ, & scrutandi arcanos hominum recessus perspicacia, jusjurandum aut apertè violaretur, aut varias per artes eluderetur. Anniversaria verò festa, & si qvando necessitas, vel insignis lætitiæ festivitas, Dei meminisse cogeret: portenta humani ingenii, & actionum fœda aut supervacua commēta, dignum tali patellâ operculum, oblata. Theatra, ludi, saltationes, ebrietates, & obscœni interdum motus, aut rursus humani sangvinis piaculum, Deo gentilitio placando expromebantur. Qvales nimirum Deos humana industria invenit, tales esse ex ingenio suo, talibus rebus delectari vel abhorrere, judicavit.

Individua Dei majestas potentiæ socios non admittit.

Primum Decalogi præceptum, à Josepho ad veritatem sensûs expressum, Ὅτι θεός ἐστιν εἷς, καὶ τοῦτον σέβεσθαι μόνον, *Deum unum esse, & hunc solum colendum esse*, præter autoritatem effati divini, ratione stabilitur. Esse enim infinitæ potentiæ, & esse in plures potentias dispersum, veritati non cōvenit. Sed hoc naturæ dictamen, præter Theologos à Nathanaële Comite in Mythologia, & à Philippo Mornæo De veritate Religionis Christianæ, pertractatum, nec evidentioris demonstrationis indigens, à diffusâ tractatione sejungo.

Antiqvit. lib. 3. c. 4.

Dei Unitas.

Simulacra in honorem Dei erigere, & pro iis procumbere, Deo ignominiosum est.

Qvæ enim infinito cum nihilo, factori rerum cum manuum humanarum facturâ, convenientia? Secundum Decalogi præceptum Josephus, Hebræorum post prophetas, facilè doctissimus, è verbo Dei ita expressit: μηδενὸς εἰκόνα ζώου ποιήσαντας προσκυνεῖν, *Nullius imaginem animalis factam adorate.* Copiosus in hoc stadio esse possem, nisi campum theologis decurrendum ingredi vererer. Unam Lactantii Firmiani rationem, iconolatriam evertentem, non præteribo: *Qvod si sentire simulacra & moveri possent, ultrò adoratura homines fuissent, à qvibus sunt expolita.* Priscæ ecclesiæ Christiani adeò imagines in templis ignoraverũt, ut ne templa qvidem in honorem Dei erigerent. Indignum enim Dei sublimitate censebant, spatiis locorum includi. *Qvod verò templum habere possit Deus, cujus templum totus est mundus?* inqvit episcoporum eruditissimus, sanctissimus. *Intra unam ædiculam vim tantæ majestatis includam? —— In nostrâ dedicandus est mente, in nostro consecrandus est pectore.* Cui consentientia Minutius: nec non Lactantius, libro De Irâ Dei. Pleniùs iis Arnobius: *Qvod neq; ædes sacras venerationis ad officia construamus, non deorum alicujus simulachrum constituamus, aut formam: non altaria fabricemus, non aras:* nimirum à gentilibus culpamur. Ergo trecentis, & qvod excedit, post Christum natum annis nulla Christianis templa & aræ, nulla simulacra. Paulatim ab eo ævo gentilium fana, qvæ claudi Constantinus jusserat, in templa Christi cõversa, aut nova magnis sumtibus exstructa. Crescente verò sacerdotum opulentiâ, & cum eâ verbi divini ignorantiâ, simulacrorum sumtuosâ copiâ cum gentilibus certatũ.

Imagines.

Institut. lib. 1.

Templa.

Cyprianus De Idolorum vanitate.

Libro VI.

Labilis pietas.

Aurum

Aurum in pretio habitum, sacro in loco ponebatur: rediitq; illud à Lactantio gentilibus objectum: *Sub obtentu deorum avaritia & cupiditas colitur.* Instit. l. 1.

Deteſtabilior ſuperſtitione impietas, qvæ Dei nomen perjurio aut vituperatione, ſacros cœtus neglectu aut profanatione violat.

Tollit enim religionem è mundo talis protervia, pietati inimica: nec habet ullum cum probitate commercium. De Jurejurando qvod ſuprà actum, non repeto. De Chriſtianorum feriis qvæ monerentur haberem: ſed intra terminos præſcriptæ materiæ me contineo.

QVÆSTIO PRINCIPALIS.

Utrum in Deum ſic injurii bello vindicativo perſeqvēdi?

Si priſcam ævi veteris memoriam conſulamus, libera cuiq; nationi colendi vel omittendi ſua ſacra facultas manebat. Nam qvod Philippus Macedo ducem ſe Græcis, Phocenſium ſacrilegium vindicantibus, præbuit, peculiarem rationem habet. Delphicum enim templum, qvod illi ſpoliaverant, commune vaticinii Græcis domicilium fuit, communibus Græciæ donariis exornatum. Cauſam qvidem Choſroes, Perſarum reſurgentium rex violentiſſimus, imperii Romani inva- Religionis libertas. Bellum ſacrum.

minimè sacrum. dendi eam arripuit, ut Crucifixo abnegato, Solem & ignem Persarum more adoraret. Persarum domitores Saraceni viam prægresso Muhammedo, ferro ad nova sacra recipienda populos ad se non pertinentes adegerunt. Sed qvis vel Chosrois insaniam, vel Muhammedi & Saracenorum furores probaverit? Saracenorum victores Turcæ, avaritiæ suæ & in Christianos imperii cupiditati, hunc aliqvando prætextum assuunt; multitudinem Deorum & cultum imaginum, qvem nobis impingunt, esse exterminandum. Sed faciles in permittendo Christianorum cultu Turcigenæ, si qvis imperium in se admittat. B. palliatum. Germani olim non mitiores, Vendos, Borussos, & Livonas, ascito Christi nomine, vi armis illatâ ad Christianum nomen compulerunt. Majori apud Borussos habendi & rapiendi sanctitate, qvos ob agrorum fertilitatem, fluviorumq; & portuum commoditatem, sedibus avitis expulerunt. Faciliùs in Saracenos, odium hostile in Christianum nomen professos, & latrociniis viventes, expeditiones defenderim. Sacram militiam hanc vocant: qvanqvam nefario hominum genere sæpè collectam. De Conradi, assumto Ludovico Galliæ rege, in Vandal. l. 4. orientem expeditione Cranzius: *Ferunt Germaniam tunc purgatam latrociniis: nam omne id genus hominum sacram cum rege iniit profectionem.* Minùs ii ferendi, qvi satis causæ putant, ob dissensionem rituum qvorundam, Polonos vel Austriacos bello lacessendi. Ut nec eorum causæ faveo, qvi Lutheranos hæreseos maculoso nomine aspersos iniqvo bello persequvuntur. In iis, qvi nostræ curæ non sunt commissi, locum habeat illud Apostoli:

τί γάρ

τί γάρ μοι καὶ τοὺς ἔξω κρίνειν; *Qvorsum & exteros judicem?* &, τοὺς δὲ ἔξω ὁ θεὸς κρίνει: *Externos autem Deus judicat.* 1.Cor. 5. v. 12. 13.

Qvæstio annexa.

Num igitur à magistratu suo dissentientes cultu puniendi, & ad receptam publicè religionem cives omnes cogendi?

Hebræorum in populo, propinqviora Dei præcepta secuto, omnium primæ tabulæ mandatorum violationem, Deo ipso autore, pœnæ subjectam cernimus. De Apostasiæ punitione Moses, divinæ legis conditor. Deut. 13. De idolorum fabricatione & cultu punito: Exod. 32. v. 27. Blasphemiæ vindicatę exemplum & præceptum: Levit. 24. v. 14. 15. 16. Sabbati violati: Num. 15. v. 35. Nec apud gentes, Dei se clariùs manifestantis cœlestem lucem ignorantes, religiones violatæ impunè abibant. Soli Christiani, ante stabilitam Romæ papalis potentiam, in contrarium abire mihi videntur. *Nec religionis est cogere religionem, qvæ sponte suscipi debeat, non vi:* inqvit Tertullianus. Largior verò istic Lactantius, ut sermone in omnibus est uberior. *Qvis imponat mihi necessitatem vel colendi qvod nolim, vel qvod velim non colendi?* iterum: *Religio cogi non potest: verbis potiùs qvam verberibus res agenda est, ut sit voluntas.* Qvia autem se lapsis consulere, ad sacrificia cogendo, gentiles præ se ferebant: pergit Lactantius: *Non est beneficium, qvod ingeritur recusanti.* —— *Non est sacrifi-*

Hebræi. Gentes. Christiani antiqvi. *ad Scapulam.* *Institut. l. V.*

cium, qvod exprimitur invito. Crescente verò Christianorum potentiâ, & cum rebus mutato consilio, sententiis variatum. Nec omnes Theodosii in Arrianos, qvamvis crudelitatis autores, Justiniani in Manichæos, qvamvis impietatis extremos, & in Samaritanos, asperitatem probaverunt. Priscillianistas verò, ab Hispaniâ se effundentes, capitis supplicio esse affectos, gravi censurâ animadvertebatur. Nec in eâdem Hispaniâ Isidorus, Hispalensium Archiepiscopus, Gundemari, Judæos ad fidem cogentis, zelo subscripsit. *Æmulationem qvidem*, inqvit, *habuit, at non secundum scientiam. Potestate enim compulit, qvos provocare fidei ratione oportuit.*

Isid. Chron. Erâ 65.

Judicium autoris.

Ego ob aliqvem in religione dissensum, viros vitæ aliàs honestæ, nec in admittendâ veritate agnitâ refractarios, nec sectam factiosè colligentes, gladio temerè non subjecerim. Conventicula, & publicum separatæ religionis exercitium, admittere; ex peculiari principum indultu, aut publicâ conventione, non à societatis naturâ manat. Apertam verò cultus omnis irrisionem, blasphemiam, pejerationem, qvæ à malitiâ animi, non ab errore mentis proveniunt, impunè non dimittenda censeo. Si enim Israëlitæ ob aram, à Rubenitis & Gaditis non malo animo exstructam, iram Dei in universum populum venturam metuebant: qvid non à neglectis in Deum convitiis extimescendum? Fundamenta præterea societatis humanæ, fide sublatâ, evertuntur. Dei autem metu & reverentiâ sublâtâ, fidei exiguum loci superest. Non malè igitur ab antiqvis religio coagulum omnis societatis, sustentaculum legislationis, propu-

Jos. 22.

Vis religionis.

propugnaculum poteſtatis, honeſtæ diſciplinæ vinculum cognominata eſt. Nec malè veteres Romani omnia poſt religionem ponenda duxerunt: etiam in qvibus ſummæ majeſtatis conſpici decus voluerunt. Qvanqvam in hac Romanorum religione ſcoriæ plus qvam argenti: minus tamen mali præ ærugine impietatem profeſsâ habebat. Abrahamus vitæ ſuæ & pudicitiæ uxoris, in Ægypto peregrinatus, diffidebat: qvia nullum in ea regione Dei metum eſſe ſuſpicabatur. Et Homerus hominibus feris, & in omnes injurioſis, non uno in loco opponit eos, οἷς νόος ἐστὶ θεουδής, *qvibus eſt mens Deum reverita.* Religionis igitur contemtus, tum ob inſitam culpæ fœditatem, tum ob ſeqventem diſciplinæ diſſolutionem, à magiſtratu vindicandus. Nec ad omnes alieni cultus, & voluntariæ ſuperſtitionis lapſus, omninò connivendum. Maximè ſi qvis expreſſam Dei voluntatem, miraculis præſentibus toties confirmatam, cum gente Iſraëlitarum, cognoverit. *Val. M. l. 1. c. 1.* *Gen. 20. v. 11.*

CAPUT XXVI.

DE SEPVLTVRÆ IVRE.

Cadavera ſepelire, & ſepulta non violare, divini & humani juris eſt.

Νόμον δαιμόνων id tragicus, id eſt deorum legem; ſortis humanæ commercium, Tacitus; Naturæ jus Hebræorum crudiriſſimi, naturæ nomen pro receptâ gentium conſvetudine capientes, appellant. Qvanqvam fœtum terrenum *Jus naturæ ſepulturæ.*

matri terræ reddi, & à conſpectu vivorum defuncta corpora removere, à naturâ præcipiente proficiſci videtur. Qvare ultra humanæ ſævitiæ modum crudeles habentur, qvi vetitâ cæſorum ſepulturâ, iram ne à mortuis qvidem abſtinere poſſunt.

Nullum cum victis certamen & æthere caſſis:

Æneid. xi. inqvit apud Maronem Æneas. & apud Homerum magnanimo ſenſu alius heros:

Iliad. η.

Οὐ γάρ τις φειδὼ νεκύων κατατεθνειώτων,

Conceſſi vacuis nulla eſt jactura ſepulchri.

Ferus igitur & inhumanus Achilles Homericus, qvi ultionis voluptatem in lacerando Hectoris cæſi corpore qværebat. Qvare & indignationem ſuperorum movebat, & Jovi hunc verſum immanitatis exprobratorem extorſit:

Iliad. ω.

Κωφὴν γὰρ δὴ γαῖαν ἀεικίζει μενεαίνων;

Nam furibundus humum laniat ſine mente jacentem.

Inſaniores Chriſtiani in Africâ, Donati factionem magis qvam hæreſin ſecuti, qvi diſſentientium à ſchiſmate corpora ad ſepulturam tradi vetabant. Impietatem hoc facinus gentiles vocabāt: qvo nomine pietatem inſignem profeſſi inſigniuntur? Ut autem in honoratioribus locis qvis humetur, non æqvè vel neceſſitatis vel gentium juris eſt: dummodò loca ſuppliciis aut ſordibus infamia vitentur. Ita Sulpicius Marcellum ſepulturus, ab Athenienſibus locum ſepulturæ intra urbem ut darent, impetrare non potuit. In ſacris Chriſtianorum comitiis, templis & cœmiteriis, defunctos humare, qvia longo ſeculorum uſu receptum eſt, ſine ignominiæ notâ excluſi non repellun-

Impietas.

Loca ſepulturæ.

Cic. fam. lib IV. epiſt. XII.

pelluntur. Non tamen tanti res apud virum ſapientem eſt, ut ob ſperandum ſepulturæ locum veritatis naufragium faciat.

Addi ſepulcretis virorum honeſtorum monumenta, cum nominis & vitæ anteactæ inſcriptione, ſolent. Præ cæteris nationibus Græci & Romani, nec non Chaldæi & Ægyptii, mortuis religioſa jura tribuerunt. Nec ſegnes in juſtis faciendis Chriſtiani, vel in oppreſſione ſumtuoſi. Nec lamenta & ejulatus, qvamvis in ſpe reſurrectionis, deerant. qvos Prudentius his verſibus reprimere ſatagit: Epitaphia.

Qvid turba ſuperſtes inepta
Clangens ululamina miſces?
Cur tam benè condita jura
Luctu dolor arguit amens? &c. Κατηριεα-νων.

Sed ut ad rem propoſitam revertar: Vivos laceſſentes proſternere, non cum mortuis ignominioſè luctari, virtutis eſt. *Ne hoſtes qvidem ſepultura invident*, nonnemo apud Tacitum proclamat. Multumq; Hannibali immanitatis famæ detraxit, qvod acerrimum hoſtem Marcellum, à qvo primo vinci didicerat, ad ſepulturam ultrò qvæſivit. Pii igitur Athenienſes, & caſuum humanorum memores, qvi injuſtos Græciæ invaſores, & urbi ſuæ infenſiſſimos, Medos à ſe cæſos terræ mandarunt. Impius Creon, qvi Argivos, juſto bello Polynici auxiliatos, condi vetuerat. In qvo qvidem homine verum fuit illud Ciceronis dictum: *eos qvi antè commodis fuerunt moribus, imperio, poteſtate, proſperis rebus immutari.* Nam nihil Creonte, ſub Oedipo ſerviente, pacatius: nihil eodem, ad imperium evecto, importunius. Qvare Hoſtium ſepultura. Annal. l. 1. in Lalio.

& pœnas acerbitatis, tracto in se Atheniensium bello, qvo prœliando occubuit, luebat.

QVÆSTIO I.

Num & facinorosi, qvi capitis damnantur, sepulturæ tradendi?

Facinorosorum.

Tacit. Annal. 1.

Si plenum suppliciorum fructum spectemus, videtur ad deterrenda facinora utile, corpora inhumata abjicere. Qvod Drusus in Vibuleno & Percennio, gravissimæ seditionis autoribus, fecisse memoratur. Sed leges Romanæ & Græcanicæ, humaniorem in partem inclinantes, cognatis, imò qvibusvis petentibus, corpora supplicio affectorum ad sepulturam non denegant. Nostris moribus, ut & olim apud Germanos, discrimen à facinoris diversitate. Hebræorum Respublica, Deo autore humanitatem edocta, Romanis & Græcis accessit: vel potiùs miti exemplo Græcis & Romanis præluxit. Nam qvod Deus ademtionem sepulcri qvibusdam comminatur, hominum sævitiæ leges non præscribit, sed jure suo humanis altiori utitur. Nonnulla tamen facinora, ut humanum peccandi morem egressa, ab hac humandi benignitate Romani, Græci, Hebræi variè exceperunt. Nam & eos, qvi sibi manus violentas inferunt, & proditores, & sacrilegos ab hoc sepulturæ honore prohibebât. Qvo fortassis è fonte David Goliathi corpus avibus & feris, uti minatus fuerat, pascendum abjecit; caput trunco avulsum ostentui servavit. Majus enim sacrilegium est, Deum cōvitiis proscindere, qvam auro & argento templa spoliare.

Cum exceptione.

Medii

Medii inter exeqviarum honorem,& abjectionis ignominiam, generis est corporum ad sectionem, medendi vivis gratiâ, traditio. Qvanqvam Lugduni Batavorum, Anatomiæ in fabricâ, tabula, qva qvis ejusmodi sepulturam exoptat, conspicitur. Anatomia.

QVÆSTIO II.

Num sibi vitam adimere tam horrendum sit facinus, ut & Deum avertat, & apud homines infamet?

Pessimi moris eum esse, qvi erga se ipsum & erga amicos neqvitiâ utitur, Moralium præceptor pronunciat. Rationem tamen pœnæ à publico conseqventis, qvam sub finem libri adducit, minimè sufficientem reperio. *Civitas*, inqvit, *punit: & qvædam infamiæ pœna eum sectatur, qvi se ipsum interemit, ut qvi civitatem injuriâ affecerit.* Qvid si enim homo civitati inutilis, qvid si damnosus civitati, qvem interire omnium bonorum interesset, se interfecerit: qvid hinc incommodi, qvid damni vel injuriæ ad civitatem redundabit? Ex animi motibus, & causis ad sui cædem impellentibus, ego nodum incîdo. Si qvis in tantum à naturâ & à Deo defecit, ut opera Dei, & in iis ipsum se, qvasi in contumeliam opificis, exosum habuerit; omnem neqvitiæ numerum explevit. Proximus est vitio, qvi scelerum conscientiâ exagitatus, vitam anteactorum obgannitricem tædio abrumpit. Tertio in mali seminis horto eos pono, qvi metu

Arist. Nicom. V.

Autochiria.

gravioris supplicii, aut dolore corporis urgente, vel vitæ tristioris acerbitate permoti, ad laqveum aut ad pugionem confugiunt. Pœnè innocentium loco mihi sunt, qvi atrâ bili perciti, sibi vim inferendo qvid agant nesciunt. Qvi verò fortiter dimicando pro patriâ se devovent, qvi dum hostem propulsent in ipsam mortem ruunt, ignominiæ maculâ commaculandi non videntur. Non enim vel animi mollitie, ut qvi dolorem ferre non possunt, vel probri antegressi exprobrante pudore, vel odio vitæ suæ, sed hosti nocendi studio, ad facinus magnanimum incitantur. Nec spem omnem vitæ servandæ abrumpunt: cum navi subjecto pulvere ignivomo incensâ, non paucos impetus in maris sinum, ad proximas naves enataturos, deposuerit.

vel Qvasi.

Hebr. 11. Simsonem autem, Christi hoc ipso facto typum, & in fidelium catalogo splendentem, spei abjectæ maculâ aspergere, inconsideratè nimis consideratorum est. Simson ad stragem inimicorum populi Dei, & ipsa Dei destinatione, & voto suo ferebatur. Nec major stragis inferendæ occasio qværenda fuit, primoribus cum fæce populi unum in locum congregatis. Nec ipse jam vivere, nisi ad ludibrium suum & patriæ dedecus, nec patriæ laboranti alio modo prodesse poterat. Nec tamen mortem suam, & vitæ minimè blandientis abruptionem, sed ultionem ab hostibus, sed hostium interitum captabat. Nec nisi invocato precibus Deo, qvem Deum suum vocabat, (qvod non est desperantium & à Deo ac naturâ deficientium) ad opus in omne ævum commemorandum se accinxit. Nec populares eum, ut parricidam sui, contu-

Judic. 16.

contumeliosè reliqverunt: ſed cum diſcrimine ex hoſtili ablatum, honeſtâ ſepulturâ ſunt dignati. Hæc pro Samſone, excuſatione non indigente: de Saule enim & de Razi purgandis non multum laboro. In Chriſtianâ hiſtoriâ, qvi mortem ſibi intulerunt, ne tormentis adacti Chriſtum redemtorem abnegarent, vel ne de pudicitiâ amittendâ laborarent: Theologiæ doctores patronos vel cenſores expectent. Textura enim ea filum orationis meæ, qvod eſt de jure publico & armorum, egreditur.

CAPUT XXVII.

DE POENA.

De causâ belli principe, adjuvante, impellente hactenus: cauſa alliciens (ita ſcopum armis propoſitũ voco) ſeqvitur.

Omnibus hominum non dementium actionibus finis aliqvis, in qvem tendant, propoſitus eſt, qvantò magis publico conſilio ſuſceptarum: & qvæ armis commotis ruinam gentium vel ſalutem contingunt. Nihil hic temerè, nihil non deliberatè agendum. Temerè enim in acie verſari, & manu cum hoſte confligere, immane qviddam & beluarum ſimile eſt. Qvanqvam ne beluæ qvidem eò dementiæ rapiuntur, ut inſtructâ acie in partes diſcedentes, mutuum in exitium concurrant. Homini autem, ratione armato, in ſimile genus qvâvis ex causâ ſævire ſatis eſt. qvod maximoperè hominem ex homine non

Scopus armorum.

Cic. offic. 1.

exuentibus cavendum: &, si bellum vitari non possit, saltem meta, ut bono sagittario, figenda.

Est aliqvid qvò tendis, & in qvod dirigis arcum?
An passim seqveris corvos testâq; lutoqve,
Securus qvò pes ferat, atq; ex tempore vivis?

Sat. 3. etiam hic à Persio monemur. Non enim tantùm in diem vivendum non est: sed ita vivendum, belli maximè actionibus, ut susceptarum rerum ratio probabilis reddi qveat.

Scopus armis propositus, est vel à necessitate extortus, vel præter necessitatem à jure naturæ concessus.

Fines ab hominum cupiditate armis præfixos, non à naturâ magistrâ præscriptos, à belli susceptione principio operis removi. Pauca etiamnum *Gloria.* de gloriæ cupiditate, magnos animos ad temerè confligendum alliciente, dicenda. Ardor enim multos, non causa, non justum propositum, in bellum protrudit.

Et dubitamus adhuc virtutem extendere factis?

Ænead. 6. masculus poëtæ versus in auribus eorum sonat. qvasi virtus ulla esse possit justitiæ inimica: aut justitia in inferendâ, non propulsandâ, injuriâ versetur. *Non in inferendâ, sed in depellendâ injuriâ lex virtutis est:* inqvit alicubi Ambrosius. Clari nobis bello Punico Marcellus, Nero, Scipio: detestabilis, qvi bellum contra fœdus intulit, Hannibal. Nec Pyrrhum tantum, qvamvis victoriâ moderatum, clade non fractum, qvantum oppositos

sitos ei Fabricium & Curium laudamus. Nel Miltiadis, Themistoclis, Cimonis res gestas Athenienses, qvam perpetuam Græciæ tranqvillitatem, maluissent. Nam *in tranqvillo tempestatem adversam optare, dementis est: subvenire autem tempestati qvâvis ratione, sapientis: eoq; magis, si plus adipiscare re explicatâ boni, qvam addubitatâ mali.* Cic. offic. lib. 1. Qvod contra Pyrgopolynicen Plauti, & contra gloriosum Militem Terentii, notandum.

Scopus à necessitate extortus, est pacis turbatæ reductio.

Bella enim suscipienda sunt, *ut sine injuriâ in pace vivatur.* Cic. d. l. Sine injuriâ, inqvam: nam pactio pacis, qvæ lex sit servitutis, aut qvæ blandiente pacis nomine, vitæ nostræ insidietur, displicet. *Paci, qvæ nihil habitura sit insidiarum, semper est consulendum:* d. l. pax libertati insidians forti viro repudianda. Pace autem firmatâ, & hoste nihil minante, nihil adversi struente, ab armis abstinendum. *Non enim pax qværitur, ut bellum excitetur: sed bellum geritur, ut pax acqviratur.* Augustin. Bella enim viris bonis *non cupiditate aut crudelitate, sed pacis studio geruntur, ut mali coërceantur, & boni subleventur.* idem. Atq; hæc est causa belli justissima, armis à necessitate porrectis, ab ipsa matre rerum naturâ imperata.

Scopus præter necessitatem naturæ jure concessus, est antegressæ injuriæ, pœnâ delicti infligendâ, ultio.

cium, qvod exprimitur invito. Crescente verò Christianorum potentiâ, & cum rebus mutato consilio, sententiis variatum. Nec omnes Theodosii in Arrianos, qvamvis crudelitatis autores, Justiniani in Manichæos, qvamvis impietatis extremos, & in Samaritanos, asperitatem probaverunt. Priscillianistas verò, ab Hispaniâ se effundentes, capitis supplicio esse affectos, gravi censurâ animadvertebatur. Nec in eâdem Hispaniâ Isidorus, Hispalensium Archiepiscopus, Gundemari, Judæos ad fidem cogentis, zelo subscripsit. *Æmulationem qvidem*, inqvit, *habuit, at non secundum scientiam. Potestate enim compulit, qvos provocare fidei ratione oportuit.*

Isid. Chron. Erâ 65.

Judicium autoris.

Ego ob aliqvem in religione dissensum, viros vitæ aliàs honestæ, nec in admittendâ veritate agnitâ refractarios, nec sectam factiosè colligentes, gladio temerè non subjecerim. Conventicula, & publicum separatæ religionis exercitium, admittere; ex peculiari principum indultu, aut publicâ conventione, non à societatis naturâ manat. Apertam verò cultus omnis irrisionem, blasphemiam, pejerationem, qvæ à malitiâ animi, non ab errore mentis proveniunt, impunè non dimittenda censeo. Si enim Israëlitæ ob aram, à Rubenitis & Gaditis non malo animo exstructam, iram Dei in universum populum venturam metuebant: qvid non à neglectis in Deum convitiis extimescendum? Fundamenta præterea societatis humanæ, fide sublatâ, evertuntur. Dei autem metu & reverentiâ sublatâ, fidei exiguum loci superest. Non malè igitur ab antiqvis religio coagulum omnis societatis, sustentaculum legislationis,

Jos. 22.

Vis religionis.

propu-

propugnaculum potestatis, honestæ disciplinæ vinculum cognominata est. Nec malè veteres Romani omnia post religionem ponenda duxerunt: etiam in qvibus summæ majestatis conspici decus voluerunt. Qvanqvam in hac Romanorum religione scoriæ plus qvam argenti: minus tamen mali præ ærugine impietatem professâ habebat. Abrahamus vitæ suæ & pudicitiæ uxoris, in Ægypto peregrinatus, diffidebat: qvia nullum in ea regione Dei metum esse suspicabatur. Et Homerus hominibus feris, & in omnes injuriosis, non uno in loco opponit eos, οἷς νόος ἐστὶ θεουδής, *qvibus est mens Deum reverita.* Religionis igitur contemtus, tum ob insitam culpæ fœditatem, tum ob seqventem disciplinæ dissolutionem, à magistratu vindicandus. Nec ad omnes alieni cultus, & voluntariæ superstitionis lapsus, omninò connivendum. Maximè si qvis expressam Dei voluntatem, miraculis præsentibus toties confirmatam, cum gente Israëlitarum, cognoverit.

Val. M. l. 1. c. 1.

Gen. 20. v. 11.

CAPUT XXVI.

DE SEPULTURÆ IURE.

Cadavera sepelire, & sepulta non violare, divini & humani juris est.

NΌμον δαιμόνων id tragicus, id est deorum legem; sortis humanæ commercium, Tacitus; Naturæ jus Hebræorum cruditissimi, naturæ nomen pro receptâ gentium consvetudine capientes, appellant. Qvanqvam fœtum terrenum

Jus naturæ sepulturæ.

matri terræ reddi, & à conſpectu vivorum defuncta corpora removere, à naturâ præcipiente proficiſci videtur. Qvare ultra humanæ ſævitiæ modum crudeles habentur, qvi vetitâ cæſorum ſepulturâ, iram ne à mortuis qvidem abſtinere poſſunt.

Nullum cum victis certamen & æthere caſſis:

Æneid. 11. inqvit apud Maronem Æneas. & apud Home-
Iliad. η. rum magnanimo ſenſu alius heros:

Οὐ γάρ τις φειδὼ νεκύων κατατεθνειώτων,

Conceſſi vacuis nulla eſt jactura ſepulchri.

Ferus igitur & inhumanus Achilles Homericus, qvi ultionis voluptatem in lacerando Hectoris cæſi corpore qværebat. Qvare & indignationem **Iliad. ω.** ſuperorum movebat, & Jovi hunc verſum immanitatis exprobratorem extorſit:

Κωφὴν γὰρ δὴ γαῖαν ἀεικίζει μενεαίνων;

Nam furibundus humum laniat ſine mente jacentem.

Inſaniores Chriſtiani in Africâ, Donati factionem magis qvam hæreſin ſecuti, qvi diſſentientium à ſchiſmate corpora ad ſepulturam tradi ve-
Impietas. tabant. Impietatem hoc facinus gentiles vocabãt: qvo nomine pietatem inſignem profeſſi inſigni-
Loca ſepulturæ. entur? Ut autem in honoratioribus locis qvis humetur, non æqvè vel neceſſitatis vel gentium juris eſt: dummodò loca ſuppliciis aut ſordibus
Cic. fam. lib IV. epiſt. XII. infamia vitentur. Ita Sulpicius Marcellum ſepulturus, ab Athenienſibus locum ſepulturæ intra urbem ut darent, impetrare non potuit. In ſacris Chriſtianorum comitiis, templis & cœmiteriis, defunctos humare, qvia longo ſeculorum uſu receptum eſt, ſine ignominiæ notâ excluſi non repellun-

pelluntur. Non tamen tanti res apud virum sapientem est, ut ob sperandum sepulturæ locum veritatis naufragium faciat.

Addi sepulcretis virorum honestorum monumenta, cum nominis & vitæ anteactæ inscriptione, solent. Præ cæteris nationibus Græci & Romani, nec non Chaldæi & Ægyptii, mortuis religiosa jura tribuerunt. Nec segnes in justis faciendis Christiani, vel in oppressione sumtuosi. Nec lamenta & ejulatus, qvamvis in spe resurrectionis, deerant. qvos Prudentius his versibus reprimere satagit: Epitaphia.

Qvid turba superstes inepta
Clangens ululamina misces?
Cur tam benè condita jura Καταπιεζόν.
Luctu dolor arguit amens? &c.

Sed ut ad rem propositam revertar: Vivos lacessentes prosternere, non cum mortuis ignominiosè luctari, virtutis est. *Ne hostes qvidem sepultura invident*, nonnemo apud Tacitum proclamat. Multumq; Hannibali immanitatis famæ detraxit, qvod acerrimum hostem Marcellum, à qvo primo vinci didicerat, ad sepulturam ultrò qvæsivit. Pii igitur Athenienses, & casuum humanorum memores, qvi injustos Græciæ invasores, & urbi suæ infensissimos, Medos à se cæsos terræ mandarunt. Impius Creon, qvi Argivos, justo bello Polynici auxiliatos, condi vetuerat. In qvo qvidem homine verum fuit illud Ciceronis dictum: *eos qvi antè commodis fuerunt moribus, imperio, potestate, prosperis rebus immutari.* Nam nihil Creonte, sub Oedipo serviente, pacatius: nihil eodem, ad imperium evecto, importunius. Qvare Hostium sepultura. Annal. l. 1. in Lalio.

& pœnas acerbitatis, tracto in se Atheniensium bello, qvo prœliando occubuit, luebat.

QVÆSTIO I.

Num & facinorosi, qvi capitis damnantur, sepulturæ tradendi?

Facinorosorum.

Tacit. Annal. 1.

Si plenum suppliciorum fructum spectemus, videtur ad deterrenda facinora utile, corpora inhumata abjicere. Qvod Drusus in Vibuleno & Percennio, gravissimæ seditionis autoribus, fecisse memoratur. Sed leges Romanæ & Græcanicæ, humaniorem in partem inclinantes, cognatis, imò qvibusvis petentibus, corpora supplicio affectorum ad sepulturam non denegant. Nostris moribus, ut & olim apud Germanos, discrimen à facinoris diversitate. Hebræorum Respublica, Deo autore humanitatem edocta, Romanis & Græcis accessit: vel potiùs miti exemplo Græcis & Romanis præluxit. Nam qvod Deus ademtionem sepulcri qvibusdam comminatur, hominum sævitiæ leges non præscribit, sed jure suo humanis altiori utitur. Nonnulla tamen facinora, ut humanum peccandi morem egressa, ab hac humandi benignitate Romani, Græci, Hebræi variè exceperunt. Nam & eos, qvi sibi manus violentas inferunt, & proditores, & sacrilegos ab hoc sepulturæ honore prohibebãt. Qvo fortassis è fonte David Goliathi corpus avibus & feris, uti minatus fuerat, pascendum abjecit; caput trunco avulsum ostentui servavit. Majus enim sacrilegium est, Deum cõvitiis proscindere, qvam auro & argento templa spoliare.

Cum exceptione.

Medii

Medii inter exeqviarum honorem, & abjectionis ignominiam, generis est corporum ad sectionem, medendi vivis gratiâ, traditio. Qvanqvam Lugduni Batavorum, Anatomiæ in fabricâ, tabula, qva qvis ejusmodi sepulturam exoptat, conspicitur. Anatomia.

QVÆSTIO II.

Num sibi vitam adimere tam horrendum sit facinus, ut & Deum avertat, & apud homines infamet?

Pessimi moris eum esse, qvi erga se ipsum & erga amicos neqvitiâ utitur, Moralium præceptor pronunciat. Rationem tamen pœnæ à publico conseqventis, qvam sub finem libri adducit, minimè sufficientem reperio. *Civitas*, inqvit, ***punit:*** *& qvædam infamiæ pœna eum sectatur, qvi se ipsum interemit, ut qvi civitatem injuriâ affecerit.* Qvid si enim homo civitati inutilis, qvid si damnosus civitati, qvem interire omnium bonorum interesset, se interfecerit: qvid hinc incommodi, qvid damni vel injuriæ ad civitatem redundabit? Ex animi motibus, & causis ad sui cædem impellentibus, ego nodum incîdo. Si qvis in tantum à naturâ & à Deo defecit, ut opera Dei, & in iis ipsum se, qvasi in contumeliam opificis, exosum habuerit; omnem neqvitiæ numerum explevit. Proximus est vitio, qvi scelerum conscientiâ exagitatus, vitam anteactorum obgannitricem tædio abrumpit. Tertio in mali seminis horto eos pono, qvi metu *Arist. Nicom. V.* Autochiria.

gravioris supplicii, aut dolore corporis urgente, vel vitæ tristioris acerbitate permoti, ad laqveum aut ad pugionem confugiunt. Pœnè innocentium loco mihi sunt, qvi atrâ bili perciti, sibi vim inferendo qvid agant nesciunt. Qvi verò fortiter dimicando pro patriâ se devovent, qvi dum hostem propulsent in ipsam mortem ruunt, ignominiæ maculâ commaculandi non videntur. Non enim vel animi mollitie, ut qvi dolorem ferre non possunt, vel probri antegressi exprobrante pudore, vel odio vitæ suæ, sed hosti nocendi studio, ad facinus magnanimum incitantur. Nec spem omnem vitæ servandæ abrumpunt: cum navi subjecto pulvere ignivomo incensâ, non paucos impetus in maris sinum, ad proximas naves enataturos, deposuerit.

vel Qvasi.

Simsonem autem, Christi hoc ipso facto typum, & in fidelium catalogo splendentem, spei abjectæ maculâ aspergere, inconsideratè nimis consideratorum est. Simson ad stragem inimicorum populi Dei, & ipsa Dei destinatione, & voto suo ferebatur. Nec major stragis inferendæ occasio qværenda fuit, primoribus cum fæce populi unum in locum congregatis. Nec ipse jam vivere, nisi ad ludibrium suum & patriæ dedecus, nec patriæ laboranti alio modo prodesse poterat. Nec tamen mortem suam, & vitæ minimè blandientis abruptionem, sed ultionem ab hostibus, sed hostium interitum captabat. Nec nisi invocato precibus Deo, qvem Deum suum vocabat, (qvod non est desperantium & à Deo ac naturâ deficientium) ad opus in omne ævum commemorandum se accinxit. Nec populares eum, ut parricidam sui, contu-

Hebr. 11.

Judic. 16.

contumeliosè reliqverunt: sed cum discrimine ex hostili ablatum, honestâ sepulturâ sunt dignati. Hæc pro Samsone, excusatione non indigente: de Saule enim & de Razi purgandis non multum laboro. In Christianâ historiâ, qvi mortem sibi intulerunt, ne tormentis adacti Christum redemtorem abnegarent, vel ne de pudicitiâ amittendâ laborarent: Theologiæ doctores patronos vel censores expectent. Textura enim ea filum orationis meæ, qvod est de jure publico & armorum, egreditur.

Caput XXVII.

De poena.

De causâ belli principe, adjuvante, impellente hactenus: causa alliciens (ita scopum armis propositũ voco) seqvitur.

Omnibus hominum non dementium actionibus finis aliqvis, in qvem tendant, propositus est, qvantò magis publico consilio susceptarum: & qvæ armis commotis ruinam gentium vel salutem contingunt. Nihil hic temerè, nihil non deliberatè agendum. Temerè enim in acie versari, & manu cum hoste confligere, immane qviddam & beluarum simile est. Qvanqvam ne beluæ qvidem eò dementiæ rapiuntur, ut instructâ acie in partes discedentes, mutuum in exitium concurrant. Homini autem, ratione armato, in simile genus qvâvis ex causâ sævire satis est. qvod maximoperè hominem ex homine non

Scopus armorum.

Cic. offic. 1.

exuentibus cavendum: &, si bellum vitari non possit, saltem meta, ut bono sagittario, figenda.

Est aliqvid qvò tendis, & in qvod dirigis arcum?
An passim seqveris corvos testâq; lutoqve,
Securus qvò pes ferat, atq; ex tempore vivis?

Sat. 3. etiam hic à Persio monemur. Non enim tantùm in diem vivendum non est: sed ita vivendum, belli maximè actionibus, ut susceptarum rerum ratio probabilis reddi qveat.

Scopus armis propositus, est vel à necessitate extortus, vel præter necessitatem à jure naturæ concessus.

Fines ab hominum cupiditate armis præfixos, non à naturâ magistrâ præscriptos, à belli susceptione principio operis removi. Pauca etiamnum

3 Gloria. de gloriæ cupiditate, magnos animos ad temerè confligendum alliciente, dicenda. Ardor enim multos, non causa, non justum propositum, in bellum protrudit.

Et dubitamus adhuc virtutem extendere factis?

Æneid. 6. masculus poëtæ versus in auribus eorum sonat. qvasi virtus ulla esse possit justitiæ inimica: aut justitia in inferendâ, non propulsandâ, injuriâ versetur. *Non in inferendâ, sed in depellendâ injuriâ lex virtutis est:* inqvit alicubi Ambrosius. Clari nobis bello Punico Marcellus, Nero, Scipio: detestabilis, qvi bellum contra fœdus intulit, Hannibal. Nec Pyrrhum tantum, qvamvis victoriâ moderatum, clade non fractum, qvantum oppositos

sitos

sitos ei Fabricium & Curium laudamus. Nel Miltiadis, Themistoclis, Cimonis res gestas Athenienses, qvam perpetuam Græciæ tranqvillitatem, maluissent. Nam *in tranqvillo tempestatem adversam optare, dementis est: subvenire autem tempestati qvâvis ratione, sapientis: eoq; magis, si plus adipiscare re explicatâ boni, qvam addubitatâ mali.* Qvod contra Pyrgopolynicen Plauti, & contra gloriosum Militem Terentii, notandum. *Cic. offic. lib. 1.*

Scopus à necessitate extortus, est pacis turbatæ reductio.

Bella enim suscipienda sunt, *ut sine injuriâ in pace vivatur.* Sine injuriâ, inqvam: nam pactio pacis, qvæ lex sit servitutis, aut qvæ blandiente pacis nomine, vitæ nostræ insidietur, displicet. *Paci, qvæ nihil habitura sit insidiarum, semper est consulendum:* pax libertati insidians forti viro repudianda. Pace autem firmatâ, & hoste nihil minante, nihil adversi struente, ab armis abstinendum. *Non enim pax qværitur, ut bellum excitetur: sed bellum geritur, ut pax acqviratur.* Bella enim viris bonis *non cupiditate aut crudelitate, sed pacis studio geruntur, ut mali coërceantur, & boni subleventur.* Atq; hæc est causa belli justissima, armis à necessitate porrectis, ab ipsa matre rerum naturâ imperata. *Cic. d. l.* *d. l.* *Augustin.* *idem.*

Scopus præter necessitatem naturæ jure concessus, est antegressæ injuriæ, pœnâ delicti infligendâ, ultio.

Vindicta. Ultionem, ut qvæ nonnisi ordine ab injuriâ differat, à viro sapiente Seneca removet. Tertulliano autem, hanc ipsam sententiam corrigenti, *Nulla in maleficio ordinis ratio est, nec locus secernit, qvod similitudo conjungit.* Augustinus, de modo ultionis per Mosen concessæ agens, injustorum hanc justitiam vocat: non qvia iniqva sit ultio, qvam lex statuit, sed qvia vitiosa libido ulciscendi. Qvanqvam autem à sapientis animi perfectione abest vindictæ cupiditas, nec ea intra ulciscendi modum semper se continet: non tamen omnis vindicta naturæ jure prohibetur; & improbis pœnam delictorum infligi, rectæ rationi consentit. Qvod gentium jura etiam ad voluntatem, subseqvente conatu exertam, extendunt. Τὸν γὰρ ἐχθρὸν ὐχ ὧν δρᾷ μόνον, ἀλλὰ καὶ τῆς διανοίας προαμύνεσθαι χρή. Hostem non ob facta tantum, sed etiam ob propositum, antevertendo coerçere oportet: inqvit Siculorum orator Athenagoras.

De patientiâ.

Thucyd. lib. VI.

Pœna qvid sit, & ob qvas causas civilibus in rebus infligatur, ad jus belli & pacis non pertinet. Qvia tamen Grotius, juris belli & pacis scriptor, hanc materiam accuratè pertractat; & qvia nonnulla hic sunt cum ultione armatâ communia: manum non planè ab iis retractabo. Quæ igitur suo more Grotius; nos in regulas & regularum explanationes, facilioris captûs gratiâ, dispescemus.

Pœnâ.

Pœna est damni vel doloris, ob malum perpetratum inflicti, perpessio.

Suppli-

Supplicium igitur, & omnis pœna, accidere nemini nisi nocenti potest. Nec igitur M. Regulus, qvem Carthaginienses resectis palpebris, illigatum in machinâ, vigilando necaverunt, supplicio videtur affectus. Nec M. Cicero, Clodianorum temporum impetu urbe ac Italiâ cedens, exilii pœnam sustinuit. *Fortunæ enim ista tela sunt, non culpæ: supplicium autem est pœna peccati.* Sed nec iis pœna infligitur, qvorum membra medici secant vel adurunt, vel qvi ob contagiosę labis impuritatem cedere castris vel urbe coguntur. Ubi enim delictum nullum antecessit, pœna non intelligitur.

Cic. in Pisonem.

idem d. l.

Pœna delicti æqvalitati respondeat.

Non igitur vel remissione emollienda severitas, vel acerbitate nimiâ exasperanda. Nec eadem pœna consilio vel conatui, qvæ consummato facinori, parvis qvæ magnis delictis commodanda. Non enim paritas delictorum, qvam Portucenses magistri fingunt, foro & rationi convenit. Quanqvam enim peccata non rerum eventu, sed vitiis hominum metienda sunt: tamen multum inter conatum & consummationem, inter erratum & atrocitatem delicti interest. Nec parum refert, simplici qvis, an promiscuâ se libidine effuderit; nobili domui, an fornici stuprum intulerit; furtum simplex, an sacrilegium commiserit; patrem, an vernam occiderit. Atq; in ipsa navi, paleæ an auri, evertendâ multum discriminis est. Plus enim istic peritiæ, plus & solicitudinis reqviritur. Quod autem rerum modum fingere non possumus, animorum tenere possumus: fori usui

Imparia peccata.

Cic. parad.

non derogat. Quod & ipsi Stoicam disciplinam professi fatentur: dum in vitâ, non qvæ cuiq; peccato pœna sit, sed qvantum cuiq; liceat, spectandum esse docent. Sed in eo tamen errant, qvod æqvo passu non licere exiguum transilire lineam, & procul ac securè ab eâ aberrare, arbitrantur.

ἀπροσωποληψία. Alterum qvod regulâ nostrâ expressimus, est ne ob idem delictũ alii leniùs, alii acerbiùs, qvi qvidem ejusdem sint sortis, puniantur: & *ne iisdem de causis alii plectantur, alii ne appellentur qvidem.* (Cic. offic. l. 1.) Ideò ad contractuum naturam pœnæ accedunt: non modò qvia delinqventes in pœnam consensisse videntur: sed qvia commutativa justitia (cum limitatione tamen aliqvâ) istic inprimis regnat. Illud verò minùs ferendum; insontes & nihil commeritos ad parem culpæ pœnam rapi. Minimè in laudem Homerici Jovis illud refertur: (iliad. ο.)

Μάρψει δ' ἑξείης ὅς τ' αἴτιος, ὅτε καὶ οὐκί.

Sontes insontes ex ordine pœna prehendet.

Æqvius melius illud Minervæ, de Ægystho graviorem pœnam merito, facundè prolatum: (Odyss. α.)

Ὡς ἀπόλοιτο καὶ ἄλλος, ὅτις τοιαῦτά γε ῥέζοι,

Sic pereat, qvemcũq; reũ par culpa reprẽdit.

Pœnæ accommodatio. Ad pœnæ cum delicto convenientiam hoc etiam pertinet, ut noxiæ pœna eodem in genere respondeat, & in suo qvisq; vitio plectatur: *vis capite, avaritia multâ, honoris cupiditas ignominiâ sanciatur.* (Cic. III. de legibus.) Furtum ergo, qvod species est avaritiæ, non capite, sed multâ pecuniariâ, & eâ deficiente, verberibus inflictis luendum. Qvod apud Atticos in more fuisse, versus hic Comici indicat: (Aristoph. Eccl.) Τῆς αἰκίας οἱ κλέπτοντες πόθεν ἐκτίσουσιν; *Pro verberatione unde qvi furantur multam expendent?* Qvid lex Mosaica,

qvid

qvid Justinianea de furti pœnâ sanciat, notum vel diobolariis esse potest. Sed qvia multos non tam avaritia, qvam desidia & laborum fuga, ad furta committenda impellit: non improvidè ii legislatores agunt, qvi ad latomias, ad triremes, aut alia in publico opera fures condemnant. Sic enim & pœna modum non excedit: & qvi laborem fugiunt, acriùs isto spectaculo à furãdo, qvam mortis metu injecto, absterrentur. In repetundis, in peculatu, in residuis, & inprimis in vini & aliarum mercium vitiatione, illud oratoris locum habeat: *Ea sunt animadvertenda peccata maximè, qvæ difficillimè præcaventur.* Furti pœna. *Cic. pro Roscio Amerino.*

Pœna non plectentis libidini, sed publicæ utilitati serviat.

Qvi fruitur pœnâ, ferus est, legumq; videtur
Vindictam præstare sibi: eleganter Claudianus, De Conf. Mallii Theodori. Qvo versu non tantum sæva Phalaridis alicujus aut Busiridis oblectatio, sed etiam iræ exsaturatio vetatur. Lenitas punientis.

—— —— *Diis proximus ille est,*
Qvem ratio, non ira movet.

Qvod contra pulpitarios declamatores observandum; qvi irascendum esse parentibus, aut in officio publico positis, affectui suo indulgentes, disserunt. Rectiùs à sedatâ compositæ rationis statione, qvam à turbato iræ commotæ salo, officii expeditionem impetres.

Pax majora decet: peragit tranqvilla potestas,
Qvod violenta neqvit, mandataq; fortiùs urget
Imperiosa qvies. Claud. d.l.

Ludibrium pœnæ. Turpe, excandeſcentiæ juſtitiæ executionem gratificari: turpiùs, oculis & oblectationi. Qvod & leges civiles vindicant: rectèq; Cato Cenſorius L. Flaminium, ob ſimile in pœnæ vindicatione commiſſum, ſenatu ejecit. Ille enim, cum eſſet conſul in Galliâ, exoratus in convivio à ſcorto eſt, ut ſecuri feriret aliqvem eorum, qvi in vinculis eſſent damnati rei capitalis. Probari non potuit viro gravi, ut nec Flacco collegæ ejus, *tam perdita libido, qvæ cum probro privato conjungeret imperii dedecus.*

Cic. de Senect.

Limites pœnarum. Antiqva circumfertur, & paſſim moribus noſtris recepta, finium puniendi diſtinctio. Aut enim delinqventis in uſum, aut ejus qvi læſus eſt causâ, aut reliqvorum civium, pœna imponitur. Delinqventem vel levior correctio emendat, vel gravior vindicta, adimendo vitæ uſu, peccandi facultate dejicit. *Ingeniis* enim *talibus vitæ exitus remedium eſt: optimumq; eſt obire ei, qvi ad ſe nunqvam rediturus eſt:* uti de tyrannorum exitu præceptor Seneca. Læſum vel exiſtimatio vindicata reſtituit, vel vindicta ſolatur. Seneca qvidem judice *inhumanum verbum eſt, & qvidem pro juſto receptum, Ultio, & à contumeliâ non differt niſi ordine.* Stimulum tamen naturæ, ad juſtam ultionem impellentis, niſi in hominibus perfectè ſapientibus non omninò extinxeris. Nec Deus omnem vindictam abolet: ſed facultate ejus læſis ademtâ, partim ſuperioribus poteſtatibus, partim ſibi eam reſervat, Rom. 12. v. 19. c. 13. v. 4. Bella verò in ultionem contumeliæ illatæ ſuſcipi poſſe, David exemplo, Deus præcepto edocet. 2. Sam. 10. & 11. 1. Sam. 15. Exod. 17. v. 14. Cæteros homines, qvi nec læſorum

De Benef. lib. VII.

Ultor.

nec

nec lædentium in numero, exemplum à malis facinoribus absterret, ad vitam honestè agendam erigit. Et hujus maximè intuitu, ad irrogandam sontibus veniam parciores esse debemus. Nam, ut & leges civiles monent, vitia ad posteros transmittit, qvi præsentibus culpis ignoscit. invitat culpam, qvi peccatum præterit. improbitas felix, optimorum calamitas est. & si qva alia sunt in eum sensum. Nec tamen ita ferrum in facinorosorum pœnam distringendum censeo, ut omnis clementiæ aditus præcludatur. qvod seqventi præcepto monebitur. **Exemplum.**

Absit à judicando virulentia, à castigando sævitia.

Primum clementiæ munus est; qvam plurimis, qvod salvâ justitiâ fieri possit, velle parcere. **Clementia.**

Multa metu pœnæ, pœnâ qvi pauca coercet,
Et jacit invitâ fulmina rara manu.

Ovid. lib. 1. De Ponto.

Proximum est, ut ubi necessitas condemnandi evitari non potest, leni vultu & tranqvillo sermone nigrum calculum feramus. *Animadversio & castigatio contumeliâ vacare debet: neq; ad ejus qvi punit aliqvem, aut verbis castigat, sed ad reip. utilitatem referri.* Huic affine est, ut qvantum fieri potest, metu pœnæ omnibus injecto, pœna ad paucos perveniat. Si qvem insidiæ domesticæ circumsistunt: in suâ vitâ conservandâ primum regnare discat; utatur jure Regio: pœnâ afficiat qvos necesse est: reliqvos metu liberet. Atq; hic inprimis clementia locum habet; in nostrâ nimirum inju- *Cic. offic. 1.* *Ep. fam. l. XV.*

riâ, non in alienâ, condonandâ. Nam si qvis regni munimentum animadvertendi assiduitate qværit: *freqvens vindicta paucorum odium reprimit, omnium irritat.* Nec sangvinem eliciamus, ubi mitiori pœnâ defungi possumus. *Externi isti mores usq; ad sangvinem incitare solent odium aut levium Græcorum, aut immanium barbarorum.* Romana gravitas & animadvertere cum modo, & parcere salvâ autoritate novit.

Seneca de Clem l.1.

Cic. pro Ligario.

Non omnia hominum vitia pœnæ humanæ subjacent.

Foro humano exemta.

1. Non vitiosæ animi inclinationes: etiam in subitos affectus erumpentes. 2. Non cogitatio sceleris aliqva suscipiendi: conatu comite destituta. Cogitationis enim pœnam neminem subire, & gentium & Romanæ leges volunt. 3. Qvæ vitari non possunt humanæ infirmitates. Neminem enim pœna exciperet, si omnia ad vivum resecaremus. 4. Qvæ nec societatem humanam dirimunt, nec hominem qvenqvam lædunt. Qvæ enim sunt ejusmodi, Deo judicanda relinqvuntur: qvi & ad ea noscenda est sapientissimus, & ad expendenda æqvissimus, & ad vindicanda potentissimus: ut verbis viri eruditi utar. 5. Officii à legibus humanis non exacti omissio. Huc refer Senecæ ingeniosè dictum: *Qvis est iste, qvi se profitetur omnibus legibus innocentem? Ut hoc ita sit, qvam angusta innocentia est, ad legem bonum esse? Qvantò latiùs officiorum patet qvam juris regula? Qvam multa pietas, humanitas, liberalitas, justitia, fides exigit? Qvæ omnia extra publicas tabulas sunt.* Nullæ enim leges viam comiter non monstratam, salutationem omis-

De Irâ, l.2.

Humanitatis officia.

omiſſam, mendico benignam manum non porrectam, & alia ejus generis puniunt. Internam enim animorum perfectionem ut conferre leges non poſſunt, ita nec deficientem vindicare. *Metus legum non ſcelera comprimebat, ſed licentiam ſubmovebat. Poterant enim leges delicta punire, conſcientiam munire non poterant.* Lactantius, De Opificio Dei. 6. Beneficii gratia non relata, vel habita. Gratia enim non eſſet, nec laudem mereretur, ſi à lege & pœnâ neceſſitas imponeretur.

Sunt tamen qvæ hic excipiuntur. & qvidem à primâ impunitorum claſſe, ſi qvis ipſe ſibi vitioſæ naturæ vel conſvetudinis autor: qvo ſi non pœnam, reprehenſionem ſaltem meretur. à ſecunda, læſæ majeſtatis crimen cogitatum, ſi aliqvo indicio erumpat. à qvarta, manifeſta in Deum impietas. à ſexta, inſignis beneficii obliteratio: ut eſt liberti in patronum ingrati. &c. Reſtrictio.

Peccati commiſſi circumſtantiæ pœnam exaſperant vel remittunt.

Prima, & maximæ conſiderationis, circumſtantia eſt in perſona delinqvente, vel in perſonâ læſâ. Secundum enim qvalitatem perſonarum, ait nonnemo, pœnæ ex proportione geometricâ attemperantur. Primò igitur vitæ anteactæ ſanctimonia & integritas ad pœnæ mitigationem facit. Non enim pari in culpâ cenſendi ſunt, qvi vitam in ſcelerum volutabro tranſegerunt, & qvi repentino aliqvo errore mentis auferuntur. Deinde nobilitas, & functionis dignitas, pœnam Perſona delinqventis.

augent vel mitigant. Augent in his, qvæ dignitatem ipſam dedecorant, vel qvæ majeſtatem ſuperiorem fovendam reſpiciunt. Cui enim plura ſunt commiſſa, ab eo plura veteri proverbio exiguntur. In cæteris, qvi ſunt in altiori honorum gradu conſtituti, plebejis mitiùs puniuntur. niſi pœna ſit pecuniaria: cui ferendæ ob divitiarum amplitudinem creduntur. 3. Benè de rep. meriti, aut inſignes artifices; indulgentiam aliqvando merentur. In iis locum illud L. Flori habere poterit: Lib. 1. *Citavere leges nefas: ſed abſtulit virtus parricidam, & facinus intra gloriam fuit.*

Contrà ruſticitas, & non affectata legum ignorantia, nec non ſexus vel ætatis infirmitas, pœnam interdum aufert vel temperat. His accenſe multorum tenerâ in ætate liberorum parentes, fœminas gravidas, vel in puerperio decumbentes. &c. Nationum etiam genius, & vel naturâ inſita corruptela, vel longâ conſuetudine radicata, aliqvantulum ad excuſationem adferunt. Lib. 2. Nationum mores. Τὰ μὲν φύσει ἐστὶν ἐπιχώριά τινα, τὰ δὲ ἔθει καὶ ἀσκήσει: inqvit Strabo. Hac ex argumentandi ſede Rhodii, qvi contumeliæ ſpecie Romanos offenderant, defenſionem civium ſuorum movent. Liv. l. 45. *Tam civitatum qvam ſingulorum hominum mores ſunt: gentes qvoq; aliæ iracundæ, aliæ audaces, qvædam timidæ: in vinum, in Venerem proniores aliæ ſunt.* His fundamenti loco generatim poſitis, ad cauſam ſuam accedentes, inferunt: totam Aſiæ regionem inaniora párere ingenia, & Rhodiorum tumidiorem ſermonem eſſe. Hinc jam in locum communem, de contemnendâ verborum ſuperbia, deſcendunt: *Superbiam, verborum præſertim, iracundi oderunt, prudentes irrident.* Præte-

reâ in puniendâ universitate considerandum, publicè an singulorum instinctu contumelia illata sit. qvod in animum Romanis vocandum esse, Rhodii iidem svadent: *Duorum hominum noxa civitatis accessionem facitis.* Deniq; communis hominum, ad peccandum proclivium, infirmitas, aliqvid opis ad impetrãdam veniam conferat. Nam si brutorum, ut non deliberatâ ratione lædẽtium, injurias in animum non advocamus: hominem esse, ad hominem sibi placandũ, nocebit? *Nullum animal morosius est, nullum majore arte tractandum, quam homo: nulli magis parcendum.*

Singulorum delicta.

Homo labilis.

Seneca de Clem. l. 1.

Multum etiam ad ignoscendum interest, qvos nam verbo vel facto læseris. Alio enim modo salutatoribus, deductoribus, assectatoribus; alio amicis ex causa cognationis, sodalitatis, aut alicujus necessitudinis; alio communi hominum generi obligamur. Major in parentem, præceptorem, magistratum, qvam in rusticanum aut vilem hominem, contumelia. atqve ex eo pœnarum gradus.

Persona læsi.

Loco delicta, & cum iis pœnæ, gravantur. ut si in publico, in theatro, in loco sacro, in suo aliqvem domicilio, verberaveris, vulneraveris. Si cum Catilinâ viros dignitate conspicuos, & populi faventis beneficio usos, ut M. Marium, inspectante populo virgis cecideris, ad bustum egeris, omni cruciatu vivum laceraveris. Si, temporum Sullanorum nefariâ messe, idem Catilina parentum propè in gremiis prætextatos liberos constupraverit. Majori etiam pœnâ digni censentur, in Africâ messium incensores, in Ægypto aggerum ruptores, in Scythiæ solitudine pecorum abacto-

Locus.

Q. Cicero de petit. consulatus.

res. Nonnunqvam contrà delictum clandestinum palàm commisso, ut cum fraude & scientiâ cōjunctum, graviùs punitur: qvod judicum prudentiæ expendendum relinqvitur.

Tempus. TEMPORE, opportuno vel importuno, commissa maleficium exaggerant vel minuunt. Festa profestis, nocturna tempora diurnis, sanctiora habentur: & qvæ sunt generis ejusdem. Sæpiùs commissum, eo qvod semel perpetratum est, propter consvetudinem delinqvendi, atrociori pœnâ vindicatur.

Instrumentum. Qvo genere armorum, qvibus insidiis, qvo comitatu, qvâ causæ impellentis levitate qvis nocuerit, etiam ad causam dijudicandam multum momenti adducit. Qvæ omnia præceptis ægrè comprehendenda, multum arbitrio prudentis judicis permittunt.

Pœna talionis ad amussim æqvitatis naturalis per omnia non qvadrat.

Illud in lege Mosaica, *Oculum pro oculo*, de læsione præter voluntatem rixantium, intervenientis mulieris, alio autem loco de falso teste, intelligitur. Rhadamantéum autem & Pythagoréum

Talio. ἀντιπεπονθὸς, nisi de exæqvatione pœnæ ad delicti magnitudinem accipias, in æqvitate rebus convenientenon versatur. Primò enim sunt qvædam naturâ talia, ut ἀντιπάθειαν facti non admittant. Ut si qvis uxorem alterius adulterasset, uxorem suam, aut corpus ipse suum prostituere non cogetur. 2. Justum non est, ut par sit dolor innocentis

& no-

& nocentis. 3. Ea qvæ deliberatè fiunt, ab iis qvæ repentino aliqvo motu contingunt, omninò distingvenda sunt. 4. Auferetur omne discrimen dignitatis personarum, & qvas adduximus anteà circumstantiarum. Non igitur Rhadamanthus ab inferis, nisi justâ cum sensus interpretatione, revocandus.

Pœnæ præpostera condonatio pœnam in autorem indulgentiæ convertit.

Ob injuriam supplicio non vindicatam, Philippus Macedo à Pausaniâ; ob similem causam Tatius à Laurentibus, ipsum inter sacrificandi actum, immolatus est. Ob violentam concubinæ Leviticæ constuprationem non vindicatam, nec autores ad pœnam deditos, tribus Benjaminitica atroci bello petita, propè ad internecionem interiit. Pari enim in culpâ censentur, qvi inferunt, & qvi defendunt injuriam. Qvi verò graves neqvitiarum se vindices præbent, etiamsi cæteris in rebus à justitiâ desciverint, istic justitiæ laudem adipiscuntur. De Busiride & Phalaride, sævissimis hominibus, exqvisitissimæ tamen sævitiæ repertores punientibus, Ovidius:

Scelus non vindicatum.

Judic. 20.

Tyrannorum justitia.

De Arte amandi, lib. 1.

Justus uterq; fuit: neq; enim lex æqvior ulla est,
Qvam necis artifices arte perire suâ.

Sic Cambysen, regem Persarum furiosissimum, ob rem malè judicatam judici exemplares pœnas inferentem, justitiæ pleriq; admirantur. Pelle enim, iniqvo judici detractâ, judicialem cathedram amicivit. qvod spectaculum re & tempore

funeſtum, genere & exemplo ſalubre fuit. Non enim nimis vel in gratificando jure, vel in donandâ pœnâ, liberi eſſe debemus. Pœnæ ſe conſortem ſubſtituit, qvi alienas injurias aut reip. dedecus judex conſtitutus, pœnam meritam noxiis remittendo, largitur. Non enim iis tantum rebus, qvæ vulgi cenſurâ notantur, factum nefarium jubendo, conſenſum ſceleribus adhibendo, ſcelus adjuvando aut receptum præſtando, conſilio dando vel aſſentatione laudando, pœnam communicamus. Etiam non vetando cum poſſis, opem oppreſſis non ferendo, factum iniqvum reticendo, & ſupra omnia injuſtum facinus abſolvendo, fit culpæ communicatio. Stultè igitur Teuca, Illyriorum regina, non à ſe mare ſuperum, ſed à ſubditis, piraticâ infeſtum teneri, ſe excuſavit. nec à Romanis excuſatio recepta. Qvanqvam & Eliſabetha, non erubeſcenda Anglorum regina, ad incurſationem proximi maris connivendo, vel prædæ communionem, vel ſubditorum gratiam captavit. Qvod ſi oraculi vicem obtinet illud Heſiodi:

Pœnæ conſortium. *Teuca Illyriorum.* *Anglorum.*

Πολλάκι καὶ ξύμπασα πόλις κακοῦ ἀνδρὸς ἀπαυρεῖ,
Sæpè vel unius pendit res publica culpam;

non vetando nimirum, qvam poterat, nec puniendo unius injuriam: qvantò minùs effuſa univerſorum indulgentia ſine criminis luendi contagione abibit?

Delicta majorum immeritus lues Britanne: noſtro ævo armis infauſtis exercitata Anglia cecinerit.

Meſſenii.

Meſſenios bellum Spartanorum crudele & diuturnum excepiſſe, ob homicidii qvendam

reum non deditum; Lacedæmonios ab Achæis fœderis violati accusatos, nisi eos qvi Lanvicum oppugnaverant dederent; & similia istis passim historiæ loqvuntur. Spartani.

Asyla non sint impunitatis scelerum perfugia.

Sed aut injustam vim à supplicibus avertant, aut causæ liberè cognoscendę spatium largiantur. Ex animo resipiscentes in gremium suum ecclesia recipiat: non publicæ fidei effractores, contra leges & principatus, defendat. Plura de asylis in Aulâ Tiberianâ reperies. Ecclesiæ jus.

Ablata non restituentem pœna autoribus inflicta non absolvit.

Non enim initium tantum, sed & continuatio, alieni ablationis & detentionis in vitio est. Cadmæam Thebanorum arcem, & libertatis eorum servandæ vel premendæ obicem, audax aliqvis à Spartâ homo, pacis & fœderis arctioris tempore, interceperat. Sociæ civitatis qverelis hoc Spartani dederunt, ut fœdifragii autorem supplicio afficerent. Cadmæam Thebanis non reddiderunt: sed acriori præsidio vallatam, in servitutem urbis obverterunt. Stultâ calliditate bis injusti: fidei prævaricatione in sociam civitatem; ingrato animo in tanti προπεγήματ© patriæ repertorem. Cui parcere debebant, si factum non displiceret: aut si ab eo abhorrerent, in facti participationem non venire. Non tamen impunè tan- Spartanorum justitia.

tam in perfidiâ verſutiam tulerunt: arce Athenienſium ſecreto auxilio receptâ, Thebanis in ultionem inflammatis, ſtatu Spartæ in eum diem vigentis concuſſo.

Regum propinqviorum.

Sunt tamen aut olim fuere Principes, qvi factum illud Spartanorum imitentur: ſed in privatos & nullius potentiæ homines impuniùs. Anno poſt Chriſtum exhibitum 1487 qvidam è milite mercator, è mercatore pirata, duas cum mercibus naves Rigenſibus ereptas, Hafniam Daniæ ut in tutam ſtationem perduxit. *Ille ultore gladio ut pirata cæſus, luit ſupplicium: mercatores autem nihil ſe qveruntur accepiſſe, qvamvis inſtantiſſimè poſtularent, miſſis ad hoc nunciis. Incertum ſi jure regni res furtivæ cadant in commiſſum.* Pluribus exemplis uti non libet: præſertim cum plures diſcant, qvemadmodum hæc fiant, qvam qvomodo illis reſiſtatur.

Cranz. Vandal. l. XIV.

Pœna niſi nocentes non corripiat.

Id ægrè in bello gerendo, promiſcuo in omnes furore, dicrimen obſervari poteſt. Sed pacatis in rebus, aut bello ad optatum finem perducto, ii qvi aliorum ſententiis victi ſunt, in pœnâ infligendâ ab univerſo corpore ſecernantur. Niſi pœna ſit ejuſmodi, qvæ univerſitati ut univerſitati inferatur. Ut, ſi libertatem civitas amittat; ſi muri, naves, arma, navalia adimantur. Dolor enim ejuſmodi in rebus ad omnes, patriæ ſuæ amantes, pertingit. Ac ne poſteritas qvidem, delicti majorum ignara, omni pœnæ olim inflictæ ſenſu eximitur. Ut verò longo poſt ævo ad culpam majorum trahantur, non videtur cum juſtitiâ humanâ

Pœna coërcita.

conve-

convenire. Aliud in judicio absolutæ potentiæ Dei: apud qvem mille anni pro uno die vel momento sunt,& qvi serâ in peccantes vindictâ grassatur. Ineptè igitur Agathocles, Syracusanorum tyrannus, fabulosa Cyclopum & Læstrygonum damna in Ithacensibus, Ulyssis patriâ, ultum ivit. Nec speciosiori jure Alexander vel Persiç regnum invasit, vel Persepolim scorto gratificatus incendit. Nam qvi cum Dario Græciam invaserant, qvi cum Xerxe Athenas incenderant, & pœnam præsenti clade tulerant, & pace cum Græcis factâ dudum rebus humanis exemti erant. Pari armorum velamento Cronvellus Anglus Jamaicam regi Hispaniæ, nihil hostile in Anglos molienti, eripuit: qvod superiori seculo Hispana classis Angliam obruere tentasset. Ejusmodi justitiæ figmenta, causam belli qværenti, nunqvam deesse poterunt. Agathocleus prætextus.

Rectè igitur à viro erudito dictum est: Neminem delicti immunem ob delictum alienū puniri posse; eò qvod obligatio ad pœnam ex merito oritur; meritum autem est personale, qvippe ex voluntate ortum habens. Tyrannorum autem, aut majestatis damnatorum liberos occidere, ne in ultionem paternam succrescant; cautionis magis est & status rationis, qvam justitiæ decreti. Nec autoritate Arcadii & Honorii, hominum alieno nutui obtemperantium, movemur. Magis nos movet saniorum imperatorum sanctio: *Peccata igitur suos teneant autores: neq; ulterius progrediatur metus, qvam reperiatur delictum.* Majestatis crimen.

De peccatis in homines commissis ista accipimus: nam qvi se piaculo contumeliæ in Deum Piaculum.

obstrinxissent, eorum posteri opinione Græcorum, saltem qvoad execrationem, etiam qvodammodo tenebantur. Qvò censu etiam habebantur, qvi supplices & ad sacra confugientes morte illatâ violaverant. Peculiari enim in tutelâ Dei omnes & supplices, & miserabiles peregrini, esse ducebantur. Τὸ ἄγος, qvasi pollutionem & devotionem malè ominatam dicas, ipsi violatores & posteri eorum nominabantur. Hos, & inprimis perjuros & sacrilegos, ut bidental aliqvod, reliqvi cives fugerunt. Hos, nisi insignis in aliqvo posterorum virtus eniteret, civitatis etiam communione pellebant. Acriorem verò pœnam Deo, cui jus in vitam hominum plenissimum, committebant. Satis enim magnum injuriæ suę vindicem Deum, si ulcisci velit; vel clementem parentem, si culpæ ignoscere, arbitrabantur.

Deus Ultor. Pœna itaque delicti in Deum aut res divinas commissi, præter execrationem, in posteris Deo committitur. Pœna delicti in homines perpetrati ad hæredes non transit: nisi certis in casibus ademtione bonorum, in qvibus personam defuncti hæredes referunt, & honorum à patre descendentium privatione. Sed hæc aut jure communi decisa, aut locis & temporibus variantia, mei laboris non facio.

QVÆSTIO.

Utrum sceleris convictos impunè dimittendi potestatem supremus judex habeat?

Lactant. De Irâ Dei. c. 19. Judex peccatis veniam dare non potest, qvia voluntati servit alienæ: Deus autem potest, qvia est legis suæ ipse disceptator & judex: qvam cum

pone-

poneret, non utiq; ademit ſibi omnem poteſtatem, ſed habet ignoſcendi licentiam. Verba ſunt Lactantii; qvibus ſubſcribere, religio nulla prohibet. Juſtitiæ causâ, & juris unicuiq; tribuendi, reges olim inſtituti: à qvâ obliqvo gradu deflectunt, qvi ſontem criminis aut pœnæ meritæ absolvunt. Juſtitiæ enim non poſtremum munus eſt, præmia bonis factis, pœnam contrariis tribuere. Deinde flagitiis & ſceleribus orbis implebitur, ſi ſpes impunitatis vexillum petulantiæ eriget. Injuriam prætereà læſis facit, qvi illatam injuriam non vindicat. Paria enim ſunt, delicta committere, & non corrigendo permittere. Et, ſi iniqvus judex habetur, nec Deum nec homines reveritus, qvi viduarum cauſas à cognitione ſuâ repellit; qvantò iniqvior habendus, qvi auditas & cognitas injurias condonat? Non enim ſibi & ſuæ voluntati judex, ſed juſtitiæ & voluntati alienæ, eiq; integræ & incorruptæ, ſervit. Qvâ de causâ qvi manus principis hic non reſtrictas eſſe volunt, id ante largiendam veniam exigunt, ut offenſæ partis remiſſio judicis gratiam præcedat. Sed &, ne in officium regium peccari videatur, ut id populi voluntate efflagitatum ſit, aut in regni delatione conceſſum, reqvirunt. Inprimis verò ne id crebrò fiat, ad publicas nuptiarum regiarum, feſtorum dierum, aut laureatorum introituum ſolennitates condonationem ejuſmodi alligant. Sic qvidem hominum inſtitutis utcunq; ſatisfiet: ſed qvid juri, qvid voluntati divinæ fiet?

Mali non abſolvendi. *Luc. 18.* *Laxatio.*

Non hominibus, ſed Deo judicia celebrantur. 2. Chron. 19. v. 6. Ergo hominum in gratiam flecti aut remitti non debent. Incantatrices vitâ donare

Aſtrictio.

omninò prohibemur. Exod.22.v.19. Sic de cæde. Exod.21.v.12. Sic de adulterio, de parricidio. &c. Si qvis legem Mosaicam, & ejus abrogationem, intempestivè excipiat: ei legem Noacho & omnibus ejus posteris datam, lege Mosaicâ & antiqviorem & obligatione latiorem, regero. Qvicunque sangvinem hominis effuderit, sangvis ejus per homines fundetur. Gen.9.v.6. Ratio qvæ ibidem additur, de homine ad imaginem Dei creato, ut & ea, de pollutâ cædibus non vindicatis terrâ, Num.35.v.33. generalis est, nec ad politeiam Judaicam restringenda. Importuna igitur clementia, qvâ sontibus contra mandatum Dei parcitur, judici omni est amovenda. Nec hic supremos judices excipi, rex Galliarum Henricus IV. intellexit, qvi precibus qvorundam rogatus, ut pœnam reo condonaret: *Vestri*, inqvit, *gratiâ in me derivare infaustum crimen, cujus mihi ratio coram Deo aliqvando reddenda est, nolo.* Sic est: crimen luendum in se attrahunt, & se pro reo puniendos substituunt, qvi supplicio devotum dimittunt. Vide 1. Regum 20. v.42. 1. Sam.15.v.23. Reos igitur absolvere Principibus datur: sed eo qvo condemnare jure. Ut verò sine justâ causâ condemnare non licet; ita nec sine causâ juri probatâ absolvere. Non enim id in judicio agendum, ut gratia judicis in juris violationem, condonandi facilitas in justitiæ stuprationem convertatur. A jure enim autoritatem Principes, non vim suam à Principe jus accipit. nec aut severitatis nimiæ, aut rursus lenitatis gloria judicanti est affectanda: sed causa in judicium pertracta expendendâ; & jure de eâ, non voluntate, statuendum. Nec judicantium utilitas

Absolutio qvæ concessa.

in jure

in jure dicendo, sed disceptantium per æqvitatem diremtio qværenda. Et tamen qvid Principi utilius, qvam justitiâ solium stabiliri? qvod ab Hebræorum sapientissimo monetur. Qvid fructuosius, qvam justi judicis famam apud homines, conscientiam ad Deum habere? Qvod si clementiæ qvenqvam fama delectat; si à severitate animo refugit: injuriarum in se commissarum remissione, sine ullius reprehensione, largus esse poterit. Sic Adoniæ fratri delictum in se commissum Salomo, cum conditione tamen vitæ deinceps candidè agendæ, remisit. 1.Reg.1.v.52. Pari, & qvidem sine exceptione, indulgentiâ in Abiatharem, rebellionis in se consortem, usus est. cap.2.v.26. Sic Julius Cæsar iis, qvi contra se arma tulerant, indulsit. In cujus laudem Cicero: *Cum facilè exorari, Cæsar, tum semel exorari soles. nemo unqvam te placavit inimicus, qvi ullas resedisse in te simultatis reliqvias senserit.* Si judicium civile, si pœna pecuniaria & fisco applicanda fuerit: etiam cum avaritiæ suspicionis amolitione pœnam aliqvando remittet. Nostris enim in rebus faciles, in alienis largiundis astricti esse debemus. Spartano Adrianus laudatur: qvi *damnatorum bona in fiscum privatum redigi vetuit, omni summâ in ærario publico receptâ.* Qvantò laudatior, qvi bonis damnatorum in universum abstinet; qvi & civilem pecuniæ pœnam, qvod commodo reip. fieri poterit, remittit? Aliàs justitia foras spectat, & projecta tota est, atq; eminet. Hæc virtus præter cæteras totam se ad alienas utilitates porrigit, atq; explicat. Qvæ ex Aristotele mutuatus Cicero videtur. Non ergo sibi justitia, non appetitui judicis, sed

Clementia qvæ.

pro Dejotaro.

Cic. 2. de Rep.

alienæ utilitati consulit. Moderationem tamen qvandam populi præsertim liberi & suis legibus utentes, in administrandâ justitiâ desiderant. id
Cic. d. l. enim in moderatore reip. expetunt, ut *nec puniendo irritet animum immanem ac ferum, nec omnia prætermittendo, licentiâ cives deteriores reddat.* Vinculum enim incolumitatis justitia est; justitiæ conglutinatio moderata severitas. Namq; severitatis laudem non meretur, *qva sangvine alitur, atq; in omni crudelitate sic exsultat, ut vix hominum acerbis funeribus satietur.* Sic igitur justitiæ memores juris administratores esse debēt, ut non oculis pascendis, non immanitati justitiæ executionem tribuentes, ab humanitate degenerent.

Severitas qvæ. *ibidem.*

Absolutionis exempla.

Sic rationibus qvæstione & autoritatibus expeditâ, qvid in exemplis & usu seculorum momenti habeamus, investigemus.

I.

Romanâ in historiâ Horatii sororicidæ absolutio, sed exiguo laxandæ licentiæ adjumento, proponitur. 1. *Rex, ne ipse tam tristis ingratiqve ad vulgus judicii, ac secundum judicium supplicii, autor esset*: judicium à se ad populum devolvit. Ergo non esse sui judicii, absolutionem, non suæ potestatis Tullus, rex aliàs ferocis ac indomiti ingenii, agnovit. 2. Et tamen errore mentis & recti opinione, qvasi patriæ dignitatem sorori præferret, Horatius collapsus, hoc facinus in se admiserat. *Sic eat*, inqvit, *qvæcunq; Romana lugebit hostem.* 3. Hominem recentis in populum Romanum meriti; publicæ libertatis conservatorem, & imperii discrimine vitæ suæ amplificatorem, gladio subjicere durum videbatur. Igitur Romani beneficium ejus in remp. & heroicum animum intuiti,

Liv. l. 1.

absol-

absolverunt admiratione magis virtutis, qvam jure causæ. 4. Nemo qvi accusaret Horatium, nemo qvi de facto conqvereretur, aderat. Pater ipse jure cæsam filiam pronunciavit; & vitam generosi filii sibi à populo condonari precatus est. 5. Mereri præterea supplicium mulier visa est, qvæ mortem hostis publici deflevit, qvæ patriæ ruinam cum salute illius optavit. 6. Nec omni eum crimine absolverunt: pœnâ in mulctam, & in expiationis ignominiam, conversâ. Et aliàs apud Romanos cædis pœna non cædes, non ultimum supplicium, sed fuga indicta; apud Græcos antiqvitùs, præter fugam, humani consortii interdictio, donec expiarentur erat. Nec Deus ipse aliud à Caino, præter instabilem mentis & loci errationem, supplicium exegit. Parum igitur in tristi casu Horatii, pro absolvendi vagâ licentiâ, usurpatoribus ejusmodi potestatis præsidii. Pœna cædis.

Liberâ Romanorum republicâ Fabi, qvi magister eqvitum absente dictatore Papyrio cum Samnitibus contra mandatum pugnaverat, absolutio ante oculos versatur. Papyrius eum, vel disciplinæ castrensis rigore, vel invidiâ felicis contra hostem pugnæ, ad mortem omni conatu deposcebat. Stabat cum Fabio senatus majestas, favor popularis, tribunitium auxilium, memoria absentis exercitus. Papyrius imperii autoritatem, dictaturæ majestatem, cui etiam consules regia potestas pareant, prætoresq; iisdem auspiciis qvibus consules creati, & disciplinam rei militaris jactabat. Tandem consensu victus, maximè cum tribuni rem in preces subseqverentur, Fabium metu mortis absolvit. *Benè est*, inqvit: *noxæ da-* II. Liv. l. 8.

mnatus, donatur populo Romano, donatur tribunitiæ potestati, precarium non justum auxilium ferenti. Sed hæc actio cardinem qvæstionis non tangit: ut qvę civilis in delicti condonatione versetur. Pro facinoroso enim Fabius, qvi egregiè pugnando patriæ saluti & decori fuit, habendus non est. Et dictator præceptum de pugnâ per absentiam suam non committendâ, qvod arbitrio suo dederat, arbitrio suo tollere poterat.

III. Major à facto Davidis, Absolonem in fictâ fratricidæ personâ absolventis, moles incumbit. Cui amoliendæ, vel saltem emolliendæ, circumstantiæ jus absolutum variantes expendendæ veniunt. 1. Vidua, unici filii in gravi luctu mater, in theatrum producitur. 2. cædis non deliberatè commissæ, qvæ fortuitæ comparari poterat, vindicatio agebatur. 3. in pœnâ infelicis filii solamen unicum miseræ, & patris defuncti memoria, familiæque conservandæ igniculus, vertebatur. 4. Nocentem absolvendi culpam, regiæ sedi adhæsuram, supplex mulier in se & domum suam transferebat. 5. Fabulâ dramatis ad verum Absolonis casum circumductâ, rex Absoloni reditum, precibus Joabi, sed magis affectui suo & desiderio, gratificatus concedit. 6. Reduce in conspectum regis prodire vetito, pœna non omnis tollebatur. qvam ille sanè exilio graviorem, non mitigationem pœnæ, ducebat. 7. Tandem plenâ absolutione factâ, qvi revocatus ab exilio fuerat, beneficii autori soli vertendi autor fuit. Ut taceam, Joabum noxæ deprecatorem, factum segetis incendio luisse. Qvod ipsum non obscuro indicio fuerit, veniæ impertitionem culpâ non omni

2. Sam. 14.

cap. 15.

mni vacavisse. Nec desunt apud gentiles exempla eorum, qvi patroni aut culpæ largitores à suis clientibus interemti fuerũt. Nec frustrà à sapiente Davidis filio dictum est, qvi condemnat innocentem, & qvi absolvit nocentem, utrumq; Deo abominationi esse. Cicero à cliente interfectus.

Nullus ne igitur clementiæ, nullus lapsuum humanorum veniæ locus erit? Nónne Deum ipsum, erratorum non semper acerbum vindicem, benignitatis ideam habemus? *Perierat totus orbis, nisi iram finiret misericordia:* inqvit declamator. Objectio. Seneca, Controv. l. 4.

Si, qvoties peccant homines, sua fulmina mittat
Juppiter, exiguo tempore inanis erit.

inqvit in tristibus Ovidius.

Et nos lapsus à sceleribus, casum à deliberatè commissis, errorem à culpâ distinguimus. Exemplo autem Dei, in se peccata condonantis, reges in suâ injuriâ, non in alienâ, condonandâ faciles esse discant: nisi hæc ipsa injuria in majestatis conculcationem vergat: ibi enim publicam personam, non suam, reges ulciscuntur. Nec iram finire misericordia, sed ratio præcludere debebat. Non enim iræ nostræ in judiciis, non commiserationi, sed juri & saluti publicæ consulimus. In importunâ autem misericordiâ movendâ, barbarum regem audiamus: *At vobis ego autor sum, ne salutem vestram posteriorem unius hominis delicto habeatis, néve innoxii partem periculi in vos trahatis. me enim judice paria sunt, scelera admittere, & sceleris pœnam prohibere.* Ira enim Dei, malis facinoribus excandescentis, in totum cœtum, aut culpæ remittendæ autorem detonat. Solutio. Totilas apud Procopium, Goth. l. 3.

CAPUT XXVIII.
DE HOSTE.

Belli objectum est Hostis: qvîcum nobis belli commercia intercedunt.

NAturali qvidem jure hostis est, cum qvocunq; nobis vi & armis dimicãdum est. Sed gentium jure & civili hostis dicitur, qvem definitione expressimus. Qvi igitur rempublicam nullam habent, aut rempublicam à nobis non separatam, aut qvi bellum non indictum suscipiunt, atq; ita à belli commercio humaniori excluduntur: legitimorum hostium classe inferiores habentur. Hostem describit Cicero, qvi habeat rempublicam, curiam, ærarium, consensum & concordiam civium, rationem aliqvam, si res ita tulisset, pacis & fœderis. Igitur è sensu Ciceronis istinc excluduntur exules, cives perfugæ, & qvi patriç minantes bellum inferunt. Proximo iis loco habentur piratæ, latrones, & fugitivi servi. In qvos illud Romanorum de Gallis, humaniorem belli gerendi modum ignorantibus, qvadrabit: *In belluas stringimus ferrum; hauriendus aut dandus est sangvis.* Qvales sunt barbari omnes, qvi juris divini & humani ignari aut immemores, in omnem fine causâ sæviendi immanitatem se effundunt. Qvibus qvadam similitudine accedunt, qvi bellum nec indictum aut denuntiatum, nec rebus repetitis gerunt. Unde illa Pomponii descriptio: *Hostes sunt,* *qvi*

Hostis.

Philip. IV.

Pirata non est ex perduellium numero definitus, sed communis hostis omnium. *Cic. 3. de offic.*

Liv. l. VII.

qvi nobis, aut qvibus nos publicè bellum decernimus: cæteri latrones aut prædones sunt. Nec igitur captivitates, nec postliminium, in ejusmodi bellis non legitimè indictis valent. nec jus legationum, vel in recipiendis vel dimittendis legatis, sacrosanctum habetur. Nec induciæ solennes, nec triumphi de victis, nec cæteri juris effectus, qvos belli commercia vocamus, observantur. Illud verò Claudiani: Commercia. *In Eutropium. l.1.*

—— —— piratica Magnum
Erigit; illustrat servilis laurea Crassum?

de plausu civium ob depulsum periculum, non de laureato triumpho, accipiendum puto. Ut enim de civibus ob commiserationem, ita de servis & piratis ob indignationem non triumphabatur. De iis tamen, qvi bellum non indictum gesserunt, ut de Mithridate & aliis gloriâ insignioribus, non semel triumphatum.

Hostium loco & ii habentur, qvi hostibus nostris ut socii, & fœdere in nos conjuncti, auxilium tulerunt. In qvibus tamen bello separato persequendis, decretum senatus apud Romanos exspectandum erat. *Vellent juberéntne cum Antiocho rege, qvique sectam ejus secuti essent, bellum iniri:* habetur apud Livium. Qvi autem mercenariam militiam seqvuntur, aut qvi fœdus contra nos nominatim non ineunt, ut Helvetii & Rheti, Gallis aut Venetis auxilium ex pacto ferentes, extra aciem pro hostibus plerunque non habentur. Sed hæc ex temporum nutu, & victoris arbitrio ferè dependent. Nam hæc Julio Cæsari in Germanos & Britannos expeditionis causa placuit: qvod iis à gentibus Galliæ rebellanti suppetiæ subinde sperabantur. Affectæ. *Liv. l.36.*

DE JURE BELLI
LIBER SECUNDUS.
Qui est
DE BELLO GERENDO
ET
DEPONENDO.

CAPUT I.
DE BELLI INDICTIONE.

De belli susceptione hactenus: ad bellum gerendum ordo nos vocat.

Belli detestatio.

BEllum effusio scelerum, calamitatum humanarum mare, omnibus qvidem ad rationem viventibus ex animo detestandum. Præter stragem commiserandam hominum, ipso rumore belli, nedum ingruente tempestate, *pecora relinqvuntur, agricultura deseritur, mercatorum negotiatio conqviescit.* Inde sqvalor agrorũ, agricolarum fuga, & publica rerum omnium indigentia.

Cic. pro lege Manilia.

tia. Pauci,qvi amplo ſtipendio aut rapinis fruuntur,turbato ſtatu lætantur. Cæteris omnibus trepidatio,mœror,egeſtas,& mutua diffidentia. Nec illis ipſis, qvi calamitate publicâ paſcuntur, ſyncerum aut perpetuum gaudium. Trojani belli confector Ulyſſes, ad gentem Phæacum, in conviviis & choreis ætatem ſecurè agentem, delatus, revocatâ in memoriam malorum perpeſſione, rebus ſuis illacrymans, in hæc verba erumpit: Odyſſ. IX.

Οὐ γὰρ ἔγωγέ τι φημὶ τέλος χαριέστερον εἶναι,
Ἢ ὅταν εὐφροσύνη μὲν ἔχῃ κατὰ δῆμον ἅπαντα:

Judice me nō eſt æqvè ſcopus alter amœnus,
Publica qvam populi ſemoto gaudia bello.

Si igitur belli miſeriam omnes pacis amantes execrantur, pacis beatitudinem ipſi Martes prædicant: omnes uno ore cum Drance Virgiliano fateri coguntur: Æneid. XI.

Nulla ſalus bello: pacem te poſcimus omnes.

Nihilominus qvomodo indomita hæc bellua Bellum,ſi qvando inſperantibus ingruat, rationis & diſciplinæ freno regatur, in hac de bello gerendo materiâ per otium contemplabimur.

Belli gerendi partim ingreſſio legitima, partim ipſe Motus & actio, partim effectus & conſeqventia conſiderantur.

Legitima belli ingreſſio,qvā antecedens Logici vocarent,

est Clarigatio, id est, belli claris verbis denunciatio.

Bello indicto, justis præsertim ex causis, qvicqvid deinde cædium & rapinarum conseqvetur, jura belli defendunt. Nec apertè an ex insidiis agas, ex eo tempore interest. Ἐπεὶ πόλεμος προεῤῥήθη, καὶ τὸ ἐξαπατᾷν ὅσιόν τε καὶ δίκαιον ἐξ ἐκείνου ἐγένετο. *Bello indicto, decipere fas & justum deinceps erat:* inqvit in Agesilao Xenophon. *Cum autem justum bellum susceperit, utrùm apertâ pugnâ, utrum insidiis vincat, nihil ad justitiam interest:* inqvit apud Gratianum Augustinus. Justum autem bellum Isidoro est, *qvod ex edicto geritur, de rebus repetendis, aut propulsandorum hostium causâ.* Sed de justitiâ belli suscipiendi libro superiori satis actum: de dolo & insidiis in bello admittendis capite seqvente agetur. Formam belli per literas indicendi si qvis antiqviorem desiderat: Philippi ad Athenienses epistolam, operibus Demosthenis insertam, evolvat. Qvâ causis belli sumendi enarratis, minis & obtestatione concluditur. Ὑμᾶς ἀμυνοῦμαι μετὰ τοῦ δικαίου. καὶ μάρτυρας τοὺς θεοὺς ποιησάμενος, διαλήψομαι περὶ τῶν καθ' ὑμᾶς. *Jure duce ultionem de vobis capiam: & Diis in testimonium vocatis, vobiscum in certamen veniam.*

Indictionis vis.

cap. 23. qu. 2.

Typus.

Philip. IV.

Execrandi habentur, qvi nec justis de causis, ac ne bello qvidem indicto, arma incautis inferunt.

Plerun-

Plerumq; etiam infelices exitus sortiri, & calamitatum inexplicabili luto autores objicere, ejusmodi expeditiones solent. Ne ea, qvæ recenti hærent memoriâ, attingam: Ulyssem cum sociis Bellum non tam excæcatus Polyphemus Neptuni filius, ἀκήρυκτον. nec comesti per inediam Solis boves, qvam in reditu ab expugnatâ Trojâ Cicones improviso adortu invasi, infaustis errationibus devoverunt. Errorum ejus seriem, si qvis poëseos & fabulosæ antiqvitatis amans non fastidit, ita à me descriptam habeat.

Γαῖα βίαν κικόνων, λήθην πόρε λωτὸν ἔδουσα,
Ὠμοφάγον κύκλωψ ἄντρον, πλέον αἴολος ἀσκὸν
Γῆ λαιστρυγονίας ὄλεθρον, συὸς ὄμματα κίρκη,
Τειρεσίαν ἀΐδης, σειρήνων ἤθεα μολπήν.
Εἰξ ἱερῶν σκύλλη, πάντων βόες αἶσα σφαγέντες.
Νῆα χαρυβδείη δίνη ἔχεε, σῶμα καλυψώ.
Φαίηκες πομπήν, ἀνέρων φόνον οἶκος ὅπασσε.

Ut ab antiqvioribus, fabulas veritati substractæ Illegitimum. aspergentibus, abeam: Cimbri & Teuthones, Galliâ devastatâ Italiam impetu duce devastantes, penè cum ipso nominis memoriâ deleti sunt. Vandali examine emisso, libidine invadendi duce Hispaniam, Africam, & magnam Italiæ partem vastantes aut tenẽtes, coloniis non diuturno post tempore extinctis, qvi domi remanserunt, unà cum sedis patriæ notitiâ evanuerunt.

Vi qvæ infertur arcendâ, nulla reqviritur belli indictio.

Bellum enim illud à naturâ, non à caduceatore, indicitur. Legitimum. Τὸν ἄρχοντα τῦ πολέμυ πᾶς ὁ αὐτοπαθῶν ἀμύνεται, *Belli autorem qvivis impetitus repellit:* ait Antiqvitatum Romanarum scriptor. Addit vir

eruditione magnus: ubi ab eo ipso qvi deliqvit pœna depoſcitur, nullam reqviri denunciationem. Hoc verò ferendum non eſt: cum juſta belli denunciatio ob culpam antegreſſam fiat. Nec locus Thucydidis iſti errori patrocinatur: cum nec affectu iracundiæ careat Sthenelaidæ oratio, nec qvicqvam ibi de clarigatione omittendâ agatur. Athenienſes, induciarum ruptarum accuſati, ad judicia & ad cauſam dicendam è fœdere provocabant. Sthenelaidas ephorus, belli decernendi cupidus, ab hac æqviſſimâ poſtulatione audiendâ Spartanos avertit. Verba ejus integra ſunt: οὐδὲ δίκαις καὶ λόγοις διακριτέα, μὴ λόγῳ καὶ αὐτοὺς βλαπτομένους. *Non judiciis nec verbis diſceptandum, cum nec ipſi ſermone lædant.* Eruditus interpres, vertendo *ultra verba læſi*, duplicem in his verbis Atticiſmum, autori huic admodum familiarem, non advertit. Primus eſt in flexione vocum: αὐτοὺς βλαπτομένους pro eo qvod dicitur αὐτῶν βλαπτομένων. Alter in verbo non mediæ tantùm, ſed planè paſſivæ, ſignificationis pro vi activâ poſito. Ariſtophanes bis in ipſo comœdiarum frontiſpicio: δόξῃ δὲ μὴ δρᾶν ταῦτα τῷ κεκτημένῳ, *ſi viſum non fuerit exeqvi poſſidenti*, τῷ κεκτηκότι: qvod verſus ratione conſtante æqvè dici poterat. Mox: ἀλλὰ τὸν ἐωνημένον, id eſt, τὸν ἐωνηκότα vel ὠνηκότα, eum qvi emit ſervum, herum nimirum. Sed in ſermonum lapſibus condonandis faciles ſumus: modò ad rerum vitiationem non pertingant.

Lapſus Grotii.

Thucyd. lib. 1.

Lapſus alter.

Belli denunciatio vel nuda eſt & abrupta, vel ſatisfaciendi conditione ſuſpenſa.

Clari-

Clarigationem hanc specialiori voce nuncupant: qvæ res ablatas reddi clarè postulat. Qvo nomine & persecutionem rei, qvæ ex quâvis causâ deberetur, veteri fecialium jure intelligebant. Imò & sontis deditionem, vel ejus loco punitionem, ex formulâ *reddi, satisfieri, dedi* hac appellatione comprehendebant. Exemplis, qvæ antiqvitatis obsoleta memoria contumulavit, congerendis abstineo. Clarigatio. Repetitio.

Ritus belli denunciandi nec temporum nec locorum omnium iidem.

Hasta ad limitis ingressum, ad primum hominis ex hostili incursum, ad portæ ingressum emissa, Romanorum ab Æqvicolis accepta indicendi ratio fuit. Græcis κηρυκεῖον, caduceus, unde caduceator, placebat. Alii ritu omisso literarum exhibitione, aut simplici verborum denunciatione, rem expediverunt. Nec certam ad regulam, omnibus omninò nationibus observandam, adduci possunt, qvæ à variante populorum consvetudine dependent. Caduceus.

Indictio spatium sui recolligendi ante bellum inferēdum jure gentium reqvirit.

Qvorsum enim denunciatio, si inter denunciandum percusseris? Generosi enim animi est, adversario sui defendendi, aut cedendi & cum potentiori paciscendi, locum relinqvere. Et hoc in-

primis ſpectat belli denunciatio: nec repentinæ adortionis evitatio minùs ad jus belli, qvam ad fortitudinis præſtantiam pertinet. Ne gladiatorem qvidem in arenâ ferremus, improviſo adortu unum è numero conſortium ferientem, & feriendo demum provocantem. Qvantò minùs rempublicam, gravibus viris & legibus conſtantem, repentinâ invaſione latrones imitari decet. Nemo igitur ingenui animi facto Romanorum applauſerit, à qvibus Carthagini ſociæ civitati, nec qvicqvam ſiniſtri metuenti, tertio bello Punico ſimul indictum ſimul illatum bellum eſt. Nam Cyrus, in Armenios deficientes movens, fruſtrà cum Romanis miſcetur. Nam primò Armeniorum defectio in aperto: Carthaginienſium occulta, vel nulla potiùs fuerat. Deinde Cyrus bellum Armeniis non intulit: ſed belli inferendi metu perculſos, ad fidem à qvâ defecerant retraxit. Nullo vel tenui agricolæ damno illato, reverſis ad priſtinum obſeqvium Arminiis, & auxilium in Babylonios pollicitis, exercitum innoxium abduxit. Qvin & erga infenſum hoſtem, Babyloniorum nimirum regem, ingenuo candore uſus, pugnam illi aut regni ceſſionem, denunciato jam utrinq; bello, indixit. Cui cum hoſtis, nondum ſe à copiis paratum, poſt triginta dies rediret, reſpondiſſet: exercitum Babylone abſtraxit, adverſario ſui confirmandi, & adversâ acie ſecum decertandi, copiam conceſſit. Qvid hæc Perſarum regis ingenuitas, heroicæ excellentiæ faſtigio digna, timidam ad Romanorum (ne dicam perfidam) vafritiem? Qvi incrementum pacificæ urbis, & nullum obſeqvii genus defugientis, formidantes: exci-

Grotii error detectus.

De Cyro Xenophon. de Carthagine Appianus legatur.

dium

dium illi contra meritum & exſpectationem moliti, contra fidem & pacta recentiora intulerunt.

Qvem igitur fructum Carthaginis exciſæ, qvod reip. emolumẽtum (nam ſpem emolumenti fidei & honeſtati hac in re prætulerunt) Romani conſecuti ſunt? *Diſcordia & avaritia atq; ambitio, & cætera ſecundis rebus oriri ſveta mala, poſt Carthaginis excidium maximè aucta ſunt.* Diſcordiam civium vel æmulæ urbis amotio, ut Romani, vel injuſtè exciſæ punitio, ut ego judico, invexit. Statim exorta Gracchorum commotio, diverſa Scipionis Naſicæ factione, per vulnera & per cædes, ægrè extincta eſt. Hæſit in rep. inteſtinum diſcordiæ vulnus, & diſſentientis à nobilitate plebis gangræna proſerpſit; donec Marianos & Syllanos fluctus, rempublicam gravi convulſione affecturos, excitavit. Sed ad propiora Carthaginis fato tempora redeo. Cum potentiæ amplitudine luxuria, cum luxuria torpor, & deſvetudo armorum tractandorum, deſidem civitatem invaſit. Unde Numantinarum cladium macula, unde Jugurthinæ ignominiæ nævus, accedente cæteris malis nobilium avaritiâ, vix tandem ab integerrimo viro Metello deterſus. Ambitus fori, & ipſam cum honoribus venditam remp. alibi notavi. In ſe & ſua viſcera, qvam in externos populos & hoſtes, civitas exercitatior fuit. Si qva magni viri ſolertia, ſi qva digna majoribus fortitudo, ut Pompeji & Cæſaris, emerſit: reſpublica in præmium iis laborum, additamentum cæterorum ſervitutis facta, ceſſit. Deſinant igitur magni eruditione viri facinus execrandum Romanorum pro exemplo adducere, & cum ſublimi Cyri incœpto confundere.

Lucrum damnoſum.

Saluſt. Hiſt. l. 1.

Diſcordia peſtifera.

Luxus.

Avaritia.

Ambitio.

Reip. everſio.

Causam denunciationi ad bellum reqvisitæ eam accersunt, *ut certò constaret, non privato ausu, sed voluntate utriusq; populi aut populi capitum, geri bellum.* Sed nec sola ea indictionis causa: nec utriusq; populi voluntate bellum geritur, ubi alter infert invito, alter per omnes divos bellum deprecatur. A belli qvidem indictione *nati sunt effectus peculiares, qvi neq; in bello adversus prædones, neq; in eo qvod rex gerit in subditos, locum habent.* Sed à prædone & piratâ, qvi uno myoparone mare infestat, qvoad justitiam violatâ parum differt, qvi magno exercitu orbem pacatum, si per ipsum liceret, raptat. Nec pro indictione indictio habenda, qvæ cum damno illato vel inferendo conjungitur. Aliàs & latronum duces & eorum cœtus, ubi in regum potentiam excrescunt, regni & regum dignitatem assumunt. Ita jus belli non naturâ suâ, sed amplitudine potentiæ, & accedente ad amplitudinem opinione hominum, distingvitur. Viriatus, Arsaces, Timurus, qvoad cum collectitiâ paucorum mastygiarum manu victum raptu qværebãt; furciferi & cruce digni latrones habebantur. Ubi rapinis exsaturati, jus iis regibus & civitatibus, à qvibus supplicium metuere debebant, dixerunt, pro regum regibus culti & adorati sunt. Turcæ per vilipendium raptores Asiæ, Caspiis claustris effusi, appellati multas hominum ætates in nullo numero habiti sunt. At postqvam imperio ad Hellespontum perducto, paulatim trajectis maris Ægæi faucibus, in Europâ sedem fixerunt, non jam latrones & cruciarii, sed Magni rerum domini vocantur. Et tamen hi ipsi sive Turcæ sive Musulmanni, ubi patrium morem non deserunt, & bella

Grotius iterum notatus.

Latronum respublica.

Turcæ.

bella ferè antè denunciant, & ipſum prœlii diem, biduò ante plurimis ignibus in ambitu caſtrorum accenſis, ſignificant.

Maneat igitur inconcuſſum, ad bella gerenda naturâ juſtam bellandi cauſam, gentium jure etiam belli indictionem præcedere, non conjungi aut ſubſeqvi, debere.

CAPUT II.

DE BELLI ASTUTIA.

Bellum & vi apertâ, & aſtutiâ adhibitâ, rectè conficitur.

VIs & terror admotus leonis eſt, fraus & aſtutia vulpeculæ. Primum illud virorum eſt, Achillem vel Ajacem imitantium. Poſterius hoc Ulyſſem vel Hannibalem, dolum cum robore animi miſcentem, decebit. De primo hoſtem ſternendi genere viri militares, maximè qvi fervido ſunt ingenio & ætate robuſtâ, gloriantur. Proprium enim eſt armorum & belli, vi & terrore omnia miſcere. Dolus, apertâ acie hoſtem non ſuperans, an ſit generoſi animi, nonnihil ambigitur. Præferuntur enim vulgò bellatores *aperti, qvi nihil ex occulto, nihil ex inſidiis agendum putant, veritatis cultores, fraudis inimici.* Qvalem Sertorium, bellum ad reliqviarum Marianarum defenſionem in Hiſpaniâ renovantem, deprædicant. Cujus, oblatam à Mithridate ſocietatem aſpernantis, dictum hoc celebratur: Γενναίῳ γὰρ ἀνδρὶ μετὰ τοῦ καλοῦ νικᾶν αἱρετόν, αἰσχρῶς δὲ οὐδὲ σώζεσθαι. *Viro generoſo honeſtè vincere propoſitum, turpiter autem ne vivere qvidem convenire.*

Doloſi belli duces.

Aperti.

Cic. off. lib. 1.

Plutarch. in Sertor.

Qvales Romani senatores, priscæ ingenuitatis antiqvum succum retinentes. Illi ludibriis pacis ostentatæ Persea circumventum indignati, ita ju-

Liv. lib. XLII. dicant: *Ejus demum animum in perpetuum vinci, cui confessio expressa sit, se neq; arte neq; casu, sed collatis comminus viribus justo ac pio bello esse superatum.* Addit Livius: *Hæc seniores, qvibus nova hæc minùs placebat sapientia.* Qvalem se Brasidas, vulpeculam Spartanam redolens, magis existimari qvam esse

Thucyd. libro IV. cupiebat. Ejus hæc fertur sententia: Ἀπάτῃ γὰρ εὐπρεπεῖ αἴσχιον τοῖς γε ἐν ἀξιώματι πλεονεκτῆσαι, ἢ βίᾳ ἐμφανεῖ. *Turpius viro dignitatem gerenti, speciosâ fraude qvam vi apertâ progressus belli facere.* Speciosiùs hæc omnia sermone celebrantur, qvam usu vitæ freqventantur. Igitur, ne nimis astricti officiorum ratiocinatores esse videamur, illud dispiciamus; in qvos, qvibus dolis, qvousq; uti liceat.

I.

Dolus in hostem. In eos homines dolus, in qvos & vis armata, concessus est. Igitur sicut in eos qvi nos nunqvam læserunt, & qvibus bellum justâ ex causâ indictũ non est, arma non conceduntur, ita nec dolo grassari convenit. Multò minùs occultiores in amicos

Cic. in Fragm. insidiæ, *qvæ latent in simulatione officii, aut in aliqvo necessitudinis nomine,* admittendæ. Qvem nobis defendendi necessitas hostem destinat, eum ut interficere, ita & dolo circumvenire justum habetur. In eum demum illud Pindaricum locum habet: χρὴ δὲ πᾶν ἔρδοντ' ἀμαυρῶσαι τὸν ἐχθρόν: *Nihil, qvod ad hostem delendum faciat, omittendum est.* Vulgatum illud Maronis:

—— *Dolus an virtus qvis in hoste reqvirat:*

necessitatis magis excusationem, qvam virtutis

indi-

indicium facit. Igitur ne in qvosvis qvidem hostes, ut qvibuscum de gloriâ non de vitâ decernitur, doli sunt expromendi.

II.

Doli nomine hic animi aperti, nihil sermone aut fronte occultantis, temporatum astutiâ candorem intelligimus. Res generum qvadam inductione (nam omnia recensere & diducere, ad prudentiam militarem pertinet) evadet clarior. *Dolus qvid.*

1. Qvædam ne in cives qvidem aut obvios, nedum in hostem, vetantur. Veritate enim dicendâ, nec omni veritate proferendâ, qvorum scire non interest, rem nobis nocituram occultare, in turpibus non est habendum. Cognato, responsionem Samuelis inqvirenti, asinarum repertionem Saulus aperuit, regni delationem reticuit. Deo ipso responsum suggerente, adventus causam Samuel præcipuam seniores Bethlehemiticos, nullo mendacio interveniente, celavit. Similem veritatis occultationem, nullâ veritati fraude factâ, Jeremiam prophetam rex Zedekias non aspernantem edocuit. Istuc referri Pauli, Pharisæum se appellantis, & τὸ κρινόμενον astutè decurtantis, in senatu pontificum prudentia poterit. Pharisæus enim origine & primo vitæ instituto, non simulatione pietatis aut factione sectæ, fuit. Pharisæorum partes contra Sadducæos, resurrectionem mortuorum negantes, non contra Christi sectatores, fovebat. De resurrectione mortuorum, non generatim assertâ, sed in Christo exhibitâ, à Judæis accusabatur. Qvanquam hanc elabendi astutiam, commissis inter se adversariis, & parte in favorem tractâ, damnare coram præside Felice visus est.

Justa dissimulatio.
1. Sam. 10. v. 16.
cap. 16. v. 2.
Jerem. 38. v. 26.
Act. 23. v. 6.
Pauli astus.
Act. 24. v. 21.

Integritatem enim vitæ ita afferit, ut illam in senatu proclamationem excipiat.

2. Si non verborum, ad mentis declarationem natorum, reticentiâ semper; multò minùs gestu fortuito, & corporis incessu simulato, vel fallimus vel alteri obligamur. Ars tota gladiatoria periret, si ictum inferenti locus feriendus oculi nutu significandus esset. Et ars imperatoria dissolveretur, si nullas itionum aut molitionum inceptiones occultas haberemus. Nam & inter amicos, & extra nocendi voluntatem, qvædam simulationes
Gen. 33. v. 13. etiam viris gravibus non culpantur. Lento itinere Jacobus, à fratre disjungi cupiens, qvasi fœtis pecoribus & fœtibus tenellis parcens, incedebat.
Act. 21. v. 24. Paulus Naziræorum votum sumtu suo, non munificentiæ studio, sed ut suspicionem de se conceptam averteret, expunxit.
c. 16. v. 3. Idem Timotheum securæ cõversationis causâ circumcidit: cum omne
Galat. 5. v. 6. circumcisionis & præputii, qvoad fidem deo acceptam, discrimen tolleret. Qvin Christus ipse veritatis magister, qvandam in rebus meri arbitrii simulationem, si fas est dicere, adhibuit.
Luc. 24. v. 28. *προσεποιεῖτο πορρωτέρω πορεύεσθαι, simulabat se ulteriùs progredi.* nam qvi hic alias, & qvidem significantiores, ejus verbi acceptiones qværunt, meo qvidem judicio ineptiunt. Alias, qvarum plena est civilis historia, simulationum & dissimulationum freqvẽtationes prætereo. 3. Ut in rebus indifferentibus accubatio, inclinatio, sessio, comprehensio, incessus deniq; & omnis corporis motio, nullam vim
Strategemata. obligandi habent: ita esculentorum in hostem projectio, ad demendam famis hosti opinionem, & omnes qvasi locutiones membrorum ad lo-

qven-

qvendum non factorum, nihil iniqvitatis producunt. Ab ejusmodi enim simulationibus omnes illusiones, qvas tanqvam artes imperatorias excellenti nomine strategemata vocant, exortæ. qvas nec rejecit Deus, à viris piis usurpatas; nec suos docere dedignatus est. Fugâ simulatâ, ad insidias hostem inducere, & omnes viros urbe corripiendâ elicere, exercitato armis viro monstravit. Hostes à tergo circumducere, & non opinantes aggredi, fugæ etiam copiâ ademtâ, Davidi præscripsit. Sic repentinas Josuę, judicum, regum, Asmonæorum, & nocturnas in castra hostilia irruptiones Deus non improbavit. Nullum igitur in eo mendum, nulla erratio in eo, qvod Deum approbatorem, qvod repertorem Deum habet. *Jos. 8. v. 4.* *2 Sam. 5. v. 23.*

4. Illud monere supervacuum, qvo qvis armorum genere, qvo genere militiæ confidit, eo uti ad expeditionem victoriæ licere. *Arma apta.*

Dente lupus, cornu taurus petit, unde, nisi intus
Monstratum? inqvit Horatius. Et alius ante eum Satiricus: *l. 2. Sat. 1.* *Lucret.*

Cornua nota prius vitulæ, qvam frontibus extent.

Ad qvod qvis armorum genus, ad qvam militiam, pedestrem an eqvestrem an maritimam, à naturâ factus, aut ab exercitatione aptus fuerit, vires in iis commodo suo expromat. Ægrè Spartano hastam, Macedoni Sarissam, Daco & Getæ arcum, Romano gladium, Ibero pugionem, Germano frameam & aclides extorseris. Nec nostris moribus Helvetios & Hispanos à pedestri robore, Gallos & Polonos ab eqvestri celeritate, Belgas à navibus aut obsidionali militiâ facilè deduxeris. Ut nec taurum cornu, eqvum sublatâ un- *Militia.*

Belli tempora. gulâ, canem dente pugnare prohibueris. 5. Tempore diurno an nocturno, æstivo an hiemali dimices, ad belli justitiam nihil intereſt. Qvanqvam mos ferè gentium noctem ad qvietudinem, hyemem ad hybernacula deſtinat.

Νὺξ δ' ἤδη τελέθει· ἀγαθὸν καὶ νυκτὶ πιθέσθαι.

Nox aditu ſerpit: nocti parere decorum:

Iliad. VII. inqvit Homericus Agamemno.

De Philippo Macedone, æſtatem & hyemem belli negotiis non diſcernente, ut in re novâ Demoſthenes: Καὶ σιωπῶ θέρος καὶ χειμῶνα, ὡς οὐδὲν διαφέρει, οὐδ' ἔστιν ἐξαίρετος ὥρα τις, ἣν διαλείπει. Svedis, è frigore Aqvilonari proſerpētibus, mitiori Germaniæ cœlo invento, hyeme obſidiones urbium urgere, inſolitum non fuit. Ac ne Hiſpanos qvidem ac Spinolam, temperatiori ſub zonâ educatos, anni tempus, qvò minùs intenſiſſimo frigore Velaviam irrumperent, deterruit.

Philipp. tertiâ.

Corruptio. 6. Animos prius hominum, vel amicitiâ adjunctos, vel pecuniæ donis corruptos, qvam muros catapultis, expugnare; magnæ ſolertiæ eſt. Belli à Peloponneſiis Atticæ regioni illati ſimplicitatem, cùm temporum ſuorum vafritie collatam, Demoſthenes irridet. οὕτω δ' ἀρχαίως εἶχον, μᾶλλον δὲ πολιτικῶς, ὥστε &c. *Adeo antiqvâ ſimplicitate, vel potiùs civili ratione rem gerebant, ut ne minimam qvidem rem pecuniâ tentarent: ſed omnia ex aperto & qvaſi præſcriptâ lege gererent. Nunc autem plurimas res proditionibus confectas, nihil inſtructâ acie patratum videtis.* Nimirum, ut idem alio in loco conqveritur: ἔξωθεν οἱ ἐπιβουλεύοντες, ἔνδοθεν δὲ οἱ συμπράττοντες: *Foris qvi nobis inſidiantur ſunt; intra mœnia, qvi conſilia eorum promovent.* Id qvidem belligerandi

Philipp. 3.

De falsâ legatione.

genus

genus in oppugnante non vituperandum: sed in iis qvi fidem donis vel gratiâ posteriorem judicant, culpandum. nisi fortè idem patriæ, qvod subjectionem ementi, conducere arbitrantur. Qvemadmodum proditor ille Germaniæ Segestes, qvi amicos inimicosq; ex Romanorum utilitatibus dilegit, pacem qvam bellum eo prætextu malebat. Atq; ita ad alterum conciliationis genus, qvod fit amicitiis adjungendis, & usui nostro accommodandis, transeo. Si sacram historiam in usum civilem convertere nefas non est: blanditiis Absalon & civilitate animos Hebræorum expugnavit, regnum parenti extorsit. Sed hic qvidem malâ in causâ non laudabiliter: excusatiùs David, si non plenæ justitiæ laude, Chusaim Arachitem, simulaturum egregiam erga novum regem fidem, invertendis consiliis ejus immisit. Ut ferè ejusmodi consilia à re, causâ, & tempore laudem vel vituperium accipiunt.

Tac. Ann. lib. 1.

Conciliatio.

2. Sam. 15.

ibid. v 32.

7. Inter belli astutias prisco mortalium ævo fuit, deos tutelares ex urbibus hostilibus elicere: pignora imperii deposita, si possent, amovere. Qvod ne Romæ accidere posset, nomen Dei sui conservatoris reticuit, & nomen ipsum urbis verum silentio arcano pressit: ancile cœlo delapsum, pignus reconditum imperii, inter multa ad eandem formam sculpta scuta abscondidit. Freqventius fuit, in fata urbium inqvirere, iisq; humana consilia accelerandis accommodare. Qvia igitur capi Troja, nisi Palladia istinc ablato, non potetat: omnem istuc astutiam, omnem molitionem Ulysses convertit. Tria enim, si fas est fidem adhibere, Ilion captum præcedere debebant: Palla-

Fata urbium.

dii ex arce amissio, mors Troili, & portæ Scææ, id est infaustæ & sinistræ, superi liminis resciſſio. Romani cum fata urbis Vejorum capto à sacerdote didicissent, lacum supra solitum stagnantem in sectos rivulos diduxerunt. Divinæ veritati cõjunctius foret, peccata hostium vel vitæ emendationem scrutari, & ex ira in eos vel favore Dei belli eventũ metiri. qvod Achior Holoferni, ut est in Dramate Judithæ, suggessit. Angli certè, ut est apud Philippum Cominæum, pulsi Galliâ, Qvando redituri essent interrogati: Cum, inqviunt, vestra peccata nostrorum modum excesserint.

III.

Doli repagula.

Qvæ dicta hactenus de dolo in bellis committendo sunt; magis de veniæ qvâdam impertione, qvam ut præceptorum vim obtineant, intelligenda sunt. Integritati enim omnibus in actionibus via sternenda: malitiæ, id est versutæ & fallaci nocendi rationi, semita præcludenda. Qvicqvid est in nobis cœlestis igniculi, qvidquid rationis & consilii, ad usum salutarem potiùs, qvam ad fraudem & hominum pernitiem, impertiamur. Nullis inprimis emolumenti allectamentis adducamur, ut mendaciorum sutelis assvescamus, ut fidem etiam hosti datam qvâvis ratione violemus. Qvod rudi hîc Minervâ dictum, crasso deinceps filo deducemus.

Perversam hominis indolem sectatur & detegit mentiendi consvetudo.

Prisci Romani, infusa in urbem peregrinitate à succo

à ſucco nondum degenerantes, adeò mendacium abhorruerunt, ut ne in laudibus qvidem funebribus qvenqvam verum excedere paterentur. Mentiri enim nefas habebatur: ut Cicero in deſcriptione humationis veterum teſtatur. Qvanquam paulatim labente veterum gravitate, palpandi indulgentia tantum ſibi indulſit, ut etiam hiſtoria, qvæ lux debebat eſſe temporum, obſcuritatis nebulam inde contraheret. Inde qverela Livii; *Vitiatam memoriam funebribus laudibus reor, falſiſqve imaginum titulis, dum familia ad ſe qvæq; famam rerum geſtarum honorumq; fallente mendacio trahunt: inde certè & ſingulorum geſta, & publica monimenta rerum confuſa.* Græci in familiari ſermone, in epitaphiis ſermonibus, ut & in hiſtoriâ ſcribendâ ſibi indulgentiores, à foro ſaltem, id eſt, à publicis judiciis, & à rebus contrahendis, mendacium abeſſe voluerunt. Unde illud in veteri lege Atticâ: κατὰ τὴν ἀγορὰν ἀψευδεῖν. Plato, fallendi eruditus magiſter, mentiendi facultatem privatæ vitæ hominibus ereptam, principatu fungentibus largâ manu admetitur. Veritatem qvidem pluris faciendam eſſe, concedit: ſed ita, ut diis mentiri inutile eſſe, hominibus autem tanqvam in medicinæ præbitione utile eſſe ſtatuat. Inde ſic infert: τοῖς ἄρχουσι δὴ τῆς πόλεως, εἴπερ τισὶν ἄλλοις, προσήκει ψεύδεσθαι ἢ πολεμίων ἢ πολιτῶν ἕνεκα, ἐπ' ὠφελείᾳ τῆς πόλεως. τοῖς δ' ἄλλοις πᾶσιν οὐχ ἁπτέον τοῦ τοιούτου. *Principibus civitatis, ſi qvibus aliis, vel hoſtium vel civium causâ, pro civitatis commodo, mentiri convenit. cæteris autem omnibus à mendacio abſtinendum.* At ô divine Plato, vultum & ſermonem fingere in ſcholâ Socratis edocte, major apud me eſt regum ſapientiſſimi Salomonis auto-

Mendacii fuga.

2 *de leg.*

Libro VIII.

His laudationibus hiſtoria rerum noſtrarum eſt facta mendoſior. *Cic. in Bruto.*

Plato mendacii patronus.

Politej. lib. 3.

ritas, qvi labium mendax principem inprimis dedecere, verbum mendax odio habere virum justum, non uno loco prædicat: qvi à se, magno nimirum principe, ut peculiare à Deo impetrandum donum, omnem falsiloqvẽtiam per omnem vitam deprecatur. Pluris apud me valet, qvam qvisqvam Socraticorum, David: qvi mendacia suggerentes in aulâ suâ ferre neqvit: qvi mendaces à Deo perimi agnoscit. Pergit tamen mendaciorum patronus, & alio loco eandem cantilenam cantillat. Συχνῷ τῷ ψεύδει καὶ τῇ ἀπάτῃ κινδυνεύει ἡμῖν δεήσειν χρῆσθαι τοὺς ἄρχοντας ἐπ' ὠφελείᾳ τῶν ἀρχομένων. *Crebro mendacio & deceptione videntur nobis uti debere principes in subditorum commodum.* Horrenda maledictionis fulmina in auribus piorum: qvanqvam utilitatis publicæ veneno edulcorata! Sed Platonem ex ipso Platone, ut sibi non constat sapiendi vanitas, refutabo. Justa facienda esse, etiamsi qvis habeat annulum Gygis, & Plutonis cum eo galeam, graviter edisserit. Atqvi cum justo mendacium non magis, qvam cum meridianâ luce tenebræ, cohæret. Et Gyges ille, qvi annuli beneficio se & actiones suas latebris abscondidisse fingitur, potentissimorum in regum numero recensebatur. Sed clariùs Platonem sibi obstrepentem, veritatis asserendæ studio non cavillationis, producam. Πᾶς ὁ ἄδικος οὐχ ἑκὼν ἄδικος. τῶν γὰρ μεγίστων κακῶν οὐδεὶς οὐδαμοῦ οὐδὲν ἑκὼν κέκτητο ἄν ποτε. *Nemo sponte injustus est. Malorum enim maxima neqvaqvam ullus hominum sibi sponte accerseret.* Si injustum esse, & per conseqvens mẽdacem, malorum maximum est: nulla vel principum vel civitatis utilitas mali atrocitatem, qvod est in mentiendo, compen-

Prov. 30. v. 7. 8.

Psal. 101 v. 8.

Psal. 5. v. 7.

Polit. V.

Polit. 10.

De Legibus lib. V.

compensabit. Et, si nemo sponte injustus est, nemo principum crebro mendacio, qvod injustitiæ vel species vel fundamentum, sponte se illigabit.

Idq; eò magis, qvo facta principum & dicta reliqvi cives intuentur, & ad ea mores & vitam suam dirigunt. *Ut enim cupiditatibus principum & vitiis infici solet tota civitas: sic emendari & corrigi continentiâ.* Continentiâ non manuum tantum aut abdominis, sed & sermonis & lingvæ volubilitatis. *Licet videre, si velis replicare memoriam temporum, qvalescunq; summi civitatis viri fuerunt, talem civitatem fuisse: qvæcunq; mutatio morum in principibus extiterit, eandem in populo secuturam.* Si igitur à gravitate, si à veritatis studio defecerint principes: in eandem mentiendi libidinem, eundem in decipiendi gyrum, orbem commissæ civitatis trahent. *Nobilium vitâ victuq; mutato, mores mutari civitatum puto. Qvo perniciosiùs de rep. merentur vitiosi principes, qvod non solum vitia concipiunt ipsi, sed ea infundunt in civitatem. neq; solùm obsunt, qvod illi ipsi corrumpuntur, sed etiam qvod corrumpunt, plusq; exemplo qvam peccato nocent.* Non igitur tantum de cavendâ musicæ in populo mutatione, qvantum de retinendo sermonis & animi concentu, Plato sollicitus esse debuit. Nec sermonis constantiam plebeculæ assignare, à principum aulis exulare jubentem, tanti fastigii doctorem decebat.

Cic. 3. de legibus.

Cic. ibidem.

ibidem.

Non omnia pro mendacio habenda, qvę mendacii externam speciem imitantur.

Primò enim si qvis pro vero asseruerit, qvod

licet falsum sit, ipse ut verum animo conceperit, pro mendace non est habendus. Non enim in bonis hominum tantum & malis dijudicandis, *opinionibus vulgi rapimur in errorem, nec vera cernimus:* sed etiam in iis, qvæ sunt qvotidianæ incursationis, ut credulitate ita sermone passim labimur. Qvod ne crebro fiat, & ne in futilitatis labem incidamus, à credendi facilitate, & multò etiam magis à temerariâ assertione caveamus. Deinde vera qvis verba, sed non eo sensu, qvo is qvi verum audire indignus est accipit, profert. qvæ eventu redarguta, temeritatis mentiendi insimulanda non sunt. Chusais Arachitæ simulatam ad Absalonem defectionem (cujusmodi simulatio in cive turbulento, hoste nimirum non legitimo, commissa non culpatur) suprà conspeximus. Ejus coram rebelli filio regis acclamatio, *Vivat rex, vivat rex,* nihil adulationis vel contra animi sententiam locutionis continebat. Davidi enim, qvem regem esse noverat, vitæ incolumitatem & regni precabatur. Nec illa verba: (*qvem Deus elegit, & populus hic, & omnis in universum Israël, annon ipsius ero & cum eo manebo?*) aliorsum tendebant. Davidem enim, non Absolonem, Deus in regem elegerat: Davidem universus Israël, missis solenniter legatis, in regem unxerat. Nec factio, qvamvis multorum ingratorum, pro Absalone totius populi consensum abstulit. Cum rege igitur, Davide nimirum, esse si corpore non poterat, animo saltem Arachites optabat. Ne in illo qvidem sermone, *Non bonum est consilium, qvod Achitophel hac vice promisit,* qvicqvam latet turpis mendacii. Non bonum enim erat consilium moraliter, à pravitate animi

Falsum dicere.

Cic. 2. de legibus.

Veri involutio.

2. Sam. 16. v. 16.

v. 18.

2. Sam. 17. v. 7.

animi & in malum finem profectum: & si in metam seditioni propositam bonum erat.

Qvæ non decipiendi, nec cuiqvam nocendi animo proferuntur; qvalia sunt jocationes, & qvæ officii mendacia Augustino vocantur, alio tractatu à nobis discussa sunt: nec in hoc belli jure locum sibi propriè vindicant.

Illud non omittendum: veritati ita honorem habendum, ne charitatis obliviscamur. Turpius enim & nocentius est, veritate promendâ occidere, qvam ficto aliqvem sermone conservare. Hominis enim juvandi, non interimendi causâ, & societatis hominum fovendæ, sermo hominum generi datus est. Primo igitur loco detestandi sunt proditores, vera in civitatis perniciem hosti enunciantes. Omninò omnis proditor exosus, etiam iis qvos præfert suis, habetur. Est tamen qvædam licita proditio: nimirum, qvæ justitiæ amore, vel in judicio delicta aliorum cognita profert, vel pericula insonti imminentia, averruncanda aperit. Qvalis fuit Jonathanis erga Davidem fides: qva & vitæ amici consuluit, & patrem à nefario crimine retraxit. Sic etiam committenda crimina, Majestatis præsertim lædendæ, revelari vel à sacerdote conscio possunt, nedum ab alio quovis debeant. Sed hæc impropriè proditio, cum ex officio proveniat, nec hosti qvicqvam arcani enunciet, vocatur. Propinqvi odio sunt proditoribus, qvi imbecillitates aliorum rimantes, qvæ obtegi charitatis pallio debebant, lædendi vel irridendi animo in medium proferunt. Nec excusandi, qvi fovendis ejusmodi detrectatoribus, & audiendis aliorum criminibus, impurè delectantur.

Veritas discreta.

Proditio.

1 Sam. 20. v. 13.

Obtrectatio.

Homines qvi gestant, qviq; auscultant crimina,
Si meo arbitratu liceat, omnes pendeant:
Gestores lingvis, auditores auribus.

Pseudolo. venustè suo more, me in consensum rapiens, Plautus.

Symbolum vitæ, ab Apostolo Ephesiis præscriptum, ἀληθεύοντες ἐν ἀγάπῃ, *cum charitate verum loqventes*, in omni conversatione nunqvam memoriâ excidat. Qvanquam famigeruli illi nec semper veritati student: multa vel affingunt rebus narrandis, vel planè qvæ nunqvam fuere fingunt.

Symbolum Apostolicum.

Qvi omnia se simulant scire, nec qvicqvam sciunt.
Qvod qvisq; in animo habet, aut habiturus est, sciũt.
Id qvod in aurem rex reginæ dixerit,
Sciunt: qvod Juno fabulata est cum Jove.
Qvæ neq; futura, neq; facta sunt, tamen ii sciunt.

Malo sanè coërcendi, ut ego qvidem sentio, & mecum Plautus judicat.

Trinummo.

Qvod si exqviratur usq; ab stirpe autoritas,
Unde qvicqvid auditum dicant, nisi id appareat,
Famigerator jure fiet cum damno & malo.
Hoc si ita fiat, publico fiat bono.
Pauci sint faxim, qvi sciant qvod nesciunt,
Occlusioremq; habeant stultiloqventiam.

Qvod adeò vitium lutulentis ut plurimum moribus, aut otiosè dicacibus, adhæret: & magnæ plerunq; famæ viris, præteritis qvi in sorde jacent, lingvæ contagiosæ scabies affricatur.

Ut frenum dicacitati, ita mendacio licenter prorumpenti claustra ponimus.

Coërcendi enim mendacii magis, qvam relaxandi causas qværimus. Grotius ex intricato dissertationum salo ægrè eluctatus, illationes qvasdam, vafro ingenio consentientes, profert. Qvas, offendiculo tenuioribus judicio futuras, nullo examine prævio dimittere, religio nobis est. Illationes Grotianæ.

Prima illatio: *Etiamsi qvid dicatur, qvod falsam habeat significationem, infanti aut amenti, in eo mendacii culpam non esse.* Assertionem hanc partim autoritate Lucretii & Qvintiliani, partim ratione istâ munit: qvod infantibus & amentibus non sit judicii libertas. ℞. Hanc qvidem ob causam cum infantibus non contrahimus: nec civili ex lege infantes & amentes nobis ex contractu absq; autore obligantur. Non tamen quidvis coram iis effutire, quidvis iis persvadere, naturaliter justum vel honestum est. Rationem Grotii ulteriùs extende; cum infantibus enim in republicâ, & in qvæstione de jure belli parum nobis est negotii. Expers judicii plebecula, insignioribus Politicæ scriptoribus esse perhibetur. Jam ergo plebi os egregiè, promissis nunqvam servandis, oblinere ex aulicorum qvorundam decreto licebit. Germani Italis & Gallis, Germanis Hungari & Poloni pro stupidis, persvasione qvadam judicii habentur. Ergo in eos omne fallendi & servandæ fidei discrimen in promiscuo habebitur. Deniq; ut alteri se qvis ingenii opinione præfert, ita in eum mentiendi licentiam sibi sumet: ut omne tandem fidei coagulum ex hominum societate tollatur. Nec intra utilitatem deceptorum, qvod vult Qvintilianus, semper subsistetur. Illud verò Lucretii:

Prima. Infantes.

Ut puerorum ætas improvida ludificetur:

Senſus Lucretiani verſus.

de medicamentorum amaritudine, melle prælito puerulis inſtillandâ, accipitur. Qvod ſi ad mentiendi pueris conſvetudinem extendatur; non eſt nobis poëtæ atheiſmum apertè profeſſi tanta autoritas, ut ei tanqvam victi herbam porrigamus.

Maxima debetur puero reverentia:

Juvenalis.

inqvit alius majoris autoritatis poëta.

Non tantùm ne qvid flagitiosè vel dicatur vel fiat, ſed etiam neqvid turpiter mendacii proferatur, tenellulæ ætati debetur reverentia. Aut enim fidem figmentis adhibebit: atq; ita erroribus ægrè eradicandis implebitur. aut mentiendi levitatem deprehendet: atq; inde vel mentientem patrem aut præceptorem vilipendet, vel ejus autoritate in mentiendi conſvetudinem adducetur. Πλαστὸν γὰρ καὶ ὑγρὸν ἡ νεότης, *ut mollis cera facilè qvamvis impreſſionem tenera ætas recipit:* inqvit in Moralibus Plutarchus. Doceantur igitur parentum imitatione à teneris ungvlculis pueri, μηδὲν εἰκῇ μήτε λέγειν μήτε πράττειν, *nihil temerè vel dicere vel facere.* Λόγος γὰρ ἔργου σκιὴ κατὰ Δημόκριτον: *Sermo enim ſecundum Democritum operis umbra eſt.* Imò indictum animi, & rerum animo verè conceptarum, umbraculum vel effigies. Si omnium conſiliorum participem ætatem improvidam facere, conſultùm non eſt: de rebus arcanis ſilendum. Σοφὸν γὰρ εὔκαιρος σιγὴ, καὶ παντὸς λόγου κρείττων. *Res enim ſapiens eſt tempeſtivum ſilentium, & omni ſermone præſtantior.* Nedum mendacio, liberis ingeniis indigno, ſilentium non ſit præſtantius. Τὸ γὰρ ψεύδεσθαι δουλοπρεπὲς —— καὶ οὐδὲ μετρίοις δούλοις συγγνωστόν. *Servilis enim indolis eſt mendacium: imò ne in mediocris qvidem ordinis*

Puerorum reſpectus. — Plut. de puer. inſtitut. — Silentium.

dinis servis ferendum. Hæc uno è Plutarchi tractatu depromuntur: qvid si reliqvorum sapientum scrinia excutiam: qvid si sapientiæ ipsius monitum, de non ponendo teneris offendiculo, urgeam. *Math. 18. v. 6.*

Secunda Grotii illatio: *Qvoties sermo ad eum dirigitur qvi non decipitur, etiamsi tertius inde falsam hauriat persvasionem, nullum esse mendacium.* Id verò est scandalum lapsuro cœco figere: qvod in divinâ lege prohibetur. Nec hic vel tropica locutio, vel ad verum mendacio veniens hyperbole, nemini nocens verborum superjectio, commoratur. Nec qvi deceptus ficto sermone est, sibi tantum qvod imputet habebit. Qvanqvam enim cum eo non agitur: communis tamen omnium ad honestatem, & sic ad falsum fugiendum, manet obligatio. Aut enim boni viri personam suscipis: aut te futiliter ineptiendo leviculum qvendam forensi è grege esse profiteris. Cum leviter ineptiente nullum mihi negotium, nulla conversandi familiaritas. Gravem personam fallendo induentem, ut pestem humani generis, ut administrandæ justitiæ carcinoma, fugero. Injustitiæ enim *nulla capitalior est, qvam eorum, qvi tum, cum maximè fallunt, id agunt, ut viri boni esse videantur.* *Cic. offic. lib. 1.* Secunda observatio.

Qvod autẽ vel Flaccus hostium urbem ab Æmilio expugnatam falsò narravit, vel Tullus Hostilius jussu suo Albanos recessisse, medio in pugnæ ardore proclamavit: eo belli jure defenditur, qvo Jugurtha tincto cruore occisi gregarii ferro, occisum à se Marium audientibus Romanis vociferatus est. Hostem enim quovis modo propulsare, dummodò absq; promissi violandi vanitate, ne-

cessitatis lege, qvod in civili conversatione non conceditur, armamur. Paulum verò Apostolum, susceptâ Petri reprehensione non seriò egisse, sed fictâ objurgatione infirmitati astantium esse consultum, non est leviculi erroris. Verba enim illa, κατὰ πρόσωπον αὐτῷ ἀντέστην, *apertè illi me opposui*, &, ὅτι κατεγνωσμένος ἦν, *qvia condemnatus, vel condemnatione dignus erat*, nihil in Paulo fictum arguunt. Hypocritam agere, & non recto in veritate docendâ pede incedere reprehensionem merentia peccata sunt. Chrysostomi autem, &, si qvi alii ei astipulantur, modestiæ Petri cicatricem tegenti ignoscimus: in foveam erroris cum eo duce præcipitari cavemus.

Hypocrisis.

Galat. 2. v. 11. v. 13. 14.

Tertia observatio.

In tertiâ Grotii illatione nihil est, qvod maximoperè censurâ dignum sit. Si qvis enim, qvi factum aliquod celatur, commodum potiùs qvam injuriam inde ferat, mendacium strictè dictum & injuriosum, qvod juvandi animo profertur, minimè dicendum est. Et hoc sensu verum est illud eximii Philosophi: τὸ γὰρ ἀγαθὸν κρεῖττόν ἐστι τῆς ἀληθείας, *qvod enim bonum est, veritate est melius.* Præstat enim veri cognitionem subducere, qvam eâ patefactâ interimere. Veritas enim bono, non bonum veritati subservit.

Patrocinium.

Quod non usq; eò producendum est, ut veritate suppressâ hominum nefariorum causæ patrocinemur. Bonum enim non est, verborum lenocinio judicem circumveniri: atq; etiam nocentes pœnam effugere, bonum non est. Quanqvam patrono causarum non semper optimarum autore, *vult hoc multitudo, patitur consvetudo, fert etiam humanitas: judicis est, semper in causis verum seqvi,*

Cic. offic. lib. 2.

qvi, patroni nonnunqvam verisimile. Quanquam nec judices verum in judicando semper secuti sunt: & patroni non verisimili magis qvam cupiditate gratificandi abducti. Quæ causa non postrema ruentium in deterius rerum Romanarum, & servitutis cervicibus patrum conscriptorum impositæ, fatente ipso malorum & bonorum advocato, fuit. *Jure igitur*, inqvit, *plectimur: nisi enim multorum impunita scelera tulissemus, nunqvam ad unum tanta pervenisset licentia.* Ubi enim numero sententiæ expenduntur, non pondere; & major numerus in favorem deteriorum vergit: ab uno rerum moderatore, qvam à pluribus, causas etiam potentiorum dijudicari, rebus humanis consultius est. a b

In qvartâ illatione, qvam vocat, jure eminentię, qvod habeant in omnia jura alterius, jus mentiendi Principibus Grotius largitur. Atqvi si occidere impunè Principibus jure naturæ non licet, ne mentiri qvidem amoto omni crimine licet. Illud enim injustitiæ tantum est; hoc præter justitiæ violationem etiam infirmitatis notam includit. Ex animi enim degeneri trepidatione, & imbecillitatis tacitâ confessione, mentiendi qvædam necessitudo provenit. Principes autem Dei imaginem, qvoad imperii gestionem, nullâ re magis qvam solutâ metu potentiâ exprimunt. Ergo ut Deum ad mentiendum nulla necessitas adducit: ita regem mentientem potentiæ defectus minùs, qvam vilissimum atriensem, excusat. Qvod verò medicis, publicè ad mentiendum (medendum, inqvam) vocatis, eandem facultatem communicat; nec ille amplam nobis ex officio mendacia se-

Qvarta observatio.

Medici.

minantium officinam procudit. Sic enim & negotiatorum in provinciâ,& mercatorum Romæ, & fabrorum collegia, (& qvorum non?) à superioribus operæ exercendæ potestatem adepta, rupto pudore mentiuntur. Josephum verò in sodalitatem inculpatæ falsiloqventiæ nollem, à viro in sacris literis versato, tractum. Majori enim in crimine minus, qvod est alienam regionem explorandi, includebat. Ut taceam fratri molitos cædem: nónne proditoriè cum Sichemitis, per fidem & ipsam pietatis simulationem circumventis, egerant? Nec à verò abludit, saltem cognoscendi situs gratiâ, aut agri ad pastionem commodi lustrandi, curiosos interdum oculos, vel in Cananæâ vel ipsâ in Ægypto, ejaculatos esse. Jure igitur fratres, à qvibus præter meritum territus fuerat, non planè ficto crimine territabat. Qvæ incusatio etiam eorum instructioni, ut cautiùs in suspicaci Ægyptiorum terrâ peregrinarentur, fecit. In Salomonis de afferendâ machærâ imperio nullum mendacium: nulla enim in imperandi modo, vel triviis testibus, enunciatio, atq; ita

Josephus.

Gen. 37. v. 20.

Gen. 34. v. 25.

Exploratio.

1. Reg. 3. v. 25.

Αὕτη μὲν ἡ μηχανὴ οὐδὲν ἔσπασεν,
Hoc machinæ filum qvidem traxit nihil.

Qvinta illatio.

Non est nullius perplexitatis, qvod qvinto locò movetur ambiguum: *qvoties vitâ innocentis, aut par aliqvid, aliter servari, & alter ab improbi facinoris perfectione aliter averti non potest.* Exemplum ab Hypermnestrâ, novo marito cum nobili mendacio parcente, accersit. qvæ ob id factum ab Horatio *Splendidè mendax* vocatur: id est, cum famæ in omne ævum lucentis splendore. Sed de hac qvidem, vel fabulosâ vel gentili muliere, defendendâ non

non multum laboratur. Plusculum in excusando fœminarum, à verâ pietate laudatarum, mendacio sudatur. V.gr. Obstetricum, recenti Hebræarum fœtui cõtra mandatum regium parcentium. Exod.1.v.13. Rachabis, exploratores à Josuæ missos occultantis. Jos.2.v.5. Michalis, Davidem incolumem dimittentis. 1. Sam. 19. v. 17. Mulieris Bahurimitæ, speculatores Davidis abdentis. 2. Sam.17.v.19. Sed benè, qvod hæc omnia sunt mulierum, qvibus timere conceditur, & qvibus mentiri non adeò turpe habetur, exempla. Splendidum est Jonathanis mendacium, iter & sacrificium Bethlehemiticum, à Davide susceptum, fingentis. 1.Sam.20.v.29. Sed horum omnium facta & commiserationem, potius, qvam adjunctam verborum labeculam, ad imitandum proposuerim. Jonathan.

Sexto loco pro confesso sumit, *apud hostem falso sermone uti licere.* Præter Platonem, Xenophontem, Philonem, etiam Chrysostomum testem adducit. Qvi tamen τῆς ἀπάτης κατορθώματα, fraudis prosperè facta, magis recensendo qvam approbando nominare mihi videtur. Nec vox κατορθωμάτων idem oratoribus, qvod Stoicis philosophis, ut plurimum sonare solet. Jabesitæ, Ammonitarum regi imponentes, fortè qvid humani passi sunt. Elisæus ambiguo verborum sensu, non aperto mendacio, hostiles catervas decepit. *Non est hæc via, neq; hæc civitas:* nimirum qvò vos ire cupio. *Seqvimini me, ducam vos ad virum qvem qværitis:* Joramum nimirum, qvem capere magno desiderio Syri flagrabant. Imò in Hebræo est, si presse vocem vertas, *qvem qværetis.* Et reverà Syri paulò v.24. Sexta illatio. 1.Sam. 11. v 10. 2.Reg. 6. v.19.

pôst Samariâ obsidendâ, regem Joramum ad perniciem qvæsituri erant.

Istis eventilatis, censuram qvam Grotius in Scholam, Thomam aut Scotum seqventium, stringit, vehementer approbo. Qvid enim illis, qvas ineptientes appellant, mentalibus reservationibus absurdius, qvid inficetius? Nescio: nimirum ut proferam. Non habeo: nimirum ut tibi communicem. Non venio ex eo loco: id est, in eo loco pestilentiam non contraxi. Puerilibus næniis hæc sunt inaniora: & tamen magnam vel eruditionem vel gravitatem professis viris arrident. Faciliùs Francisci, Monachorum Nudipedum patriarchæ, commētum admisero. Qvi à latrone interrogatus, annon viator hac transierit: manu in manicam insertâ, hâc, inqvit, non transivit. Præsentiori astu Athanasius, cum elabi Constantii militarem navim non posse videretur: navi suâ, qvâ fugiebat, in perseqventes obversâ, modo hac præternavigasse Athanasium qværentibus respondit. Ita nihil mentiendo, nec se tamen prodendo, manus ad necem se qværentium evasit.

Reservationes.

Illusio vocum.

Qvod eos Grotius improbat, qvi qvasi vocem non rem exhorrescerent, JOCA vocant ea, qvæ vultu ac pronuntiatione maximè seriâ proferuntur; puto eum Belgarum suorum, vel etiam Gallorum, morem respicere. Belgæ enim civiliter aliqvem mendacii redarguentes, ghy jockt / *jocaris*: Galli *vous vous mocquez*, vel *vous railliez*, mendâcii vocem magis qvam rem vitantes, increpant. Sed hæc qvidem in arguentibus civilitas reprehendenda non est: qvi verò fraude struendâ se jocari dixerit, ferēdus non est, & à Syracide rejicitur.

Joca non joca.

Ad

Ad culpæ reprehensionem evitandam non malè sibi cavit Grotius, dum qvæ de falsiloqvio dixerat, ad afferentem sermonem, & qvidem talem qvi nulli nisi publico hosti noceat, non ad promittentem reduxit. Latitandi enim diversorium, non fraudandi hospitium qvæsivit. Benè idem è superioribus repetit, jusjurandum vim habere excludendi omnes exceptiones. qvia non cum homine tantùm, sed & cum Deo res est, cui per jusjurandum obligamur, etiamsi homini jus nullum nasci possit. Benè, inqvam, hæc Grotius: & utinam in superioribus æqvè in omnibus constanter. Egregiè & illud inculcat: in juramento omninò veritatem reqviri eo sensu, qvem homo exaudiens intelligere fide optimâ existimatur. *Fraus enim distringit, non dissolvit perjurium*: ut Cicero, in redarguendâ calliditate perversè imitante prudentiam. Qvi igitur Hannibali reditum juratus, mox qvasi aliqvid oblitus in castra rediit, posteà qvasi jurejurando solutus Romæ remansit, rectè ut veterator ad Hannibalem vinctus remittebatur. *In fide enim, qvid senseris, non qvid dixeris, cogitandum.*

Assertio mendacii. Jurisjurandi puritas. *Offic. 3.* *Offic. 1.*

Mendacium omne repudiare, qvam admittendo excusationem captare, gloriosius est.

Duella justa justè gerunto: in militaribus Romanorum præceptis habetur. Justè autem belli gerendi modus non postremus est, fraude semotâ & mendaciis, pio bello decernere. Si qvis astutiæ locus debetur: celare hostem consilia nostra, dis-

Cic. de legib. lib. 3. Concessi doli.

ſimulare incœptum, inſidiari temporibus, errata hoſtium captare, præripere aut intervertere eorum conatus, nulla belli ratio vetabit. Atq; hæc ipſa multi è belli ducibus, vel eximiâ qvâdam animi celſitudine, vel virium fiduciâ, ſpreverunt. Furari bellum cum Alexandro, ad altiora concipienda nato, ſe negant. De mendacio verò cum Achille, magnanimo belli duce, ita pronunciant:

Spreti.

Iliad. IX.

Ἐχθρὸς γάρ μοι κεῖνος ὁμῶς ἀΐδαο πύλῃσιν,
Ὅς χ' ἕτερον μὲν κεύθει ἐνὶ φρεσὶν, ἄλλο δὲ βάζει.

Non mihi, non odio magis eſt locus inferus ignis
Tartarei, qvam lingva loqvens qvod mente refellit.

Non eſt ſanè magni animi, non liberi, mentiri: nec ejus qvi ſe neminem metuere, hoſtem armatum manu ſternere, gloriatur. Tertium è Græciæ magnis ducibus, nemini rerum geſtarum gloriâ ſecundum, Epaminondam adducamus. Hic veritatis adeò ſtudioſus fuiſſe dicitur, ut ne joco qvidem unqvam mentiretur. Quod idem de Ariſtide, Juſti nomen apud Athenienſes adepto, Plutarchus recenſet. Romani verò priſci illi, & priſca Germanorum natio, Græcis facilè in hoc genere laudem præreptum iverunt. Sive igitur illi, ſive qvicunq; alii, nullâ re magis qvam nihil mentiendo, ad cœleſtia, & ad ipſum mentiri neſcientem Deum aſcendunt.

CAPUT III.

DE FIDE IN BELLO SERVANDA.

Qvicqvid de belli ſolertia, qvic-

qvicqvid etiam de mendaci assertione dixeris: in pactis & promissionibus fides etiam hosti servanda.

Belli qvidem sævientis ea natura est, ut fides contractuum etiam inter ejusdem reip. cives, non tam jure, qvam gravitate calamitatis, vacillet. Ut de re novâ & Hannibalis furore inusitatâ, belli nimirum ardore jam remittente, Livius: *Jam inde haud secus qvam in pace res inter se contrahere, vendendo, emendo, mutuum dando, argentum creditum solvendo.* Sed de communi contractuum valore, inter cives aut inter ignotos præstando, dubia alio è juris principio deciduntur. Hosti, qvæ juris belli materies, fidem servandam, consentiens gentium non efferatarum sententia est. Turpe illud apud Valerium Maximum de Hannibale: *Bellum adversus populum Romanum & Italiam professus, adversus ipsam fidem acriùs gessit: mendaciis & fallaciâ qvasi præclaris artibus gaudens, qvo evenit, ut alióqvi insignem sui memoriam relicturus, in dubio, major ne vir an pejor haberi deberet, poneret.* Contrà præclarum illud ejusdem de Scipione Hannibalis adversario: *ut Romani imperatoris potiùs decepta fides, qvam frustra implorata judicaretur.* Non enim qvid fœdifragi hostes pati meruerint, sed qvid se facere dignũ esset, viri magnanimi spectaverunt.

Fides cum cive. Lib. 27. Cum hoste. Lib. 6. c. 6.

Fides etiam iis, cum qvibus nullum juris commercium, servanda.

Quibuſcum enim jura gentium intercidu communio juris naturæ ſupereſt. Si qvid igi
Servis. ſervis, qvorum infima apud Romanos condi fuit, fide datâ promiſimus, ad id præſtandum ſi ſupremo rerum humanarum vinculo, obli
Perfidis. mur. Si qvid fœdifragis hoſtibus, ſi qvid tyrann latronibus, majeſtatis reis, qvod honeſtati communi hominum juri non repugnet, pollic fuerimus: aliorum nos crimen à culpâ, aliena perfidiam imitatos, non abſolvit. Ac de fœdifr gis qvidem, & infidelibus omnibus, antiqvi po tæ ſententia jactatur: *Neqve dedi, neqve do fidem i*
Cic. offic. 3. *fideli cuiqvam.* Sed illud qvidem à poëtâ rectè d citur: qvia cum tractaretur Atreus, qvi latebrar perjurio qværebat perſonę ſerviendum fuit. Odi enim perfidiæ aliorum, in perfidiam nobis ruen dum non eſt: ut nec in foveam eandem cum cæ cis incidendum. Tyrannos qvidem Cicero, u & piratas, excipit. Illos, qvod nobis nulla ſocieta
Cicero notatus. cum iis intercedat, ſed ſumma potiùs diſtractio Iſtos, qvod ſint communes hoſtes omnium. Sed fides, civili ſocietate & ipſo jure gentium antiqvior, iſtâ ſubtilitate non expungitur. Naturâ ut hominum genus conſtat, ita in omnes homines fides permanet. Recentiores nonnulli, regum affectui gratificantes, majeſtatis reos fide indignos judicant. Sed eâdem qvâ Cicero tyrannos ſpecie: qvos non minùs in patriam delinqventes cognovimus. Imò Majeſtatis violatæ cumulus qvidem & ſummus apex tyrannis, univerſa patriæ jura opprimens, habetur. Quod igitur de tyrannis, à fidei commercio non excludendis, diximus; idem de Majeſtatis arceſſitis dictum puta. *Majeſtatem*

enim

enim *is minuit, qvi ea tollit, ex qvibus rebus civitatis* *ad Heren.*
amplitudo constat. qvæ sunt ea? qvæ capiunt suffragia *lib. 2.*
populi & magistratus consilia. Sive ita mavis: *Maje-*
statem is minuit, qvi amplitudinem civitatis detrimento
afficit. Tyrannus verò non amplitudinem tan-
tum civium minuit, non suffragia & magistra-
tuum consilia duntaxat impedit: sed ipsam li-
bertatem civium, reliqvorum omnium fun-
damentum, opprimit. Lenis qvidem tyrannus
Pisistratus, libertatem Atheniensium invasit,
οὔτε τιμὰς τὰς παρεούσας συνταράξας, οὔτε θέσμια μεταλλάξας, *Herodot.*
nec magistratibus mutatis, nec juribus conversis. Qvia *Clejo.*
tamen invitis civibus gubernacula arripuit, ma- Pisistratus.
jestatis populi qvam maximè violator erat. Cum
hoc tamen & pacta qvædam inierunt Athenien-
ses, & inita servaverunt. Homines enim esse non
desinunt, nec hominum communi jure ut abdi-
cati excidunt, qvi aliqvid enorme in societatem
hominum perpetrarunt. Non igitur omne tyran-
nis, latronibus, majestatem imminuentibus com-
mercium fidei abscindendum.

Sed obstrepere nobis rumor aulæ, à sacro codi- Objectio.
ce accersitus, videtur. Adoniæ vitæ incolumita-
tem Salomo, Simei cõvitiatori David, & qvidem
jurejurando interveniente, promisit. Adonia ta-
men Salomone jubente ad regnum stabiliendum,
Simeis Davide in extremis disponente, gladio ul-
tore occubuit. Adonias majestatis ob affectatum
regnum reus primordio regni Salomonis terri- Solutio.
tus, ad misericordiæ aram confugerat. Veniam
ei erroris non simpliciter Salomo, sed sub condi- *1. Reg. 2.*
tione syncera in posterum vitæ promiserat. tran- *v. 52.*
qvillam prætereà vitam & domesticam, ab aulæ *v. 58.*

cap. 2. strepitu semotam, injunxit. Adonia privatæ v
v. 15. 16. 17. spiritus egressus, inversionem regni exprobra
do, & spei altioris matrimonium procando, s
conditionem non impletam imputet. Simei vi
securitatem David, qvantum ab ipso, juraver.
v. 8. *Non occidam te gladio*: ut ipse verba sua interpret
v. 36. tur. Salomo ultionem paternæ injuriæ molier
exilio ei in patriâ indicto, causam ejus interficie
v. 40. di qvæsivit, & in stultâ incogitantiâ rei inveni
Sic ad optatum ultionis effectum sine promi
violatione pervenit, & ab insidiantium molitio
nibus regni primordia munivit. Nihil igitur è s
cris contra sacratam fidei ancoram, qvod non pri
mo se ictu retundat, profertur.

Cum hæreticis. Sanctiorem verò vitam, & reconditiorem sa
crorum cognitionem, professos patres eò proter
viæ delabi, ut *Hæreticis fidem non esse servandam* con
sensu decernant, minùs etiam ferendum est
Nam hi non animi malitiâ, non nocendi cupi
ditate, sed lapsu erroris (si tamen errant) aufe-
runtur. Pro gentilibus, ad mortem & ad ignomi-
niam se rapientibus, Christiani olim precabantur.
Tertull. ad Scapulam. *Christianus nullius est hostis, nedum imperatoris: qvem sciens à Deo suo constitui, necesse est ut & ipsum diligat, & revereatur, & honoret, & salvum velit, cum toto Romano imperio, qvousq; seculum stabit.* Nunc autem hostilem in eos animum profitemur, qvi fundamenta religionis Christianæ retinentes, non in omnes nobiscum ritus & opinationes jurant. Qvod superat hostilem omnem acerbitatem, fidem iis religiosè datam, qvasi pro religione, violamus. Hussiticam Constantiensium patrum damnationem, Parisienses nuptias, & alia nominis

Chri-

Christiani dehonestamenta, non exhorrescimus. Symbolum disciplinæ Christianæ olim fuit, Pro fide occidi: nunc vexillis multorum inscriptum est, Contra fidem occidere. Et nondum persentiscimus, qvantum à puritate Christianæ Fidei degeneraverimus. Vexillum perfidiæ.

A pacto discedentibus non obligamur.

Suprà dictum est, etiam fœdifragis promissi fidem esse servandam: qvod de diversis actionum & promissionum generibus intelligendum est. Nam si qvis à conventę rei pacto recesserit, si conditionem conventionis non expleverit: obligationem, qvæ inter nos & ipsum intercessit, eo ipso rescindit. Ut si qvis legionem auxiliatricem socio, si in hostilem agrum irruperit, promittat: domi desidenti, aut aliò qvam in communem hostem copias vertenti, nihil è pacto præstatur. Aut si qvis cum hoste triginta dierum inducias fecerit, qvas ille prædam è nostro agro agendo ruperit: induciæ nullæ esse intelliguntur. fidesq; à nobis, eodem munere pacta transilientem remunerantibus, non solvitur. Conditio promissis annexa.

Fides est vel expressa vel tacita.

Utraqve est publica vel privata.

Est & intermedii generis qvædam: ut est inferiorum potestatum: de qvibus loco suo dicetur.

Publica fides est, qvâ inte bella gerentes publico utrinq consensu aliqvid convenit.

Ea tribus maximè rebus, in duciis, commeatu, captivo rum redemtione, spectatur.

Induciæ sunt belli ad tempu definitum suspensio.

Induciæ sunt vel longioris durationis; qvale fuere inter Romanos & Vejos centum annorum inter Athenienses & Peloponnesios annorum tri ginta. vel sunt brevioris paucorum dierum ve horarum moræ: qvales crebræ inter Græcos, ad mortuorum cadavera sepelienda. qvales inducias petebant, qvi se pugnâ inferiores fatebâtur: mortuos ὑποσπόνδους concedebant, qvibus aleâ belli superioribus fortuna arrisisset. Ejusmodi inducias bello manente fieri, cum Grotio non incommodè dixeris: qvamvis pacem seqvestram Virgilius, pacem temporalem commentator ejus, eas appellat. Qvæ verò sunt durationis longioris, ut qvæ ætatem hominis excedunt, ad pacis qvam ad belli naturam accedunt propiùs. nec inconcinnè εἰρήνη πρόσκαιρος πόλεμον ὠδίνουσα, pax temporaria partu belli suspensa, à Scholiaste Thucydidis vocantur. Grotius inter bellum & inducias nihil discriminans, à locutione gravium autorum desertus, armis projectis in castra philosophorum,

Induciæ.

sed

sed malo omine, profugit.' Ab habitu virtutis, ab amicitiæ operatione locorum intervallis impeditâ, ab entelechiâ Aristotelicâ, à musici non canentis scientiâ, nova ad decertandum arma mutuatur. Qvasi verò ut hæc in animo resident, nullum ad tempus operandi restricta; ita & induciæ, ruptâ volentium fide, quovis tempore in actum belli erumpant. Et cantorem qvidem ætatem integram tacentem, virtutem somno Endymionæo sepultam floccifeceris. Inducias verò qvò strictiùs observantur, à tumultibus belli seductas, eò synceriùs laudaveris. Qvod si induciæ, indutium antiqvitus, qvasi *inde otium*, ut Grotius vult, vocantur: cum otium pacis magis qvam belli nomen sit, ad pacis indolem induciæ magis inclinant. Scribit qvidem alicubi Livius, pacem Vejis aut Faliscis negatam, inducias datas. Sed pacem nullâ temporis finitione suspensam, nullo rediturì belli metu sufflaminatam, petentibus negatam innuit.

Grotiana tela.

Tregua media ætate pax nominabatur: unde *Treves*, induciæ.

Induciarum non minori qvam societatis pactio fide colenda.

Si non eò sanctiori, qvò hæc nudo ferè pacto initur; illæ vocato in Deum teste per jusjurandum sanciuntur. De societate qvidem cùm Lacedæmoniis, belli adversus Cyrum suscipiendi, Crœsus apud Herodotum: φίλος τε θέλων γενέσθαι καὶ σύμμαχος ἄνευ τε δόλου καὶ ἀπάτης. *Se amicum & socium futurum procul omni dolo & fraude.* Hæc per legatos Crœsus: qvæ brevi tempore rescissa sine crimine sunt. Sed induciæ majori feriendi victi-

Clejo.

Societatis belli fides.

Induciarum.

mas pompâ, & juramentorum graviori execratione, pangebantur. Qvanquam non nego, societates belli arctiores jurejurando interveniente aliqvando coiisse. Ut in illâ Argivorum cum Atheniensibus: Ἐμμενῶ τῇ ξυμμαχίᾳ κατὰ τὰ ξυγκείμενα δικαίως καὶ ἀβλαβῶς καὶ ἀδόλως, καὶ οὐ παραβήσομαι τέχνῃ οὐδὲ μηχανῇ οὐδεμιᾷ. *Societati, secundum concepta literis, justè & syncerè & integrè immanebo: nec ullâ arte vel molitione pactum egrediar.* Sed hæc belli societas paululo post tempore, Argivis ab eâ commodo suo recedentibus, diremta est. Nec rerum humanarum tantum interest, armorum conjunctiones manere, qvantum inducias inviolatas perstare.

Thucyd. libro V.

Οὐδεὶς γὰρ οὕτω ἀνόητός ἐστι, ὅστις πόλεμον πρὸ εἰρήνης αἱρέεται. ἐν μὲν γὰρ τῇ οἱ παῖδες τοὺς πατέρας θάπτουσι, ἐν δὲ τῷ οἱ πατέρες τοὺς παῖδας. *Nemo enim adeò desipit, ut bellum qvam pacem malit. hic enim liberi parentes, illic parentes liberos sepeliunt.* Nemo bellum paci præferre judicatur, nudè nimirum & sine utilitatis respectu. Hoc enim blandiente, ea nos fallunt vitia, qvæ prudentiam videntur imitari. Sic in cassem belli inexplicabilis, ruptis perversè induciis, Athenienses inciderunt. Prudentiæ enim faciem mentiebatur illud ad eos Corcyrensium effatum: Ὅστις ὀχυρώτατος, τοῦτον φίλον ἔχειν: *præsidio qvenq; munitissimum pro amico habendum.* Cum magis in animum admittere debuissent Corinthiorum admonitionem: Τὸ γὰρ μὴ ἀδικεῖν τοὺς ὁμοίους, ἐχυρωτέρα δύναμις: *Pares & pace conjunctos non offendere, firmior est potentiæ munitio.*

Crœsus apud Herodotum. lib. I.

Fallax prudentia.

Thucyd. lib. I.

ibidem.

Induciarum tempore finito novâ belli indictione opus non est.

Ut

Ut nec exactis feriis dies profestos imminere, denunciatio reqviritur. Non tamen idem qvod bellum sunt induciæ: ut nec dies nefasti cum fastis civili ratione commiscetur. Qvanquam apud Romanos, ex fecialium sententiâ finitis induciis indictum bellum, Grotius observat: haud scio an satis ex sensu Livii. Nec dum enim dies induciarum exierant: & feciales res repetitum, non bellum indictum, venerant. Qvemadmodum Peloponnesiaco bello, re ad inducias perductâ, multis de rebus utrinq; qverebantur. Inprimis Athenienses oppida in Thracia, à Brasida induciarum tempore invasa, restitui sibi postulabant: Panactum ante demollitionem non restitutum indignabantur: separatim cum Boëtis societam contractam fremebant. Sic Belgicarum induciarum tempore multæ utrinq; expostulationes: non induciarum ob eas ruptiones, aut belli novæ indictiones.

Grotius compunctus. perstrictus.

Thucyd. lib. V.

Tempus induciarum initii non ab eodem omnibus præscripto currit.

Aliis antiqvo more à die pactionis decretæ, aliis à die notitiæ induciarum vigor procedit. Belgicis qvidem cum Hispano induciis, disjuncto locorum dissentientium intervallo, semestri spatio iis qvi ultra Tropicum Cancri remoti navigabant vel degebant, opus esse videbatur. At qvi angustis finibus habitant, vel qvorum omnes copiæ unum in locum contractæ sunt, à die proclamationis armis nudandis abstinent. De finiendo

Terminus induciarum.

pactionis tempore, irritum ſcrupulum non r
veo. Ejuſmodi enim ſpatia à momento ad n
mentum, ſedula hominum iis in rebus curâ,
primi ſolent. In dubio autem ſerenitati m
qvam turbido, qvieti armorum qvam tumu
favetur. Forenſi Romanorum dijudication
Cic. pro Roſcio Comœdo. antiqvitatem reſpicias, *ſunt jura, ſunt formul omnibus rebus conſtitutæ, ne qvis aut in genere inju aut ratione actionis errare poſſit.* Belli & pacis c
ventiones, cum ſeculorum genio variantes, a
ad formularum anguſtias reſtrinxeris.

Bellicæ actiones induciaru otio non conveniunt.

Belli actiones vel violentæ ſunt, vel comp
Induciarum vulnera. tiores. Violentæ & belli magis propriæ ſunt,
nuum in corpora vel in facultates hominum
vim injectio, locorum corruptis vel interc
præſidiis invaſio. Sedatiores, qvoad agendi
concuſſiunculæ. dum, ſunt ſponte deficientium in tutelam r
ptio, poſtliminii tanqvam in bello uſurpatio
qvæ ſunt ejus generis alia: qvorum freqve
motus. induciarum tempore interdicta eſt. Nec ta
militem novum conſcribere, mœnia collapſ
ficere, commeatum in civitates importare,
qvid induciarum ſanctione exceptum ſit, veta
Qvæ de induciis propriè dictis & longi temp
capienda eſſe, per ſe legenti liqvet. Nam brev
ad cadavera ſepelienda, vel ad leges deditioni
ſceptandas, datæ induciæ eorum facultaten
mnem præcidunt. In urbem enim obſeſſam c
meatuum aut auxiliorum introductio, mœn

qva

qvassorum per otium refectio, fraudem conventioni facerent. Qvanquam fraus ea sæpè committitur:& ad præcisæ spei incitas redactis propè cum veniâ ignoscitur. Qvæstio, qvâ Grotius ventilandâ angitur, *an qvi vi majore impeditus qvò minus recederet, intra fines hosticos deprehenditur, postqvam exierint induciæ, jus redeundi habeat*, raræ est contingentiæ, & facilem ex æqvo & bono decisionem habet. navi.

Commeandi jus est peculiare belli vigētis commercium.

Induciæ qvidem commeatum includunt: sed non commeatus inducias. Ire, redire induciis, ut in pace, concessum est: itus omnis & reditus in bello à singulari pactione, vel indulgentis conniventiâ, fluit. Aliqvando singulis hominibus, aliqvando certo hominum generi, itio reditio conceditur. Nec magis hæc omnia ad leges aut ad præcepta, qvam omnes hominum voluntates, cogi possunt. Illud non dubitandum, semel concessâ commeandi facultate, fidem ut in omnibus belli commerciis rumpendam non esse. Non enim placet vel Alexandri Macedonis, vel Timuri Scythæ solertia, abeundi facultatem adeptos ipso in itinere contrucidantium. Nam Ambiorigis & Eburonum, Sabinum cum collegâ fide datâ castris elicientium, deceptio major est, qvam ut vulgatis erroribus accenseatur. Commeatus.

Captivorum in bello permutatio, aut pretio apposito

redemtio, antiqvi gentium juris est.

Habeátne captivorum redemtio multum a parum favoris, an nimiæ sit in republicâ duriti captivos ad Romanorum in bello Punico imit tionem nolle redimere: ad jus belli, qvod nob cum hoste intercedit, non pertinet. Captivoru redemtio vel interdici potest, qvod à Mansfeld rerum Hispanicarum in Belgio administrato factum: vel, si admissa semel est, integrâ fide præ stari debet. Mendozam, graviora meritum, & vicinis, belli injuriâ præter meritum implicati atrociter accusatum, pacto interveniente, pi more belli Belgici, Belgarum proceres dimis runt. Novium (*de la Noue*) acerrimum Hispan carum partium adversarium bello captum H spanienses ex permutatione dimiserunt. Mul sunt in bellis Europæis (nam Asiatici crudelic res fuere) ejusmodi dimissionum, clara vel etia obscura, monumenta.

Redemtio captivorum.

Ut dimittentium captos modestia laudatu ita conventa ab iis, qvi dimissi sub sponsione sun omninò præstanda. Excipio, si qvid contra off cium, vel supra vires humanæ naturæ, hostes p cti sunt. In qvibus tamen ipsis vel non admitte da conditio fuerat, vel corpore sistendo resci denda. Quare non est in nimiam admiratione trahendus M. Reguli, è captivitate domum cu conditione remissi, reditus. *Ista laus non est homin sed temporum. Nullum enim vinculum ad astringe dam fidem jurejurando majores arctius esse voluerun* Magis mirandum videtur, qvod cum in patr

Fides captorum.

Cic. de offic. lib. 3.

manere salvâ fide licuerit, captivorũ permutationem dissvasit. Sed nimirum contra honestatem, & contra boni civis officium, illi esse videbatur: seniculi unius jam jam efflandam animam, multorum qvi strenuè pugnando Romæ obesse poterant, pretium refundere. Honestius enim ducebat, patriæ qvocunq; detrimento, qvam calamitate suâ commoveri.

Privata singulorum fides ea præstanda est, qvæ est in promittentium potestate.

Nam si qvid qvod remp. tangat promiserint; si patriæ aut imperantium proditionem? exigi ab iis jure non poterit. Qvæ enim sunt ejusmodi, ea & turpiter promittuntur, & promissa turpiùs exsolvuntur. Et accuratè si loqvamur, nemini civium pacisci cum hoste, ac ne secretò qvidem cum hoste non impetratâ veniâ loqvi, qvamdiu est in civium & subditorum numero, legibus Romanis concessum. Sive igitur milites fuerint sive Qvirites, urbanæ sive rusticanæ tribus: sejuncta à repub. consilia cum hoste vel conventiones habere non decebit. Postqvam verò potiti sunt hostium, ut Plautus antiqvè loqvitur, id est in hostium potestatem venerunt: captivitate civitatis jus, postliminio saltem suspensum, amiserunt. Ex eo igitur tempore pacisci cum hoste jura concedunt: & qvod de suis rebus pacti sunt, solvere fides humana exigit. Nam nisi hoc permissum more fuerit; dabitur cædibus occasio, libertati impedimentum. Et paciscendi igitur facultatem

Fides privata.

Gro.

Restitutio. capti habeant; & pacta exolvendi fidem. Nec [...] stitutio in integrum hic locum habebit: sive æ[...] tem minorem, sive metu extortum promiss[...] prætenderis. Nam qvæ minoribus 25. annis co[...] sulit restitutio, inventum est juris civilis, & in [...] regsibus locum demum habet. De metu illud C[...] Offic. 3. ceronis in mentem venit: *At non debuit ratum e[...] qvod erat actum per vim. qvasi verò forti viro vis po[...] adhiberi.* Fraus & error pangentium, sicubi co[...] tractum vitiant, ab eo censu eximuntur.

Jus in his rebus transigen[...] civitas libertatem arbitrio su[...] redimenti non imminuit.

Nam qvi modus est in his rebus necessitat[...] idem est approbationis. Principio pollicendi r[...] sistere civitas, vel qvi sunt ejus loco superior[...] non poterant: cum alieni promittens factus est [...] Civitatis in promittentes cives jus. imperii. Reversum ad suos ab executione imp[...] dire, legitimum non habetur: cum suarum reru[...] qvisq; administrandarum sit dominus. jus aute[...] illud, qvod respublica habet in bona singuloru[...] cedit utilitati publicæ, cedit fidei etiam in extr[...] mis colendæ observationi. Expedit enim reip[...] blicæ, vitam & libertatem civium jacturâ aliq[...] rei domesticæ redimi, nec omnes qvi in hostiu[...] manus veniunt, cum cruciatu trucidari. Fide[...] verò colendam non tantùm jura civitatum pe[...] mittunt, sed etiam negligentes adigunt. Inde e[...] qvi contra pollicitationem Hannibali factam d[...] mi remanserant, senatus vinctos ad Hannibale[...] remisit, & censores ignominiâ notarunt. Sec[...]

cu

cum iis agitur, qvi à piratis capti pactis promissis non steterunt. Piratæ enim & latrones omni juri renunciantes, nullo humano jure adjuvantur.

Ea in pactionis fidem veniunt, qvæ paciscentibus sunt mancipi.

Plerunq; de pecuniâ, qvam qvis aut in nominibus aut domi numeratam habet, pretio dimittendi agitur. Aliqvando capti, vel qvi circumsessi deditione factâ dimittuntur, arma se contra veniæ autorem nunqvam laturos, vel intra definitum tempus non laturos, pollicetur. Petronii & Afranii legiones, in Hispaniâ Pompejo militantes, cum siti necare omnes Cæsar Ibero omne intercluso posset, lege nunqvam ferendorum contra ipsum armorum incolumes dimisit. Nostris moribus, Belgicâ præsertim vel Germanorum in militiâ, deditii finito tempore ad militiæ contra nos otium astringuntur, bello capti manipularibus capientium immiscentur. Qvod jura armorum non prohibent: nisi conventio redimendorum captivorum aliud belli commercium indixerit, aut lytri pro captivis oblatio negligatur. Qvod tamen de mercenariâ nostri ævi militiâ accipio: nam contra patriam qvamvis ingratam arma ferre, ante bella qvidem civilia, Romanæ non fuit indolis. Jugulari illi in præsentiâ, qvam illud vitæ flagitium suscipere maluerunt. Jurata captivis.

Sed illud, de non ferendis contra capientem armis, acceptatum fœdus minus habet injuriæ. Patriæ qvidem in se jus, ut est educendi cives in mili-

militiam, minuere nemo sponte potest. Sed illi jus in eo qvi nullus erat, qvi mortuus civitati era jam civitas amiserat. Recipere igitur civem cu jure in eum limitato, qvam perpetuo sqvalo carceris vel cædi destinare, tum humanitati cor venientius est, tum patriæ ipsi ad alias à recept sperandas functiones utilius.

Proxima isti conventioni conventio est: n qvis in locum ereptum aut interdictum redeat Qvæ pactio nostro qvidem ævo, nisi in negotiationibus fortassis Indicis aut Americanis, minùs recepti moris est.

Sponsiones à capientibus factæ; ne qvis è liberâ custodiâ aufugiat, ut dimissus in carcerem conditione non impletâ redeat; nihil habent iniqvitatis. Nam illi bi aut vitæ benigniùs parcitur, aut mitior speratur custodia. Istic statui captivi nihil decedit; & vinctus dejurio in meliorem fidei, si revertatur, existimationem collocatur. Si verò qvis ipse fortunæ suæ & voluntati paciscentium obstiterit; si gloriam M. Reguli qvam libertatem Pelopidę & incolumitatem maluerit: habet qvod suo animo, non juri belli, imputet.

Fidei rigor.

Rata autoritas ejusmodi conventionum omnium à jure gentium sumitur.

Eoq; nec à magistratu urbano rescindi, nec à jure civili infringi potest. Hoc jure freqventer causarum patroni verbis cōtroversias, non æqvitate, dirimunt; & jura non utilitate communi, sed literis legum exprimunt. Aucupia iidem verborum

Causidici.

Cic pro Cæcina.

borum & literarum tendiculas in invidiam vocant: ex callido versutoq; jure, non ex æqvo & bono, rem disceptatam dijudicant. Et tamen vociferantur: *scriptum seqvi, calumniatoris esse: boni judicis, voluntatem scriptoris, autoritatemq; defendere.* d. l.
Sæpè & verbis & mente legislatoris neglectâ, ad gratiæ vel ad potentiæ vel ad pecuniæ nutum juræ flectuntur. Qvod in merè civilibus constitutionibus, hominum arbitrio vigentibus vel cadentibus, non tantopere ut in ferendâ iniqvitate exhorrescendum. Nam si, qvod populus jusserit, ratum esse oportebit: qvod idem circumactâ voluntate abnuerit, pro irrito habebitur. At qvod est gentium juris, qvod naturâ dictante hominum ubicunq; locorum mentibus impressum est: unius civitatis vel obrogatione vel subrogatione adulterari non debet. Benignè tamen monet juris bellici interpres: à proprietate verborum, nisi absurdi vitandi causâ, aut certâ mentis conjecturâ, recedendum non esse: nec esse verba legis privatæ nimis extendenda. Vitam enim pactum, non etiam ad libertatem jus habere: vestium nomine arma non venire. Sed hæc è capite De Interpretatione, qvo fusiorem non desideramus, rectiùs qvam incidente in materiem qvæstione, explicanda veniunt.

Jus civile. Cautio.

Ex iis igitur, qvæ dicta nobis de fide privatâ, satis perspicitur, qvo sensu Ciceronis illud admittendum sit: *Atqve etiam si qvid singuli temporibus adducti hosti promiserint, est in eo ipso fide conservanda.* Offic. 1.

Medii inter publicam & pri-

vatam fidem loci est, belli ducum à superiori pendentium, vel etiam magistratuum civilium, interveniens autoritas.

Legatus qvidem, Locum tenentem hodie vocant, ad imperatoris ductum vel præscriptum agit. Belli imperator (Generalis isto ævo) liberam sæpè ad summam rerum consulendi potestatem habet. Liberam: qvoad bellum gerendum; non qvoad suscipiendum vel deponendum. Hanc enim facultatem Senatus Populusq; Romanus, aut qvi in regno majestate supremâ fulcitur, sibi reservavit. Senatus igitur aut populus, & statu rerum mutato Cæsares, de fine bellis imponendo consulendi. Longinqvioribus in terris bello peregrinante, decem à senatu legati, consessum patrum effingentes, consuli adjungebantur. Hinc illa Scipionis, Romam de pace Carthaginiensi mittentis: *Qvæ ab se ex decem legatorum sententia acta essent, ea patrum autoritate populiq; jussu confirmarentur.* Ergo qvi sibi optimè contra invidiam caveri volebant, ne legatorum qvidem judicio nudo stabant, sed ut acta rata esse populus juberet, patres autores fierent, poscebant. Alii autem hi legati ab iis, qvi belli gerendi ministerio summo duci inservientes, suæ qviq; legioni præfuerunt: qvos Locum tenentes hodie vocari dixeram, qvanqvam ne hæc ipsa qvidem vocis mutatæ ratio, rebus cum appellatione commutatis, exactâ per omnia similitudine convenit. Spartani aliqvando & regi suo decem legatos,

Summus belli dux.

Legati.

Liv. l. 30.

tos, & qvidem in bello gerendo, consiliarios vel directores addiderunt. *Δέκα γὰρ ἄνδρας Σπαρτιατῶν προσείλοντο αὐτῷ ξυμβούλους, ἄνευ ὧν μὴ κύριον εἶναι ἀπάγειν στρατιὰν ἐκ τῆς πόλεως.* Thucyd. lib. V. Romani duces nonnunqvam sine legatorum consilio, nec expectatâ patrum autoritate, finem bello arbitrio suo imponebant: sed peculiari ad eam rem decreto patrum muniti. Sive igitur amplâ sive astrictâ potestate, majores vel minores duces, instructi fuerint: de horum in bello administrando fide jam inqvirendum.

Qvi fidem de belli commercio, dignitatem de populi & regis majestate auferunt.

Omnibus vel trabeâ vel paludamento indutis, *habere in consilio legem, religionem, æqvitatem, fidem,* Cic. pro Cluentio. publicis præsertim in pacis & belli negotiis, convenit. Omnium qvidem hominum, sed inprimis ad rerum altiora fastigia elatorum, animis insculptum esse debet, Conscientiæ religio. Æstimare conscientiam mentis suæ. *qvæ si optimorum consiliorum atq; factorum testis in omni vitâ nobis erit, sine ullo metu, & summâ cum honestate vivemus.* ibid. Ergo & metu infamiæ nos liberabit, & bonæ in posterum spei faculâ nobis prælucebit, fidei etiam in hostem servatæ conscientia. Non omnia qvidem promittendi, vel invito senatu promissa exolvendi, facultatem duces armorum nanciscuntur. Fides astricta. Sed providentium futuro virorum est, eorum qvæ exeqvi neqveas in promittendo fugere temeritatem. Romæ ut summum in senatu consilium, ita summum in consulibus

Bb

imperium fuisse, nemo antiqvitatis Roman gnarus negabit. Et tamen fidem suam patrum au toritate, summum imperium eorum consili prævalere consules non postulaverunt.

Verborum latebræ, frangendam ad fidem, nec his nec alii hominibus qværendæ.

Quas Consules iidem Romani aliqvoties, u Caudino & Numantino in fœdere, imperii sui di gnitate ultrò cõspurcatâ, qvæsiverunt. Modò no fuisse suæ potestatis, populum fœdere obstringe re; modò sponsionem fuisse, non fœdus, garrive re. Quantò candidiùs Gracchus tribunus, qvi ol solutam Numantinis fidem, cujus ipse sponso intervenerat, cruentam seditionem domi conci tavit. Non qvod civilem seditionis agitationem probamus: sed qvod ansam seditioni à fidei ru ptoribus datam improbamus. Consules illi qvidem, qvorum sublæstam fidem notavi, patrum autoritatem magni facere debebant: sed non eandem rescindendæ fidei post factum fœdus obtendere. Nec populi & senatus fuerat, qvi in rem tacitè consenserant, ad imposturæ latibula confugere. Qvasi enim locupletiores alienâ jacturâ facti, qvod gestum ad Caudes erat, tacitè ratum habebant, pacem Samnitibus vel fœdere vel sponsione pactis negabant. Si displicebat conditio, omnis in eas angustias, qvas pactione evaserat, exercitus tradendus erat: ut capite De Fœderibus docuimus. Nec multò honestior fidei frangendæ latebra, ex ambiguo verborum sono, Romanis ducibus

Causa Semproniani tumultus.

Fides Romana.

bus captata. Civitatem integram futuram Carthaginiensibus pacti, urbem cum mœnibus dirutam solo æqvarunt. qvasi verò externi homines, qvid esset discriminis inter civitatem & urbem, qvod vix Romani omnes noverant, intelligerent. Impostorum id qvidem modo circumvenire est: non gravium virorum more ingenuè pacisci.

Turpibus in factis pactum rescindi salvâ fide potest.

Nec enim fidei religio sceleribus, nec obligatio verborum flagitiis fovendis inservire debet. Pacem cum Jugurtha à Consule Albino factam, à senatu rescissam non vehementer damno. Parricidam enim duorum fratrum cædem impunè ferre, & præmium sceleris qvietum regnum habere, decorum non erat. Nec qvam avaritiæ mancipatus consul pacem hosti vendiderat, ratam habere patrum consessus debuit. Turpis enim causa interveniens, Consulis factum non consulare rescidit. Aliis in rebus, etiamsi is qvi negotio gerendo præpositus est mandati fines excesserit, dum intra limites publicæ functionis manserit, acta temerè rescindi non debent. Fidem enim eorum seqventes qvi paciscuntur, in casses non sunt impellendi. Punicâ igitur fide servata ab Annibale fides est, qvi Maharbali per fidem deditos, tanqvam se inconsulto dimissos, contra fidem retinuit. Sophonisbam tamen, Syphacis regis filiam, Masanissæ qvi eam servaverat, ad triumphum ereptam, scriptores Romani non improbant. Nec Syriam per Pompejum Tigrani ademtam, qvam

Pacti rescissio.

Romana conniventia.

victor victo Lucullus concesserat, iidem scriptores in culpâ habent. Nostris enim rebus faventes applaudimus: eorum qvos odimus facta gravior censuræ subjicimus. Qvanquam ut in Pompeji facto multum in Lucullum invidiæ, ita in Luculli liberalitate nonnihil arrogantiæ deprehendo. Regna enim & agros donare, senatus & populi, non ministrorum belli est.

Induciarum hosti datarum fides duci sanctè servanda.

Hic enim, si usqvam alibi, fidei explanandæ campus vel maximus patet. Sed hæc de iis induciis, qvæ sunt angusti loci & temporis, non de spatii largioris induciis, intelligenda. Hæ enim ut religiosè conservandæ; ita non est qvarumvis potestatum eas concedere. Populi enim universi, aut majestatem supremam gerentis unius, autoritati jus illud reservatur. Paucas igitur in horas, vel in exiguum dierum numerum, ad innoxia qvædam negotia, otium & à periculis qvietem largiri duces poterunt. Bellum in multos annos suspendere, aut ubiq; locorum pacem seqvestram introducere, populo non consentiente iis negatum est.

Induciarum copia.

In jure impunitatis dandæ, deditionis acceptandæ, & similium rerum, astringendam esse interpretationem, periculosè dicitur. Si enim conditionem deditorum populus & senatus duriorem faciet; fides bellum gerentium vacillabit, & alii ad se dedendos tardiores fient. Aut igitur libera ejusmodi legum ferendarum duci concedenda potestas; aut leges deditionis faciendæ à summis pote-

Interpretationis astrictio.

potestatibus petendæ. Qvanquam rectè qvidam sibi caverunt, formulâ conditionibus adjectâ, ita ratum futurum, *si populus Romanus censuisset.* Sic enim & à fidei redarguendæ suspicione se absolvunt, nec in reprehensionem senatus & populi incurrunt.

Tacita etiam belli fides, ad qvam silentio obligamur, puplicè & privatim colenda.

Non enim verbis tantùm, scriptis vel enunciatis, sed qvovis hominum consensu in rebus contrahendis convenitur. Tacita fides.

Tacita fides est vel universi utrinq; populi, vel singulorum cum singulis aut cũ universis.

Speciem prioris generis in tacitis induciis proponimus: qvales inter Athenienses & Corinthios, bello Peloponnesiaco suspenso, fuerunt. Induciæ sine pacto. De qvibus Thucydides: Κορινθίοις δ' ἀνακωχὴ ἄσπονδος ἦν πρὸς τοὺς Ἀθηναίους. lib. V. Alia species in colloqvio, de conventione pacis petito, habetur. Colloqvii fides. Qvo tempore aut admittendi sunt qvi veniunt, aut certè postqvam admissi non lædendi. Cæsaris facinus, Cæsar. Usipiorum principes de pace in castra ejus venientes retinentis, & nudum consilio eorum exercitum invadentis, defendere non ausim: nisi priores Usipii colloqvium de pace, immisso in Romanos eqvite, rupissent. Usipii. Ægrè Majoris Africani factum defenderim: qvi per speciem legatio- Scipio.

nis de pace castra Syphacis incendit, eoq; terrore confusum exercitū ejus universum delevit. Nam ut venientes ad colloqvium lædendi non sunt: ita nec admittentes colloqvium offendendi. Et hic tamen Scipio inviolatam fidem, etiam ergà fidem non colentes Carthaginienses, levioribus in negotiis servaverat. Nimirum, qvod de Publicola Livius, *In parvis rebus negligens ultor, gravem se ad majora vindicem servabat.* Et, qvod ad Scipionem ipsum Fabius: *Fraus fidem in parvis sibi præstruit, ut cum opera pretium sit, cum mercede magna fallat.* Est tamen qvo culpam magni viri obtegam: fœdifragum hominem, & societatis fœdera in arma hostilia transferentem, non alio modo ulcisci dignum judicabat.

Lib. 2.

Lib. 12.

Ficta pacificatio.

Specie colloqvii tempus ad augendas vires sibi protrahere, hostem à belli consiliis avertere, nec ab usu militari, nec à fide recedit. Ut enim locum pugnæ aptum hosti præripere, ut ventos & solem ei obvertere, ita & tempora intercipere licebit. Qvod enim in familiari pacifici temporis consvetudine turpiculum habetur; in hoste, modò absit perfidia, non vituperatur. Qvi istam temporum captationem flocci faciunt, animi excelsi magis & gloriæ bellicæ laudem affectant, qvam liberiori armorum juri qvicqvam præscribunt.

Perfugæ.

Singulis vel à singulis tacitæ fidei servandæ, speciem illustrem in perfugarum transitionibus & receptionibus habemus. Transfugas enim recipere, tuto præsidio locandos, receptæ gentium consvetudinis est. Alia res est, si qvi magno numero, ad levandam urbis obsessæ famem, castris obsidentium impinguntur. Hos enim in locum

obsidione cinctum repellere, ut per inutilem turbam inedia ingravescat, contra fidem belli non est habendum. Sed perfugarum primum munus est: arma in conspectu hostilium stationum abjicere. *Nemo in castra hostium transit, nisi projectis armis suis:* inqvit Tertullianus. Alterum & isto ponderosius est: fidelem se erga recipientes & fidem habentes præbere. Sinonem enim, fictâ ad Trojanos transitione Græcis urbem hostilem prodentem, qvi in theatrum producunt poëtæ criminantur. Zopyrum Babylonios Dario, Sextum Tarqvinio patri Gabios acqvirentem, solertiæ magis qvam fidei admiramur. Qvò enim fides eorum ardentior in suos videtur, eò perfidia in hospites illustrior. Gravibus tamen bellorum ducibus genus illud strategematis, ut fructuosæ astutiæ, vehementer allubescit. Hosti enim immittere, qvi perfugarum specie vel situm castrorum & consilia hostium explorent, vel à tergo pugnaturis insistant, jacentes urgeant & præcipitantes propellant, novi non est inventi. Illud qvæsitu non indignum videtur: Qvid David à Palæstinorum rege contra Israëlitas eductus, fide inter patriam & regem hospitem nutante, facturus fuisset: Populum enim Dei oppugnare; impium, & votis ejus contrarium. Regem amicum, hospitium & tutelam præbentem, custodiæ suæ præponentem, à tergo adoriri, vel in discrimine pugnæ deserere, amicitiæ & fidei juri repugnabat. Sed nodum hunc, temporibus Davidis insolubilem, Deus ipse incîdit: qvi mentem Davidi diffidentem & adversum Principibus, qvo honestè à castris dimitteretur, injecit.

De Spectac.

Fides perfugarum.

1 Sam. 29.

David hæsitans.

Signa qvædam ex more gentium tacitam fidem invitant.

Ea sunt vel deditionis plerunq; vel petiti colloqvii. Deditionis faciendæ signa, scuta & vexilla inversa vel submissa apud Romanos; herbæ porrectio apud Germanos antiqvitùs; hastarum erectio apud Macedonas, manuum post tergum complicatio apud Persas, apud alias nationes, vittæ & olivarum rami porrecti. Colloqvii petendi signum Scandinaviis populis olim succesus ignis fuit: hodie passim vexilla candida pinnis murorum, vel rostris bellicarum navium, præfiguntur. Sunt & vexillorum colores, ad celerem deditionem invitantes, aut non evitandam internecionem denunciantes. Scytha Timurus primo obsidionis die vexillum candidum, altero puniceum, tertio cinericium obsidendis prætendit. Illo se dedituris gratiam, hoc cunctaturis cædem, isto pertinaciter resistentibus urbis interitum minabatur. Nec defuit vel properantibus deditionem gratiæ, vel repugnantibus barbaræ sævitiæ fides.

Fidei tesseræ.

Tamerlan.

Illud postremò monendum, & cum principio finis conglutinandus: saltem raptoris orbis Timuri exemplo, fidem promissorum medio in armorum strepitu sacrosanctam tuendam. Porrigendam cum Julio Cæsare *dexteram, non tam in bellis & in prœliis, qvam in promissis & fide firmiorem.* In omni deniq; vitâ, etiam juramento amoto, ne religione potiùs qvam veritate fides constricta videatur, verba cum pondere proferamus.

Ad fidem exhortatio.

Cic. pro Dejotaro.

CAPUT

CAPUT IV.

DE REPRÆSALIIS, ET MERCIUM IN BELLO SUBVECTIONIBUS IMPEDITIS.

VIS & illatio manuum bellorum maximè propria.

Ea est vel levior, in belli illati immunes; vel terribilior, in hostem declaratum.

Levior & vitæ parcens manuum illatio, vel pacis fit vel belli tempore.

In pace viget Repræsalia, id est, imaginaria qvædam belli, bonis insontium justitiæ titulo attentis, expressio.

REpræsaliæ nec res nec verbum Romanâ in historia extat: nec rei ullum vestigium apud scriptores Græcos deprehendo. Nam ἀνδροληψία, & ῥύσια diversæ formæ, ut suo loco videbitur, vindicationum genera sunt. A Germanicis nationibus, in meliores Europæ & Africæ terras multiplici examine se infundentibus, & suam cum La-

Repræſalia. tinâ lingvâ lingvam confundentibus, vox orta mihi videtur. Preiß Germanis præda eſt: preiß machen/in prædam convertere. Francis, Germanicæ originis in Galliâ nationi, *prijer* capere: unde *priſon*, carcer, captorum qvædam cuſtodia. Ergo *repriſer* repræſare, qvaſi recapere ſive recipere, eſt in ultionem rerum non redditarum capere. Niſi à prædando, qvaſi repr ædari, & repr ædatio, malis deducere. Maximè cum lubrica ſit literæ D in conſonam ſibilantem delapſio, & cum eâ vicina variatio. Norunt ii, qvibus Græcorum dialecti non occultæ. δεὺς, qvod cum tempore obſolevit, in obliqvis caſibus ſervatum: ζεὺς, doricè σεύς. undè Spartanorum jurandi formula: τὼ σιώ. Unde etiam Sibylla, qvaſi σιὸς, id eſt, διὸς, βουλὴ, jovis conſilium & ſapientia. Et ſic in multis aliis. Et in Sarmaticæ lingvæ dialectis, qvod alii per D, Poloni ſibilo adjecto, & tandem literâ dentali excluſâ, pronuntiant. Si qvi tamen etiamnum à reprehendendo, ſive reprendendo, vel etiam à premendo & reprimendo, barbarę actionis barbaram vocem derivant; per me ſuo ſenſu fruantur.

Etymon vulgatum.

Repræſalia eſt violenta juris aſſeqvendi, ob denegatam aliunde juſtitiam, invadendis nihil debentium facultatibus, aſſecuratio.

Jus Repræſaliæ novum. Alium luere qvod alius commiſerit, expendere qvod æs alienum alius contraxerit jura naturæ non admittunt, divina prohibent. Ne ad jus gentium

tium qvidem, qvod usu humanarum necessitatum exigente constitutum, rectè provocabitur. Nam qvod veteribus ignoratum, qvod nec hodie passim nationibus recipitur, juris gentium dici non meretur. Nec civilibus qvidem Romanarum legum sanctionibus, & Justinianéis edictis, illam juris imaginem tuebimur. Aut enim incognita Romanis illa consvetudo fuit, aut generali pignorationum pro aliis interdicto in Novellâ Justiniani vetita. Qvod si eodem Romanorum jure nullus ex vicanis pro alienis vicanorum debitis tenetur: qvanto iniqvius, qvæ nomina Aqvitanus fecerit, Picardum expungere. Rerum commercia auferentur, si ea peregrinandi & in alienâ regione negotiandi feretur conditio. Laudatur vox Theodorici, Gothorum in Italiâ regis æqvissimi: fœdam esse licentiam alterum pro altero pignorandi. Qvalis igitur licentia, qvali jure fundata, alterius pro altero bona in totum auferendi? Lege porrò civili cautum est: Ne uxor pro marito, ne maritus pro uxore, ne filius pro patre, pater vel mater pro filio conveniantur. Qvantò graviorem in censuram incidet, Gallum pro Gallo, Scotum pro Scoto conveniri? Nam nec qvod singuli debent, universitati impingitur: ac ne qvidem qvod universitas debet, à singulis exigitur. Defuncti Prolepsis. qvidem debita hæres & bonorum successor in se recipit: sed nimirum qvia successio lucrosa, qvia cum oneribus bona relicta transeunt, qvia eadem cum defuncto persona hæres censetur. Hanc ad externum rationem applicare, fuligine novum parietem dealbare est. Qvo igitur jure Repræsaliæ nitentur, si naturæ & Dei sanctione exclusæ, ne

gentium qvidem aut civilis juris postica admittuntur?

Alia prolepsis. Exempla, inqvies, non desunt eorum, qvi repræsaliis iis, publico nomine concessis, utantur. Cic. Phil. pp. 8. In promtu esset illud oratoris regerere: *Non exempla majorum qværenda; sed consilium est eorum, à qvo ipsa exempla nata sunt, explicandum.* Qvo igitur consilio, qvid secuti nonnulli, tam violentam juris executionem in pace concesserunt? Rapere qvidem in bello, sed & occidere, concessum: utrumq; pacis tempore negatum. Multos Joab militiæ, multos David interfecerat. 2. Sam. 3. v. 29. 1. Reg. 2. v. 5. Sed qvod pacifico tempore unum & alterum Joab jugulaverat, à Davide rege execrationi, & tandem supplicio, devovetur. Et tamen Abner & Amasa, regi priùs qvàm Joabo injustè inimici, non omnis culpæ immunes erant. Dissimile. Præterea in bello virium qvâdam exæqvatione, sui per virtutem defendendi copiâ concessâ, machinæ machinis, spicula spiculis minantur. Qvam habet æqvitatis rationem, qvam roboris ostentationem, inermem aliqvem negotiatorem, alieno in regno cum mercibus deprehensum, armatâ publicè autoritate spoliare?

Objectio. Locum habet hæc executio, inqviunt, ubi jus denegatur. Si istâ ratione debitor ad exsolvendum qvod debetur cogi poterit: non prorsus iniqvas literas Marcę censeo. At si res intricata negligitur: gravior commissionis ab istâ, qvam ab illâ parte omissionis injuria censebitur. Lib. 3. *Crudelitatis odio in crudelitatem ruitis:* inqvit vir consularis apud Livium. Vos defensores violentiæ, odio neglectæ justitiæ in apertam injuriam pleno gradu incediti. Concessio. Sit juris executio alicubi negata; sit contra jus

alicu-

alicubi judicatum: qvi absolutus est, naturâ debitor permaneat: habeant etiam exteri jus aliqvod injurios cogendi. Pœna nocentes adeat: innoxios prætereat. Ita suis coactio faveat; ne jus commune hominum violet. Aristodemum adferunt; Cumis Romanorum naves pro bonis Tarqvinii detinentem. Sed hi Romani non pro alienâ culpâ, sed facti sui rationem reddituri, tenebantur. Omnes enim cives direptionis Tarqvinianæ participes, communem culpam publico damno luebant. Sin justa ea direptio, Tarqvinio antè tyranno, nunc & proditoriè legationi perturbationem miscente: injusta Aristodemi tyranni pro tyranno molitio, in exemplum justè factorum non abibit. Tenuerat qvidem patres ea consultatio, ne bona Tarqvinii non reddita, belli causa; reddita, belli materia & adjumentum essent. At postqvam hostilia specie legationis Tarqvinius molitus erat, omnis dubitatio patribus & plebi ademta. Nihil igitur vel rationes adductæ, vel exempla de jure repræsaliarum, nobis persvadent. Sive igitur clarigerationes, sive pignorationes & arresta, sive repræsaliæ dicendæ: patrocinium iis meum, dum clariorem causæ lucem perspexero, denego.

Solutio. Objectio alia. Solutio. Liv. l. 2.

Alia violentæ in pace executionis forma est, virorum pro impunè occiso captura.

'Ανδροληψίαν Attici, apud qvos illa exeqvendi species viguit, & ἀνδρολήψιον vocarunt. Sed hanc à jure repræsaliarum diversam esse, lex Attica reci-

Ἀνδροληψία.

tata monstrabit. *Si qvis morte per vim illatâ obierit, pro eo necessariis jus esto viros capiendi, donec aut pœna cædis sumatur, aut cædis autores dedantur: captura autem trium hominum numerum non excedat.* Primùm jus hoc est civile unius civitatis: & civitatis qvidem multa ad libidinem popularem agentis. Jus autem repræsaliarum gentium esse juris, & in naturâ fundatum, volunt. 2. In cæde impunè commissâ, non in debito nondum exsoluto, qvæstio versatur. 3. Causa non vindicatæ cædis, aut ad pœnam rei non dediti, ad bellum inferendum sufficit: qvod de ære alieno, per unum hominem uni non persoluto, ægrè dixeris. Herodotus belli Trojani & Medici Græcis causam ex ἀνδροληψίας, vel γυναικοληψίας potiùs, exortã esse svaviter commentatur. Io Inachi filia à Phœnicibus rapta, ansam Græcis Europæ rapiendæ dedit. Medéa per Jasonem Thessalum abrepta, occasionem Paridi Helenæ avehendæ porrexit. Hinc Ilio deleto exacerbatis animis, Persæ in Græciam excidium Trojæ altum venerunt. Sed qvam distantia tempore, qvam loco distantia conjungit! Qvid Colchis cum Phœnicibus, aut qvid cum Trojâ Persis? Alias mulierum raptarum causas poëtæ, alias expeditionis Persicæ historici commemorant. Si ita in limite Herodotus impingit, quantum in progressu operis narrationum portentis fidei habendum? Jucunditatis in sermone majorem ille qvidem, qvam veritatis, rationem habere in multis videtur. Sed hæc in transitu: qvod ad præsentem rem spectabat; neq; ἀνδροληψία multarum gentium fuit, neq; repræsaliarum causam exemplo suo sublevant.

Herodoti somnium in Clejo.

Multò

Multò minùs illud qvod de Agesilao, Pharnabazum bello premente, Grotius adducit. *Cum & tu esse velis inter ea qvæ regis sunt, jure per te illum lædimus:* ut apud Xenophontem habetur. Nam hæc & in bello, & in hostem declaratum, Agesilai actio fuit. Nec qvicqvam tamen in eo bello justitiæ, qvod in Pharnabazum amicum, in regem nuper socium, nullâ irarum causâ interveniente, susceptum gerebatur. Nec omne qvod exemplo fit, id etiam jure fieri putandum. Cum præsertim cupiditas, priorum factis irritata, multum de suo adferat. Cautè igitur in dictis & exemplis antiqvitatis, ut in loco offensionum & salebrarum pleno, gravissimarum rerũ scriptori versandum. Grotii in allegando lapsus.

Propiùs ad belli formam accedit reciproca pecorum & armentorum abactio.

Ῥύσια Græci spolia qvæ secundo loco, & in damni resarcitionem fiunt, & actionem ipsam ῥύσια ἐλαύνειν, vocant. Si vocis originem spectes: nihil aliud nisi abactorum liberatio indicatur. ῥύσια. Ῥύεσθαι enim liberari est: qvanquam & trahendi qvandam significationem habet. Præter Homerum & antiqvitatem, utitur & Josephus ea voce: Herodem, pro bello Arabibus illato, potuisse per ῥύσια, sine sangvine nimirum & agri vastatione, damnum acceptum resarcire. Cæterùm obvia passim & antiqvissima armorum capiendorum causa, abactus pecorum. Ad qvam Achilles apud poëtam provocat: nullam sibi belligerandi cum Trojanis intervenire causam. Iliad. α.

Οὐ γὰρ πώποτ' ἐμὰς βοῦς ἤλασαν, οὐδὲ μὲν ἵππους.
Non mihi namque boves & eqvos rapuere priores.

Illud non dissimulandum: ῥύσια aliqvando vocari spolia post clarigationem reddita. Unde ῥύσια κατ-αγγέλλειν, condicere, bona ablata per edictum & cum belli comminatione repetere. Sed satis in hoc opere, qvod rebus expendēdis insumitur, Grammaticationum.

Belli tempore vis belli expertibus illata, vel in vicinos qviescentes, vel in negotiantes cum hoste committitur.

Vicini, neutri belligerantium parti adhærentes, partim agrorum incursationibus vel tributorum exactione, partim molestis hybernaculis gravantur.

Rarò ferocia militaris ita continetur, ut non malorum belli partem gentes qvietæ sentiant. Pleraq; tamen, vel ignorātiā summorum ducum, vel conniventiā qvadam contingunt. Singulare nationum Teutonicarum odium Mendoza, regius Belgicarum legionum & regionum præfectus, in se & nomen suum concitavit. Hic enim provinciis sibi commendatis parcens, hybernis in trans

Mendoza.

in trans Rhenanas Germaniæ partes locatis, nec avaritiæ modum nec insultantis fastus noverat. Oppida superbis præsidiis tenebantur: agri direptionibus sqvalebant: oppidani cum ruricolis exactionum gravitate premebantur. Nec imperii qvod Romanum vocant expostulationes, nec Cæsaris amica interventio, nec principum Germaniæ armata conjunctio qvicquam valebant. Finem injuriæ satietas, cum hoste vigilante occupatio, & tandem prœlium Neoportense & carcer Woerdanus imposuit. Ne Batavorum qvidem, Belgæ. qvamvis in bello continentiorum, limitanei præfecti semper cupiditatem suam coërcuerũt. Qvatenus direptionibus, aut militarium globorum immissionibus, abstinebant: dona per amicam necessitatem, statutis temporibus offerenda, exigebant. Id jus vicinitatis, per amicabiles collationes colendæ (Būrschap houden) vocabant. In his & similibus belli non belli actionibus illud Latini Comici locum habet: Plaut. Mercat.

Aliqvid mali propter vicinum malum:

qvod non tam juris qvam facti executione nititur.

Negotiantium cum hoste merces advectas intercipere, corroboratæ gentium consvetudinis est.

Qvæ consvetudo jus internum, & inculpatam exactæ rationis normam, non semper comprobat. Non enim nova est qverela sapientium, con-

tra recepta hominum facta pro ratione stantiur. *Vivimus ad exempla: nec ratione componimur, sed consvetudine abducimur. ——— recti apud nos locum tnet error, ubi publicus factus est.* Qvod si cum Aristotele & ipso Macchiavello exceperis, plus multitudinem qvam paucos sapientes cernere; si Omnqvam Unum acutiùs videre dixeris: ab Annanostro instabitur. *Non tam benè cum rebus humangeritur, ut meliora pluribus placeant. Argumentum pessimi turba est.* Atqvi non vulgus tantum & nescrerum turba hominum, sed omnium temporum reges & dynastæ, qvorum est bella gerere, ita judcaverunt. *Vulgus autem tam chlamydatos qvam cornatos voco.* Non enim vel honorum vocabula, vdignitatum insignia, sapientiam repentè conferunt: & in sapientum congregatione æqvè Midaac Irus vulgi loco censetur. In legitimis igitur beli & pacis actionibus, nec non in omnibus humani generis operationibus, ad mentis defæcatæ puritatem, non ad turbæ persvasionem provocandum. Mentis igitur è statu non commotæ tribunal, Neminem injuriâ non lacessentem lædendum; & Omnium in omnes liberum esse commercium, dictabit. Qvorsum enim, si vicini inter se litigent, si armis de jure inter ipsos controverso disceptent, malorum particeps imminuendo mercaturæ cursu, de jure meo discedam? Armis Hispani & Belgæ concurrant: pateat ad utrosq; Anglorum navigatio. Arma modò in Prussiam & Poloniam, modò in Daniæ insulas & continentem, Leo septentrionalis circumferat. Mari& portus Batavis & Caninefatibus, negotiationmaritimâ viventibus, non interçludantur. Non enim

Seneca Epist. 124.

Consvetudinis vis tyrannica.

De Vitâ Beatâ.

c. 1.

Vis injusta.

enim ad unius bello furentis nutum orbis humanus circumagendus: sed potiùs unus in moderationis gyrum, cedendo gentium consensui, ducendus.

Est tamen aliqva qvæ nationes, peculiari armorum jure utentes, si non ad plenum absolverit, specie tamen aliqvâ ratio moverit. Nec sanè, ut qvi operas in scripturâ pro magistro dat, exactam belli gerendi rationem imperator habere poterit. Qvà spes aliqva conficiendi negotii ferit, qvà publica utilitas non exclusâ omni honesti specie ducit, seqvitur. Omninò per omnem vitam *In Omnibus seculis pauciores viri reperti sunt, qvi suas cupiditates, qvam qvi hostium copias vincerent.* Qvod autem bello ardente, qvod publicâ utilitate alliciente, qvod blandiente victoriæ voto cupiditate datur: laudem apud suos, non reprehensionem, sectatur. Illud enim summi consilii, Curandum neqvid respublica detrimenti capiat, non tantum in cives communis otii perturbatores, sed in qvosvis etiā externos intelligitur. Si igitur armorum in hostilem regionem, si commeatuum, si pecuniæ invectio reip. detrimentum aliqvod, morando belli exitu, vel confirmando in nos hoste, allatura est: boni militiæ ducis non videtur, eam rem in negligendis habere. Atq; hæc sola sunt tempora, qvibus avertendi vel invadendi aliena plaustra vel navigia, facultatem jura in manus porrigunt. Nec vituperio uni bellanti datur, qvod juris gentium consensus fecit. Qvò minùs igitur in his rebus cupidè agitur, tantò major est temporum & necessitatis excusatio. Qvapropter laudanda est continentia eorum, qvi capta amoto damni metu re-

Rigoris emollitio.

Cic. ep. familiar. lib. 15. ep. 4.

Violentiæ justificatio.

Restrictio.

ſtituunt. niſi ad deterrendos alios, & impedimenta qvam primum amovendâ, ſeveritate opus fuerit. Ita Demetrius Antigoni filius, & Romanorum Cnæus Pompejus, crudelitatis crimine fortaſſis purgantur. qvorum ille navis magiſtrum cum gubernatore, Athenis circumſeſſis frumentum advehentes, in propatulo ſuſpendit. hic mercatores in Boſphorum tendentes, metu mortis intento, ne qvâ re Mithridatis factio adjuvaretur, abſterruit.

Exceptio. Qvæ voluptati inſerviunt merces; ut ſunt naviculæ luſoriæ, ſericæ veſtes, hiſtriones & omnes ſcenæ artifices; minus periculi aut invidiæ habent. Poteſt tamen tempus incidere, qvo ne talia qvidem deliciarum genera admittere, ex uſu obſidentium ſit. Ut ſi obſeſſi molliuſculè educati, talium rerum deſiderium non ferant: ſi cum voluptate conceſsâ ſervire, qvam duriter vivere in libertate malint. Nutu enim temporum hæc talia gubernantur: ad qvem circumagi virum prudentem, & rebus applicare conſilia, non pœnitendæ ſolertiæ eſt.

CAPUT V.

DE TRUCULENTIORI BELLI VIOLENTIA.

Juris incertitudo. JUris in univerſum, & virtutum ipſarum dijudicandarum, tam intricata ratio eſt, ut Ariſtotele judice ab hominum magis inſtituto, qvam à naturâ pendere videatur. Ethicor. Nicom. l. 1. Τὰ δὲ καλὰ καὶ τὰ δίκαια, περὶ ὧν ἡ πολιτικὴ σκοπεῖται, τοσαύτην ἔχει διαφορὰν καὶ πλάνην, ὥστε δοκεῖν νόμῳ μόνον εἶναι, φύσει δὲ μή. Qvod de belligerandi jure, ſive ſuſcipiendo ſive gerendo in

bello, audaciùs pronuncies. Oceanum calamitatum, & furiarum injustitiæ laxatum claustrum, non inconcinnè bellum dixeris. Et tamen virtutis nomen summæ immanitati, juris, horrendæ iniqvitati imponitur. Leviculâ vel sæpè nullâ de causâ concurritur: agmina virorum sternuntur: extra prœlium nec sexui imbelli, nec ætati infirmæ parcitur. Agri & segetes vastantur; urbes & pagi diripiuntur: sacris & profanis operum monumentis ignis injicitur. Multorum seculorum facta, ævi futura ornamenta, horæ momento pereunt. Belli furor.

Ὡς ἔρις ἔκ τε θεῶν ἔκ τ' ἀνθρώπων ἀπόλοιτο
Καὶ χόλος, ὅς τ' ἐφέηκε πολύφρονά περ χαλεπῆναι.

Lis utinã divos hominumq; relinqveret arva,
Iraque, qvæ sanos facit insanire furore.

inqvit Achilles Homericus. Qvid servitutes & compedes, multis truculentâ morte acerbiores; qvid pudicitiam virginibus ereptam, egregios belli fructus, commemorem? Qvid tandem scelera & flagitia vocabimus, si istic virtus commoratur? ubi locorum injuriæ domicilium qværendum, si hic justitia pedem & sedem fixit? Nimirum, ut nos docet Aristoteles, κατὰ τὸν δεύτερον, φασὶ, πλοῦν, τὸ ἐλάχιστον ληπτέον τῶν κακῶν. *Qvod est proximæ post secundam navigationis, minimum malorum eligendum est.* Cùm portum obtinere neqveas, fortiter cum fluctibus & sapienter luctandum. Ubi serenitas pacis negatur, belli tumultus in occasionem prudentiæ vertendus. Capistra belluæ torqvendæ, qvæ tota à cervicibus averti neqvit, injicienda sunt. Qvi saginandus est sangvine Minotaurus, ne se in promiscuam sæviendi libidinem effundat, Iliad. 18. Belli necessitas Nicom. lib. 2. Belli constrictio.

legum qvendam in labirinthum coërcendus. Ne illa Aboriginum vita, de qvâ Lucretius, redeat.

Nec commune bonum poterant spectare, neque ullis
Moribus inter se scibant nec legibus uti.
Qvod cuiq; obtulerat prędę fortuna, ferebat,
Sponte suâ sibi qvisq; valere & vivere doctus.

Naturalium libro V.

Nullum sæviendi in bello modum leges imponunt.

At humanitatis consideratio, & vicissitudinis rerum mortalium respectus, & faventis præsentibus fortunæ moderatio modum imponit. Ita ut illud Senecæ in tragœdiâ locum & hic habeat: Troad.

Qvod non vetat lex, hoc vetat fieri pudor.

2. Reg. 8. v. 13. Gloriosum magno Syrorum duci videatur, urbes munitas igni delere, juvenes ferro prosternere, infantes & lactentes saxis allidere, prægnantes diffindere. Illud etiam cum excusatione dicatur: Seneca Troad.

——— ——— ——— sed regi neqvit
Et ira, & ardens hostis, & victoria.

Fortitudo sedata. Plus masculæ virtutis & verè militaris eos consectatur, qvi extra aciem & armatorum occursum ferrum vaginâ cohibent. Sumantur bella, si pacem tuum alio modo conseqvi neqveas: exitus bellorum sint aut mites aut necessarii. Ac nescio qvo modo cum verâ fortitudine serenitas animi noscetur: crudeles iidem habentur, qvi aut fordulosi sunt, aut barbari. Continuata Romanorum, priscorum inqvam, bella legas: qvid iis prœlio ferocius, qvid extra prœlium mansuetius?

Id

Idem de Græciâ antiqvâ dixeris: & ante omnes de Lacedæmoniis, qvi ne in fugam qvidem conjecto hosti instabant. At Siculi eodem tempore, ignava bello natio, nec nisi Spartanorum & Thebanorum manibus victrix, Atheniensibus usq; ad exitium, si per Spartanos licuisset, institit. Nec Thracibus, immanitate barbaris, laudis commemorationi datur, ludum puerorum literis operatorum cæde madefecisse. Qvamquam simile junioris Toletani, Naerdensi in strage, factum refertur. Germanam etiam Tartariam sapit, & latronis magis qvam gloriosi regis facinus, Timuri inaudita crudelitas. qvi obvios ad se placandum, cum libris & hymnis, pueros immisso eqvitatu protrivit. Nec parum virtutum suarum memoriæ Germanicus detraxit: cui improviso adortu Germanos invadenti, *non sexus, non ætas miseratiönem attulit.* Non ita Tiberio visum: qvi in eâdem Germania plus moderatione & consilio, qvam terrore & armis confecit. Qvendam ex annalium memoriâ, qvales fuerunt Scipiones & Camilli, se esse Tiberius affectabat: qvod multò magis lenitate etiam in victos, qvam asperitate morum & truculentiâ, conseqvebatur. Qvi igitur animo non sunt hostili, vel à qvibus nihil propter infirmitatem metuendum: ab iis ferrum, nisi qvid tempora aliud svadeant, abstinendum. Pyrrhum, liberos ante parentum ora trucidantem, & ipsum senili ætate Priamum ante aram mactantem, non probaremus: nisi grave Trojæ, peccatis multis inqvinatæ, excidium in fatis fuisset. De qvo ipso excidio graviter Herodotus: ὡς τῶν μεγάλων ἀδικημάτων μεγάλαι εἰσὶ καὶ αἱ τιμωρίαι παρὰ τῶν θεῶν. Ma-

Timor crudelis, & barbaries.

Tac. An. 2.

Tiberii moderatio.

Trojæ fatum.

Euterpe.

gnis injuriis magnæ à Diis pœnæ infliguntur. Dei igitur, enormiâ delicta humanâ manu punientis, hæc opera, mortalibus non temerè imitanda, censeantur. Qvo etiam illud piorum in captivitate, de Babyloniorum infantibus petræ allidendis, votum refero. Qvid de iis, qvi nobiscum sentientes hostili in præsidio deprehenduntur, censendum? Si parci iis per oppugnationem commodè non poterit: saltem necessitas mitioribus verbis excusanda, & exitu belli benignè in eos utendum. Plena imperatoriæ gravitatis Totilæ ad Neapolitanos oratio: *Non ulla de vobis qverela nostra, ne dum ullum crimen vestrum, Neapolitani, nos in hanc obsidionem traxit: sed cupido liberandi vos ab infestissimis dominis, ut hoc officio gratiam rependeremus iis qvæ hoc bello egistis, qvæq; ab hostibus passi estis. Vos enim Italorum propè solos benè Gothico nomini voluisse, neq;, nisi nolentes, subiisse hostile jugum, rebus ipsis apparuit. Qvare & nunc, cum vos Romanis permixtos obsidere cogimur, fidem vestram erubescimus, qvanqvam non in vestrum malum susceptus est hic labor. Neq; vos, obsidionis vexati incommodis, ob id Gothis irascendum credite. Non debent enim, qvibus propositum est amicis prodesse, culpam eo nomine sustinere, etiamsi ad beneficium nisi per eis ingrata pervenire neqveant.* &c. Sed qvis obsidionis cœptæ, qvis capti oppidi eventus? *Totilas, captâ Neapoli, in victos humanitatem exercuit, qvalem nemo à barbaro, nemo ab hoste exspectaverit.* Ipsos in Romanos devictos benignitate singulari usus, cibum famelicis modicè primùm & medicè, deinde largiter suggerendo; qvâ non in socios fide obstrictos usum credamus? Ne tamen Romani recepto oppido, fisi munimentis, Gothorum rebus incom-

Psalm. 137.

In hostes non hostiles.

Procop. Hist. Goth. lib. 3.

Totilæ mitis in bello animus.

incommodarent, dirutis Neapolis mœnibus digreditur. Ita enim deditiorum saluti consulendum, ne gladium iis in manibus, qvo & nos lædamur & ipsi pereant, relinqvamus. Gothorum qvidem præsidio Neapolim munitam custodire satius fuerat: sed Totilas aperto æqvis in locis prœlio certare, qvam circa muros clausos luctari, promtior erat.

Si hostem omninò exscindere, aut gravi aliàs incommodo afficere, propositum: amici hostibus immixti discessionis faciendæ maturè admonendi. Ita Saul Amalecitas hæreditarios hostes excisurus, Kenitas ut ex eo loco abscederent hortatus est. Æqvitatis apertioris est, etiam hospites & peregrinos, etiam oppidanorum qvi velit, ante cœptam obsidionem discedere permittere. Qvâ lenitate in obsidendâ Epidamno usi Corcyræi, προεῖπον Ἐπιδαμνίων τὸν βουλόμενον, καὶ τοὺς ξένους ἀπαθεῖς ἀπιέναι. εἰ δὲ μή, ὡς πολεμίοις χρήσεσθαι. *Qvi Epidamniorum velit, unà cum peregrinis, indemnem abire proclamaverunt. secus, hostium eos loco futuros.* Qvæ res in oppido non fame & morâ capiendo, defensorum multitudine exhauriendâ, bellicæ etiam solertiæ est.

Saul. 1 Sam. 15. v. 6.

Corcyræi. Thucyd. lib. 1.

Qvid in captivos & supplices licebit? Etsi sunt illi meritò cum spe salutis: non sunt omninò sine curâ venientis incommodi. Romani non misericordiam semper, non juris æqvitatem; sæpiùs utilitatem in conservãdis captis, ante oculos habebant. Innuit Horatius versibus, non multis illis qvidem eloqventiæ luminibus, multæ tamen attentionis.

Captivi. Epist. 17.

Vendere cum possis captivum, occidere noli.
Serviet utiliter: sine pascat durus, aretqve.
Naviget, ac multis hyemet mercator in undis:
Annonæ prosit, portet frumenta, penusq;.

Ergo fructum in servis non occidendis Romani, non ullam legis necessitatem, spectabant. Qvod & Seneca Tragœdiarum scriptor fatetur:

Troad.

Lex nulla capto parcit, aut pœnam impedit.

Qvo id è fundamento? eo, ut idem autor innuit;

Qvodcunq; libuit facere victori licet.

Frustra acerbi victoris auribus occinitur:

Minimum decet libere, cui multum licet.

Qvà libet, non qvà fas est, victor superbus graditur.

Me tamen, vel potiùs humanitatem, si audiant: neq; dissolutè qvicquam remittant, neq; crudeliter miserorum fortunam insectentur. Non est magni animi, insultare jacentibus: premere & affligtare afflictos, magni non est animi. *Est enim ulciscendi & puniendi modus. atq; haud scio, an satis sit, eum qvi lacesserit, injuriæ suæ pœnitere: ut & ipse neqvid tale posthac committat, & cæteri sint ad injuriam tardiores.* Supplicibus igitur, captivis, & sine conditione deditis parcere, ultione superior humanitatis ratio svadebit. Nam iis, qvi cum conditione in deditionem venerunt, ignoscere fides etiam à nolentibus exigit.

Clementia in bello.

Cic. offic. lib. 1.

Hostem non locus, sed animus hostilis facit, & belli declaratio.

Qvovis ergo loco hostem invadere, invasum inter-

intercipere licet. Nec distingvuntur hic loca privata à publicis, sacra & religiosa à profanis. Scythas, hostilia inter cives Byzantinos facientes, conglobatio armatorum civium in templum cōfugere coëgit. Multitudo Byzantinorum tecto interrupto, è loco superno latrones istos jaculis confixit. qvod multis Christianis, qvasi violatâ sanctimoniâ templi, non probatum. qvorum anxietatem Zosimus, qvi hanc historiam describit, ut superstitioni vicinam, irridet. Sanè ubi sine tumultu & periculo abduci sacris locis hostes aut facinorosi possunt: à pollutione religiosi loci, præter necessitatem committendâ, abstinendum. qvod Jojada Sacerdos, puniendâ Judæorum tyrannâ & stirpis regiæ exstirpatrice, observavit. Joabum vero, ab altari recedere recusantem, qvamvis vi avelli facile poterat, in ipsâ aræ complexione interfici Salomo mandavit. Non enim fas & jura ceremoniis, sed ceremoniæ juri & hominum societati conservandæ cedunt.

In templo cædes.

2. Reg. 11. v. 16.

1. Reg. 2. v. 31.

Illud in qvæstionem venit: An & in territorio alieno hostem à quovis interficere liceat? Duplex est qvæstionis hujus membrum: primum de territorio alieno; alterum de singulorum concesso jure. Pacatâ in ditione, exiguo numero pacatè advenientibus, perfugium meritò præbetur. Sic Scipioni Africano, duabus triremibus ab Hispaniâ Numidiam petenti, Syphacis portus arreptus tutelæ fuit. Sic in Norvegiæ, qvod ipse vidi, portu naves Dunqverqveranæ vi tempestatis appulsæ, cum Batavorum navibus pacatè stationabantur. Exercitus autem integros, vel ad cladem nutantes, territorii sinu recipere, & victorem vel facilè

Locus à bello pacatus.

victurum aditu prohibere, non eſt ex æqvitate belligerantium. Aut enim neutris aditus, aut utriſq; præbendus. Humanitatis qvidem videtur, fractorum commiſereri: ſed juris gentium eſt, alieno juri arbitrum ſe non immiſcere. Et damni ſe ſocium facit, qvi potentiorem, adverſarium ejus defendendo, irritat. Potentiores potētiâ ſuâ, non juris præſcripto, nituntur. Hiſpanorum claſſi, à Belgis fœderatis navali pugnâ affectæ, perfugium Angliæ ſinus præbuit. Hiſpani refocillati:

Duins. Anno 1639. Belgæ victoriam perſeqvi prohibiti. De facto non dubitatur: de facti jure qværitur. Qvod ſi ad proprietatem ditionis & loci Angli provocant ne qvidem in vicino mari, qvod eſſe clauſum ja-ctitant, & promiſcuo hominum uſui exemtum manus conſeri permittere debebant.

Singuli. Apologet. In ſingulorum facto illud Tertulliani, non un loco inculcatum, memoriæ obverſatur: *In re majeſtatis & publicos hoſtes omnis homo miles e* Reorum nomine criminis convictos aut cer manifeſtos; publicos hoſtes, communes gener humani ſtrumas, latrones & piratas, intellig Addunt nonnulli transfugas: qvos, ex autorita

transfugæ Marciani Juriſconſulti, *licet, ubicunq; invēti fuerī qvaſi hoſtes interficere.* Sunt qvi ad quemvis hoſ ditioni ſubditum, ubicunq; locorum deprehe ſum, eam interficiendi licentiam extendunt. E cōfuſionem tollendo, diſtinctione litem dirim

Diſtincuncula. In latrones qvidem & piratas, ubicunq; locor graſſantes, omnium manus armantur. In m ſtatis convictos, transfugas, adde & publicâ au ritate proſcriptos, inter imperii limites impu quovis occidendi facultas tribuitur. Hoſti

pot

potestati subjectum à singulis interfici, & qvidem sacramento non addictis, ne in regione qvidem bellorum tumultu implicatâ civilis moris est. Pompilius imperator tenebat provinciam: in cujus exercitu Catonis filius tiro militabat. Cum autem Pompilio videretur unam dimittere legionem, Catonis qvoq; filium, qvi in eadem legione militabat, dimisit. Sed cum amore pugnandi in exercitu remansisset, Cato ad Pompilium scripsit, ut, si eum pateretur in exercitu remanere, secundo eum obligaret militiæ sacramento: qvia, priore amisso, jure cum hostibus pugnare non poterat. Ipsum etiam ad filium Cato scribens, monet ut caveat, ne prœlium ineat. *Negat enim jus esse, qvi miles non sit, pugnare cum hoste.* Imò ne militi qvidem extra prœlii tempus, & signum ab imperatore porrectum, aut citra speciale mandatum, hostem & qvidem armatum jugulare concedebatur. Qvantò minùs id sibi juris pagani, & qvidem erga inermes, assument. *Cic. offic. lib. 1.* *a. l.*

Ex iis, qvæ dicta sunt hactenus, etiam Mutii Scævolæ, Porsennam suis in castris interficere moliti, factum dijudicatur. Et militabat patriæ, & publicâ autoritate in facinus illud armabatur. Nec confiteri deprehensus à Porsennâ erubuit: *Hostis hostem occidere volui.* Imò gloriæ id sibi appetendæ & conseqvendæ duxit: *Et facere, & pati fortia Romanorum est.* Regemq; minis & terrore instantem, perterrefecit: *Ut sentias, qvam vile corpus sit iis, qvi magnam gloriam petunt.* Qvare & à rege facinus admirante servatus est, & ab ustulandâ manu prohibitus. Porsenâ enim bellum movente, *non tuta solum, sed honorata etiam virtus fuit.* Vir- *Aggressor.* *Liv. lib. 1.*

tutem enim, qvod Assasinatum extra bellum & castra, barbaro & verbo & facto, vocant, magnanimus bellator esse judicabat. Qvare & admiratione Romanorum ductus, obsidione solutâ pacem cum iis pepigit: maximè cum liberam vocem audivisset: *Qvi libertati erit in illâ urbe finis, idem urbi sit.* Et hæc qvidem de Scævolâ, publicâ autoritate munito. Othone pacem Romanorum turbante, imperium Galbæ & vita in extremis versabatur. Subdito falso, de cæde Othonis rumore, *Julius Atticus speculator, cruentum gladium ostentans, occisum à se Othonem clamavit. Et Galba: Commilito, inqvit, qvis jussit? insigni animo ad coërcendam militarem licentiam, minantibus intrepidus, adversus blandientes incorruptus.* Adeò ne in ultimo qvidem discrimine vagam militi, interficiendi hostis atrocissimi, licentiam Romani committebant.

Tacit. Histor. l. 1.

Acerbiùs in hostem animadvertendi causæ qvædam, militaris judicii in officinâ, cuduntur.

Parvulos nobis natura intelligentiæ igniculos, haustos à primo ortu, dedit: *qvos celeriter malis moribus, opinionibusq; depravatis, sic restingvimus, ut nusqvam naturæ lumen appareat. sunt enim ingeniis nostris semina innata virtutum: qvæ si adolescere liceret, ipsa nos ad beatam vitam natura perduceret. nunc autem simul atq; editi in lucem & suscepti sumus, in omni continuò pravitate, & in summâ opinionum perversitate versamur: ut penè cum lacte nutricis errorem suxisse videa-*

Cic. Tusc. qu. l. 3.

Judicii corruptio.

videamur. Cum verò parentibus redditi, id est, magistris traditi sumus: tum ita variis imbuimur erroribus, ut vanitati veritas, & opinioni confirmata natura ipsa cedat. Ex qvibus est illud, qvasi divinum aliqvod respõsum, toties Homero repetitum:

Αἰὲν ἀριστεύειν, καὶ ὑπείροχον ἔμμεναι ἄλλων:

Cedere mortali nulli, superare feroces.

Sed hoc qvidem animi qvandam præstantiam, & virtutis in bello splendorem, præferens transeatur. Graviori errorum ex opinione succo tingitur, miseris & bello attritis non parcendi, insolita consvetudo. Hæc, ubi à generali sæviendi ardore recesseris, ad tres ferè veniæ præcludendæ ramos appenditur. 1. rebellionis perversitatem. 2. crudelitatis talionem. 3. in resistendo pertinaciam. Causæ non ignoscendi enervatæ.

In rebellione reprimendâ illud Diodoti audiri velim: Χρὴ δὲ τοὺς ἐλευθέρους οὐκ ἀφισταμένους σφόδρα κολάζειν, ἀλλὰ πρὶν ἀποστῆναι σφόδρα φυλάσσειν. *Homines in libertate nati non vehementer post defectionem puniendi, sed vehementer ne deficiant custodiendi.* Thucyd. lib. 3. Rebellio. Qvæ custodia non minimâ ex parte in miti imperio, & qvo obedientes gaudeant, firmanda. Italici generis civitatis, à Romanis post rebellionem devictæ, legatus à victoribus, Qvalem pacem culturi essent, interrogatus: *Si bonam dederitis, inqvit, & fidam & perpetuam: si malam, haud diuturnam.* Liv. lib. 8. Ut enim imperii moderatio, constantiæ; ita superba ejus tractatio, incertitudinis est & fluctuationis.

In jure talionis referendo, illud animis ultionem qværentium obversetur: Ἀδικεῖσθαι μᾶλλον ἢ ἀδικεῖν: *Accipere, qvam facere præstat injuriam.* Talio. Sed qvia id militaribus viris non facilè persvaseris: saltem ut talio pœnæ autores culpæ non transeat,

cavendum. Nunc autem qvod Xerxes deliqvi Codomannus post aliqvot hominum ætates ex solvit. Qvanquam monendi aliqvando pœnæ s militudine sunt, qvi se rebus ad votum fluentibu homines esse obliti fuerant.

Resistentia pervicax.

Resistendi pertinacia, qvæ sine contumeli verborum vel sæviendi truculentiâ fiat, viris for titudinem æstimantibus in pretio magis & hono re, qvam odio & vituperatione, habenda. Maxi mè cum militiæ gnaros non lateat, præsidio dece dere duci ignominiosum, gregario capital esse Sed ita ferè comparatum est, ut apud se qvisqu qvam apud alios disciplinam militarem viger malit; in suis relaxationem fortitudinis, in hosti intentionem & vigorem puniat.

Obsides.

Alia est causa sæviendi, & propè justior, in obsi des derelictos. Sive enim sponte se obtulerint, sive à civitate selecti fuerint: deficiente paciscentium fide, præsentia fidei pignora jugulanda. Major ta-men eorum animi altitudo est, qvi in obsides, præ-sertim nihil fraudis occultantes, nihil acerbi com-mittunt. Gothico bello Lucensibus à pacto de-

Ex Agathiâ, lib. I.

sciscentibus, *Narses tamen, ut magni erat animi, ob-sides domum remisit, neq; pretium libertatis ullum de-poscens, neq; per id ullas conditiones civitati extorqvens.* Qvâ celsitate animi plus qvam armis apud Lu-censes profecit, plebemq; tumore vecordem ad res Romanas permulcendo attraxit.

Concessis belli instrumentis in bello sæviendum.

De armorum ad pugnandum genere nihil vel

natura

natura præſcripſit, vel populorum jura ſancivẽrunt. Si fidem adhibemus Lucretio: *Lib. V.*

Arma antiqva manus, ungves, denteſq; fuerunt,
Et lapides, & item ſylvarum fragmina rami.

Paulatim hominum ſolertia ferrum, præſentiorem vitæ perniciem, è latebris terrarum eruit. Cumq; graſſanti crudelitati timidiores muros & æneas valvas opponerent; inventæ ſunt catapultæ, arietes, & alia id generis machinamenta. Armorum genera. Ingenium humanum egredi videbatur Græcorum commentum, perdendis navali pugnâ navibus inventum: qvod illi ὑγρὸν πῦρ, exteri Græcum ignem vocabant. Sed hoc qvidem anguſto ut temporum ita terrarum ſpatio compreſſum, non diuturnâ vetuſtate extabuit. Nigri cujuſdam, Germanæ gentis cucullati, atrum bombardarum & ſclopetorum, ſternendis muris & agminibus, machinamentum orbem terrarum implevit. Nec his proſerpens malum ſubſtitit: incentamenta granatorum ſpeciem & nomen ferentia, & qvæ ſunt alia pravæ ſolertiæ, adjecta. Adeò ingenioſa eſt in ſuum exitium, ac ſi vitæ brevitatis & inſultantium morborum pœniteret, mortalium induſtria! Miſeria hominum ſpontanea.

——— ἀμαυρόβιοι, φύλλων γενεᾷ προσόμοιοι,
Ὀλιγοδρανέες, πλάσματα πηλοῦ, σκιοειδέα φῦλ'
ἀμενηνά.
——— ἐφημέριοι, ταλαοὶ βροτοὶ, ἄνδρες εἰκελόνειροι.

Vitæ delebilis homines, foliorum generationi perſimiles, anguſti roboris, luti figmenta, umbratica & ventoſa genera, in diem unum viventes, miſeri mortales, viri ſimilitudinem ſomni gerentes: ut ab Ariſtophane in Avibus deſcribuntur: tantas in mutuam perniciem

turbas cient! Cum susq; deq; omnia verti videas nihil in mundo ordine, veritate, ratione constare omnia temeritate, erratione, vanitate volvi & rapi dixeris: nisi ex hominum culpâ contracta in hominum supplicium, justa Dei ordinatione, cederent. Sed hæc qvidem alterius sunt sacrarii mysteria: nos Martis & Bellonæ mystis aures, in hoc qvidem opere, & calamum præbemus.

commerita.

Vetita bellandi instrumenta.

Cruor bella, & ferri flammarumq; rutilatio delectat. Venena vel sparsa epulis, vel fontibus injecta, Gradivus aversatur.

Horat. Od. 2. lib. 1.

Qvem juvat clamor, galeæq; leves,
Acer & Mauri peditis cruentum
Vultus in hostem.

Musulmanni fortuna.

Sultanorum in Ægypto ultimum Selimus victor, asinæ vultu obverso impositum, & per ora hominum travectum, postremò interfecit. Ratio novi in sæviendo ludibrii, erga eorundem sacrorum hominem, belligerandi indignatio esse potuerit. Aqvarum enim scaturigines inter Cilicium & Ægyptum, qvà iter Selimo patebat, Sultanus infecerat. Militum sine pugnâ periclitatio, & laboriosa aqvarum comportatio, illam Turcæ excandescentiam expresserit. Virorum enim more pugnare, virorum ritu vincere vel obire, bellatoribus in voto est. Fame aliàs & siti enecare, cui rei maturum remedium in manu vel consilio esse potest, in vetitis militiæ non habetur. Etiam ruptis aggerum molibus, aqvâ immissa exercitum hostilem mergere, non est probrosum ducendum. In sui præsertim & suorum defensione: cui nihil negatum à præscripto naturæ videtur.

Concessa militiæ.

Pudi-

Pudicitia bellicam rem administrantibus & militaribus armis non ſubjacet.

Non enim ejuſdem eſt, maſculi atqve invicti animi robur profiteri, & efferatæ libidinis intemperantiâ abripi. Nec ſuum corpus contaminare, nec alienum polluere, militi conceſſum. Virtutis hic habetur aut potentiæ, non animorum corruptionis, certamen. Nec ad ſecuritatem pacis æqvè pudicitia virginibus erepta, ac marium trucidata corpora, momentum adfert. Ne pœnæ qvidem & exemplo ſervit, qvod ſeveritate amotâ geritur. Nihil igitur, qvo ſe ſtuprorum in bellis conſvetudo defendat, produci juris poterat. Sed fuſa per gentes Europæas, jura non audiens, caſtrorum barbaries, niſi præſenti terrore coërceatur, nihil non ſibi permittit. Redux Romanorum militia, qvæ caſtrenſem militiam neceſſitati parendi devinciat, ab inferis excitanda. Conſtupratio militiæ.

Qvæ poſſidētur hoſti omnia victoris arbitrio, vel in vaſtationem vel in prædationem, ſubjacent.

Vaſtatione vel res profanæ, vel Eccleſiaſticæ & ſacræ deſtruuntur.

Profanæ ſunt vel particulares, vel univerſæ civitatis.

Agrorum devaſtatio. Particulari vaſtatione ſata uruntur, arbores exſcinduntur, prædia ruunt, naves incenduntur, pecora & armenta ſternuntur. Bellum contra Athenienſes Peloponneſiacum, ternâ vel qvaternâ in Atticam irruptione & devaſtatione, non alio modo primis annis geſtum eſt. Primis, inqvam, annis: nam poſteà majori belli fructu ſocios ad defectionem Braſidas inſtigavit: Deceliam ex conſilio Alcibiadis Archidamus inſedit. Sic enim aditus & negotiationes hoſte excludente, urbs Athenarum. ἀντὶ τοῦ πόλις εἶναι, φρούριον κατέστη, *pro urbe propugnaculum & excubiarum locus facta eſt.* Vaſtationes agrorum juri divino non per omnia convenire, illud indicio eſt: qvod Deus in præceptis militaribus per Moſen datis arbores ſuburbanas exſcindi, niſi forte ad machinarum in obſidendo uſum, vetat. Nec ferè in ordinato bello, niſi ubi hoſtis latendo copiam ſui non facit, locum habent. Sic enim vel deditio aut pactio pacis maturatur, vel hoſti pertinaci vires & robora minuuntur. Civile, ut ſic dicam, bellum Cyro Perſarum regi gerebatur. Cui cum Babyloniorum rege cõvenit, armatis bellum, agris & agrum colentibus in bello pacem eſſe. Nec id juſtitiæ magis & æqvitati, qvam prudentiæ commodo ſuo conſulenti, adſcribendum.

Thucyd. lib. 7.

Deut. 20. v. 19. 20.

Xenoph. lib. V.

——— ——— *nemo ſic vaſtat ſua.*
Qvæ corripi igne, qvæ meti gladio jubes,
Aliena credis.

Thebaide. Ut de Thebarum rege exule Seneca. In qvem & il-

& illud dictum amarulentius:

Petendo patriam perdis: ut fiat tua,
Vis esse nullam.

In vacuo enim nulla imperii, nulla patriæ aſpectûs oblectatio. Contra ferociores, & alieno in ſolo, hoſtes aliqvando neceſſarium: ſubitis excurſibus populari; atq; ubi ſatis terrueris, *parcendo rurſus irritamenta pacis oſtentare.* Tacit in Agricola. Sapienter enim Archidamus, exciſionem agri Attici diſſvaſurus: Μὴ γὰρ ἄλλό τι νομίσητε τὴν γῆν αὐτῶν ἢ ὅμηρον ἔχειν, καὶ οὐχ ἧσσον, ὅσῳ ἄμεινον ἐξείργασται. Thucyd. lib. 1. *Agrum eorum nobis pacis obſidem eſſe, eoq; magis quò cultior magis fuerit, exiſtimate.* Ad pacis enim fructuoſæ, ſecuræ, & honeſtæ metam omnes bellorum actiones dirigendæ ſunt. Iis igitur, qvæ ad hominum commoditates & uſus benigno ſinu natura largita eſt, qvæ frugibus atq; bacis terræ fœtu profunduntur, ſi aliter militiæ ratio expediri poterit, parcendum.

Sed huic conſilio adverſari factum in Moabitas trium regum, inter qvos & pius rex Jehoſaphat, videtur. *Nam civitates eorum deſtruxerunt, & qvamq; poſſeſſionem bonam injectis qviſq; lapidibus ſuis impleverunt, & qvemq; aqvæ fontem obturarunt, ac qvamq; arborem bonam dejecerunt.* 2. Reg. 3. v. 25. Non modò ſqvalorem præſentibus rebus induxerunt: ſed etiam futuro, ademto vitæ uſu, atrociter inviderunt. Dicerem: non omnia qvæ in ſacris leguntur, cum approbandi ſenſu legenda: niſi prophetæ Eliſæ verba vaticinantia atrocitatem illam præceſſiſſent. *Percutietis omnem civitatem munitam, & omnem civitatem lectam, omnemq; arborem bonam dejicietis, & omnes fontes aqvæ obturabitis, omnem deniq; poſſeſſionem bonam afficietis lapidibus.* v. 19. Sed hic rebellionis

odio, & in deficiendo pertinaciæ, aliqvid datu Datum etiam aliqvid peculiari gentis Moabiti ex incestu Lothi natæ, & in ecclesiæ communi nem non admissæ, execrationi. Qvanquam promtu alia ratio respondendi est: non instruc tia præcepto verba Elisæ videri, sed de futuro n dè vaticinantia. Sic enim & Hasaelis, multis i commodis Israëlitas affecturi, facinora cum fle & cum gemitu prædixit. *Munitiones eorum com mittes igni, & juvenes eorum gladio occides, & infant eorum allides, & prægnantes eorum diffindes.* Q bellorum qvidem sunt fructus: sed nec bellorum omnium, & sæpè ipsis autoribus detestandi. I qvibus omnibus danda est opera, ne æstus no consvetudinis absorbeat, & à ratione abductos ad facti scopulum usitati trahat.

2.Reg. 8. v.12.

Urbium excidia supremus miseriarum bellicarum cumulus censentur.

Urbium ruinæ.

Cæteris enim in rebus rami civilis arboris amputantur; hic truncus ipse unâ cum radice evellitur. Nec novæ tamen illud est, nec inusitatæ bellis faciei, monstrum.

Clara fuit Sparte: magnæ viguêre Mycenæ:
inqvit in figurarum transmutationibus Ovidius.
Mox subjungit:
Vile solum Sparte est: altæ cecidêre Mycenæ.

Metam. lib. 15.

Sed illas qvidem urbes vetustas obtrivit, aut incolarum raritas destituit. qvemadmodum eodem Græciæ in angulo Burin & Helicen aqva inundans, absq; ullo armorum tumultu, obtexit.

Si qve-

Si qværas Helicen & Burin Achaidas, urbes,
Invenies sub aqvis: & adhuc ostendere nautæ
Inclinata solent cum mœnibus oppida mersis.

ut eodem libro Ovidius.

Majoris nominis & spatii & opulentiæ urbes; Niniven, Babylonem, Trojam, Tyrum, Samariam, Hyerosolyma, Carthaginem belli furor protrivit. Roma ipsa nonnisi in ruderibus, & excitatis nuper qvorundam palatiorum & insularum spatiis, conspicitur. Adeò nihil armorum libidini, & prosternenti omnia impetui, negatum.

Etiam in sacra, & Deo consecrata, jus sibi bellum permittit.

Eheu cicatricum & sceleris pudet, *Horat. Od 35. lib. 1.*
Fratrumque: qvid nos dura refugimus
Ætas? qvid intactum nefasti
Liqvimus? unde manus juventus
Metu Deorum continuit? qvibus
Pepercit aris?

Qvod Horatius de suo bellorum civilium tempore, nos de Germaniæ & Sarmatiæ ante oculos versante, nedum memoriæ exemto, statu rectiùs lamentabimur. Est tamen qvo illa sacra polluendi licentia, vel consvetudine seculorum nitens, vel legibus Romanis confirmata, defendatur. *Sacrorum dejectio.*

Ægyptii, suarum superstitionum tenaces, captarum foris urbium sacra non reveriti, manus iis ut spoliis hostilibus injecerunt. Nam Palæstinos, captam in prœlio fœderis arcam honore qvodam excipientes, non commemoro. Assyriorum im- *1. Reg. 14. v. 26.* *1 Sam 5.*

2.Reg.18. v.35. pietas, in cœli numen probroſum ſermonem
culata, in Sencheribe detegitur. Nec multò
2.Reg.25. pientiores Babylonii, templum vivo Deo ſac
Dan.5. v.2. tum, è fundamento diruerunt: aurum & tem
donaria in vulgarem conviviorum uſum prot
xerunt. Imaginum cultui offenſiores Perſæ, te
plo Hyeroſolymis erigendo faventes, Ægypti
rum ſacra & Græcorum pro immunditia hab
bant. Græcos, Perſarum in proferendo imper
obices, pluſculum reverentia ſacrorum tetigi
Athenienſes, captum Thebano in agro templu
profanantes, caduceator miſſus reprehendit
Thucyd. lib. IV. Ὅτι οὐ δικαίως δράσειαν παραβαίνοντες τὰ νόμιμα τῶν Ἑλλήνων. πᾶσι γὰρ εἶναι καθεστηκὸς, ἰόντας ἐπὶ τὴν ἀλλήλων, ἱερῶν τῶν ἐνόντων ἀπέχεσθαι. *Non juſtè eos facere, qvi fa Græcorum tranſeant. omnibus enim conſtitutum eſſe, in alieni agri invaſione templis repertis abſtinere.* Nec Athenienſes, qvanquam ſermone ſibi faventes, iſtam perceptionem animi planè evertunt. Τὸν δὲ νόμον τοῖς Ἕλλησιν εἶναι, ὧν ἂν ᾖ τὸ κράτος τῆς γῆς ἑκάστης, ἤν τε πλέονος, ἤν τε βραχυτέρας, τούτων καὶ τὰ ἱερὰ αἰεὶ γίγνεσθαι, τρόποις θεραπευόμενα οἷς ἂν πρὸς τοῖς εἰωθόσι δύνωνται. *Hanc Græcis legem eſſe, ut qvi imperium obtinent in terra aliqvâ, ampliori aut contractiori, eorum & templa ſemper eſſe, modò à ſolito cultus in iis more pro facultate non recedatur.* Sacra igitur Græcanica, patriæ ſuperſtitioni affinia, Græci etiam in capto hoſtium ſolo venerati ſunt. Qvid in externa ſacra
1. Maccab. 1. v. 23.57. Græca natio auſa ſit, Antiochena templi Judaici direptio, & idolorum proclamato cultu contaminatio, Aſmonæorum ævo facta, doceat.

Cic. offic. lib 2. Romanorum judicio, *deos placatos pietas efficit & ſanctitas.* Se multitudine Hiſpanis, robore Gallis, calliditate Pœnis, rerum militarium ſcientiâ

Græcis

Græcis cessisse; solâ religione, & in Deos colendos reverentiâ, orbem vicisse gloriantur. Unde igitur fit, qvod nusqvam terrarum templis devictis, nusqvam sacrorum cultibus pepercerunt? Templum Hierosolymitanum Pompejus jure victoriæ ingressus est, à cujus limine, præter sacerdotes, omnes arcebantur. Templum idem Crassus in pace spoliavit, Titus belli jure evertit. Nec benigniores in gentilium templorum fortunam, urbem donariis ereptis, provincias solitudine impleverunt. *Tot igitur sacrilegia Romanorum, qvot trophæa, tot de diis qvot de gentibus triumphi.* Rectè qvidem Tertullianus judicium suum inserit: *Sed qvi nihil sentiunt, tam impunè læduntur, qvam frustrà coluntur.* Verùm nos non de potentia vel infirmitate deorum, sed de jure & Romanorum persvasione, qværimus. Nimirum capiendis urbibus deos colendos excessisse, locumq; discessu suo profanum fecisse, sibi Romani persvadebant. Non igitur sacrum in captâ urbe judicio suo violaverunt; sed qvod sacrum non erat, promiscuo in usu habuerunt. Et sic capiendus est Jureconsultus Pomponius: *Cum loca capta sunt ab hostibus, omnia desinunt sacra esse.* Ne jam arcanum Romanæ gentis, paucorum cōscientiâ conditum, moveam: divinitatem gentibus cultā plus opinionis qvam rei, plus umbræ qvam veritatis, habuisse. Audacter ad Tiberium Valerius: *Cætera divinitas opinione colligitur: tua præsenti fide paterno avitoq; sideri par videtur.* & paucis interjectis: *Deos enim reliqvos accepimus: Cæsares dedimus.*

Tac. Hist. lib. V.

Tertull. Apologet.

Romanorum inepti(a)e.

impietas.

Val. Max. Prologo.

Non igitur à Romanorum facto, qvod partim ab anili imaginatione, partim ab impietate &

omnium ſacrorum contemtu, ortum duxit; ad jus in ſacra hoſtium ita nudè argumentari Grotius debuit.

Non tantum ſacrilegii in bello commiſſi exempla congerenda, ſed etiam ſacrilegii puniti exempla intuenda.

1. Sam. 5. & 6. *Sacrilegiorum punitio.* Palæſtinorum corpora mariſcis, agri murum grege immiſſo, dum arcam fœderis cum munerum additamento remitterent, vexati ſunt. *2. Reg. 19. v. 35.* Sancherib exercitu divinâ plagâ deleto fugiens, domi à liberis ſuis in ipſo Niſrochi delubro occiſus eſt. *Herodot. lib. 2.* Cujus, ut ſupra humanum modum infelicis, monumento inſcriptum legebatur: Εἰς ἐμέ τις ὁρέων, εὐσεβὴς ἔστω. *Me qvis intuens, pius in Deum eſto.* *Dan. V.* Vaſa ſacra qvâ nocte Babylonius rex convivio domeſtico profanavit, vitam & imperium cum libertate gentis amiſit. *Hiſt. Macc.* Antiochus, templi Judaici violator, infando animi & corporis tormento in Parthis interiit. *Hiſt. Rom.* Pompejus Magnus, qvanquam manus abſtinuit, poſt templi capti ingreſſum nihil magnum domi vel militiæ geſſit. Craſſus, paucis poſt ſpoliationem templi diebus, cum omnibus legionibus in Partis interiit. Pendente Hyeroſolymorum obſidione, Capitolium prius Romæ, qvam templum Salomonis conflagravit. Spolia templi, Romam à Tito abducta, Romanis laqveo & ſuffocationi fuerunt. Non inanis Judæi cujuſdam, vaſa Hyeroſolymitica in ſpoliis Africanis conſpicati, ad familiares Juſtiniani oratio.

Hæc,

Hæc, inqvit, *in palatium Byzantinum inferri non ex usu judicem. Neq; enim fas ea alibi cerni, qvam ubi ea Salomon Judæorum rex ritè collocavit. neq; aliam ob causam datum Gizericho spoliare Romæ palatium, & Romanis res Vandalorum evertere.* Si enim direpto qvondam Delphorum templo, aurum Tolosanum in miseriæ dicterium abiit: multò potentior Dei in sacrilegos vindicta exstabit. Qvi suos à disciplinâ delapsos ita castigat, ut qvibus usus est lictorum immanitatem non impunem dimittat. De gentilium templis & aris eversis, illud Joasis, qvi à Gedeone filio lumen memoriæ accepit, occurrit: *Si Deus est, se ipsum & aram suam eversam vindicet.*

Procop. Hist. Vand. lib. 2.

Judic. VI. v. 31.

Imperium in gubernando & tuendo, non in evertendo sacra cum profanis, consistit.

Qvibus argumentis jus vastandi & diripiendi sacra Grotius stabiliat, videbimus: eorumq; pondera ad justam trutinam examinabimus. 1. Pomponii effato dictum Ciceronis adjicit: *Sacra Syracusarum victoria profana fecerat.* Rt. Occultum sacrorum omnium contemtum paulatim Romanorum animos invasisse, Livius hoc dicto innuit: *Juvenis ante doctrinam deos spernentem natus.* Qvâ tempestate suos deos negligere Romani cœperunt: mirum non est, si urbium captarum statuas nihil nisi statuas judicarent. Adde qvæ supra, de persvasione deorum capto loco excedentium, adduximus. 2. Qvæ sacra dicuntur revera non excipiuntur humanis usibus, sed publica sunt,

Argumentorum Grotii examinatio.

1.

lib. 10.

2.

ſacra autem nominantur à fine cui deſtinata ſunt. ℞. Uſus rei non in deſtructione, qvâ de hoc capite agitur, conſiſtit. Uſus autem ſacrorum non alius, qvam in qvem deſtinata ſunt, habendus.

3. 3. Formulam deditionis è Plauto adducit: *Urbem, agrum, aras*, &c. ℞. Qvalis eſt urbis & agrorum, talis & ſacrorum deditio. Urbes autem & agri non in diſſipationem, ſed in tutelam, deducuntur.
Cic. offic. lib. 2. Non enim legitimum cenſetur imperium, *haſtam in foro ponere, & bona civium voci ſubjicere præconis.*
eodem libro. Qvo Plautus tempore ſcripſit: *regum, populorum, nationum portus erat & refugium ſenatus.* Nulla igitur in portu ſubmerſio, nulla in refugio direptio deditiis metuebatur. Imperium populi Roma-
d. l. ni, *patrocinium orbis terræ veriùs qvam imperium poterat nominari.* Adde, qvòd Drama Plautinum in Græcia & Thebis, urbe ſacrorum reverentiſſimâ, agi intelligendum eſt. Non enim Romæ, ſed
Seneca Svaſor. Thebis Bœotiis Amphytruo regnavit. *Athenæ eloqventiâ inclytæ ſunt, Thebæ ſacris, Sparta armis:* non inſulſum declamatoris judicium eſt. Non igitur metuendum Telebois erat, ne Thebani ſecurim & flammam in aras & fana dedita immit-
1. Reg. 20. v. 6. terent. Importuna Achabo regi poſtulatio Syrorum videbatur; urbis dedendæ ſcrutandis domibus pretioſa qvæq; auferendæ. qvid ſi ſacrorum ſpoliationem, qvid ſi altarium everſionem Benhadad adjeciſſet? Nam & impii ſæpè milites, & barbara Gothorum ac Alanorum colluvies, in diripiendis urbibus manus à ſacris abſtinent.

4. 4. Ulpianus publicum jus etiam in ſacris ait conſiſtere. ℞. Rectè ait: de ſummo enim in cives imperio, de legibus imperii, de magiſtratibus, de ſa-

cris

cris imperii & civium jus publicum agit. Sed qvis animo sibi constans inde eversionem imperii, legum, magistratuum, sacrorum inferat? 5. Pausanias Arcadicis ait morem fuisse Græcis barbarisq; communem, ut res sacræ arbitrii eorum fierent qvi urbes cepissent. ℞. Nullus regum Romanorum majus arbitrium, qvam Numa Pompilius, in ritus templorũ & ceremonias sibi sumsisse legitur. Sed illud arbitrium primo in sedulitate obeundi sacra officia vertebatur. *Ipse plurima sacra obibat, ea maximè qvæ nunc ad Dialem flaminem pertinent.* Sic & Josias, Judæorum rex in cultu divino integerrimus, sic Josua, Hiskias, alii partem sacrorum munium obibant. Deinde in curâ & dispositione pontificum, sacrorum, victimarum, dierum nefastorum, templorum, pecuniæ erogandæ versabatur. *Pontificem deinde Numam Marcium Marcii filium ex patribus legit, eiq; sacra omnia scripta exsignataq; attribuit: qvibus hostiis, qvibus diebus, ad qvæ templa sacra fierent: atq; unde in eos sumtus pecunia erogaretur. Cætera qvoq; omnia publica privataq; sacra pontificis scitus subjecit.* Non minorem in ejusmodi rebus diligentiam in repub. Hebræorum David, Salomon, & alii reges navaverunt, Hiskias autem & Josias, nec non ex parte Jehu, violentam etiam reformationi sacrorum manum adjecerunt. Sed nimirum in populo sibi commisso, in populo qvi erat aut esse debebat eorundem sacrorum. Sua Ammonitis, Syris, & Moabitis, Palæstinis sua & Edomæis sacra David victor non eripuit. Cananæorum alia ratio fuit: qvorum statuas diales & lucos, ne ante oculos incitamenta malorum versarentur, exscindere Israëlitæ jube-

5.
Liv. lib 1.
2. Reg. 23.
Liv. l. 1.

bantur. Cambysen mentis non compotem, qvi Ægyptiorum à se debellatorum sacra irriserit, Apin manu suâ occiderit, Herodotus pronunciat. *Thaliâ.* Qvali judicio Græcorum, in cognatorum sacra fortè sævientium, proterviam notasset? Res igitur sacræ arbitrii eorum factæ sunt, qvi urbes cepissent: qvoad administrationem nimirum, qvoad imperii tutelam; non qvoad omnium sacrorum, nisi necessitatis ratio exigeret, abru-
6. ptam demolitionem. 6. Jovis Hercæi simulacrum Trojâ captâ concessum Sthenelo. ℞. Cur non & Cassandram, in templo Palladis violatam ab Ajace Oileo, licentiæ militaris probationem, adjicit? Nemo non Græcorum ducum eversionem Sacræ Trojæ (ἱερὸν πτολίεθρον Homerus vocat) aut violentâ morte, aut diuturno vel perpetuo à patriâ exilio luit. Qvi antecedentia facinora aspectat, ei & pœnæ conseqventes intuendæ sunt. Nobis qvidem dii Trojanorum Dii non sunt: nec Herculem magis qvam Alabandum iratum curamus. *Illud tamen verum est, si qvo in simulacro numen aliqvod inesse credatur, id violari aut corrumpi nefas ab iis qvi in eâ persvasione conveniunt: & hoc sensu impietatis, aut læsi etiam gentium juris, accusantur interdum qvi talia commiserunt, nimirum ex talis opinionis positione.* Verba sunt, verbis connexis & antegressis ægrè astipulantia, Grotii.
7. 7. Thucydides lib. IV. ℞. Locum Thucydidis, à Grotio mutilatum, in cõtrarium planè sensum
8. supra adduximus. 8. A qvo non discrepat illud apud Tacitum: *Cunctas cæremonias Italicis in oppidis, templaq; & numinum effigies, juris atq; imperii Romani esse.* ℞. De Fortunæ imagine ibi locandâ, non

non deavehendâ aut exstirpandâ, apud Cornelium agitur. 9. Populus ipse mutatâ voluntate 9.
potest ex sacro profanum facere. ℞. Non qvid populo, necessitate temporum adacto, in sua concessum sit; sed qvid victoris libidini & insultationi liceat, disqviritur. *Pro Republicâ plerunq; templa nudantur, & in usum stipendii dona conflamus.* Qvod tamen ipsum an jure fiat intricatæ qvæstionis, ab omni temporum memoriâ ventilatæ, nodo nondum exsolvitur. Peloponnisiis de belli exitu Apollinem sciscitantibus, oraculū redditum fertur: Κατὰ κράτος πολεμοῦσι νίκην ἔσεσθαι. καὶ αὐτὸς ἔφη ξυλλήψεσθαι, καὶ παρακαλούμενος καὶ ἄκλητος. *Strenuè rem gerentibus victoriam futuram. & ipse se Apollo auxilio iis, vocatum vel invocatum, futurum asseruit.* Pecunia enim in Delo, tanqvam Apollinis fidei, ab Atheniensibus & sociis deposita, in nervos civilis belli interversa, in invidia erat. Sed nolo ista nimis exiliter ad calculos vocare: qvare ad reliqvas Grotii ratiocinationes venio. 10. Cato in oratione apud 10.
Sallustium referens qvæ victis solent accidere, ponit & fana spoliari. ℞. Non omnia qvæ SOLENT in bello fieri, etiam jure fieri censenda. Nec de legitimo bello Cato, sed de domestico & intestino, qvale Catilinarium, loqvitur. Qvæ præter istæc è Tacito, Virgilio, Cicerone, Livio de more Romanorum adferuntur: novâ responsione non indigent. 11. Templa profani cultus à Maccabæis 11.
incensa non semel legimus. ℞. Bellum enim illud religionis, non libertatis tantum tuendæ, aut ampliandæ potentiæ, fuit. Præterea templum Dagonis perfugium fugitivis, & incendendi sui ansam, præbuit. 12. Sic & Xerxes, &c. ℞. Simulacra Græ- 12.

Seneca Contro v. lib. 1 V.

Thucyd. lib. 7.

1. Macc. 10. v. 84.

eorum, ut non erant, ita nec credebātur Persis numina. Cum Persis Romani, Israëlitarum templi violatores, non benè confunduntur. Nam verum in Deum sacrilegii culpa commissa, etiamsi ab ignorantibus Deum fiat, indemnis non habetur.

Religiosa defunctorum loca temerè non movenda.

Sepulturæ violatio. Nullum enim cum mortuis, qvi nec pacem nec bellum morantur, diffidium, nullum cum umbris prœlium. Execrabilis Cambyses habetur, qvi Amasis regis Ægyptiorum corpus humo effossum, flagris & aliâ ignominiâ affecit. Μαστιγοῦν τὸν νέκυν ἐκέλευε, καὶ τὰς τρίχας ἀποτίλλειν, καὶ τ' ἄλλα, πάντα λυμαίνεσθαι. Herodot. lib. 3. Sed de sepulturæ non violandæ jure satis, qvantum ad rei præsentis institutum, prima libri sectione à nobis actum.

Bona hostium diripere, bellorum juri convenit.

Ea enim qvæ perdere vastando possis, in hominum usum convertere, nulla invidia est: *neq; est* Cic. offic. lib. 3. *contra naturam, spoliare eum, si possis, qvem honestum est necare.* Sed est cautio una & altera in diripiendo, & in prædandi explendâ aviditate, observanda. Prædandi cancelli. 1. Ne vaga omnibus, nullo discrimine temporum, prædas agendi, facultas concedatur. Certè non in urbibus, deditione ad fidem venientibus. Rectè enim à duce Romanæ militiæ sententia profertur: Liv. lib. 37. *Captas, non deditas diripi urbes: & in his tamen arbitrium esse imperatoris, non militum.* 2. Generosioris animi esse, spoliis etiam in justâ ultione abstinere. Sic Judæi, concessâ ipsis ab Ahasvero

jugulan-

jugulandi & diripiendi adversarios facultate, tin- *Esther IX.*
ctis in sangvine inimicorum spiculis, manus à
prædâ avocarunt. 3. Ne propter prædæ opulen- 3.
tiam bella insontibus inferantur. Ferè enim fit,
ut rapiendi alliciente dulcedine, tanqvam vultu-
res ad projectam cadaverum escam, ita legionarii
prædones & prædam ostensam convolent. Scy-
this, naturâ rapacibus, nec Babylonii, nec eos im- 4.
perio excipientes Persæ, præter Darium facti pœ-
nitentem, bellum intulerunt. At in Ægyptios, Ly-
dos, & Syros, opulentiâ affluentes, bellandi causæ
in promtu fuere. *Non rete accipitri tenditur neq; mil-*
vio: ait Phormio Terentianus. quod Ovidius Na- *in*
so diductiùs: *Nuce.*

Sic reus ille ferè est, de qvo victoria lucro
Esse potest: inopis vindice facta carent.

Et spatio qvodam versuum interjecto:

At rubus, & sentes tantummodò lædere natæ,
Spinaq; vindictâ cætera tuta suâ est.

Cætera, qvæ de prædandi licentiâ vel cohibitione
dici possunt, partim ad prudentiam militarem,
partim ad jus militiæ, qvod à bellorum jure sepa-
ramus, pertinent.

Ignoscendi qværendæ causæ, non puniendi occasiones.

Qvod in forensi judicio præcipuum, aliqvem
in armorum disceptatione locum habet. Excuset
in senatu sævitiam qvantum volet imperator Ro-
manus: *At enim bello qvidem justo sum persecutus: sed* *Liv. lib. 41.*
vinci non oportuit eum, neq; ea qvæ victis accidunt pati.
Sapientiæ vestigia propiùs legunt illa Macedonis
verba: *Modum imponere secundis rebus, nec nimis cre-* *ibidem.*

dere serenitati præsentis fortunæ, prudentis hominis & meritò felicis esse. Hominem, humanitate se non exuentem, vetus illud sapit: *Amicitias immortales, inimicitias mortales debere esse.* Belli non minùs qvam pacis tempore illud sapientis locũ habeat: *Reconciliatio tua & facilis sit & aperta.* Sic igitur occisioni, vastationi, direptioni in bello locus erit; ut humanitati & erratorum veniæ non minimum spatium relinqvatur. Claudiani, poëtæ amatoriis in versibus amœni, in militaribus excelsi & magnanimi, eâ de re judicium audiamus:

Seneca epist. 106.

De bello Getico.

—— —— —— ignoscere pulchrum
Jam misero, pœnæq́; genus vidisse precantem.
Qvæ vindicta prior, qvam cum formido superbos
Flectit, & assvetum spoliis affligit egestas?

Animi aut cruore insatiabilis, & se miseria hominum pascentis, aut sibi in futurum non fidentis, omnia timore consiliario suspicantis, est illa non ignoscendi victis pervicacia.

CAPUT VI.

DE IMPERIO ARMIS QVÆSITO.

Bellum victoriâ vel pactione finitur.

EST & medii qvoddam generis, qvod tædio utrinq; laborum, aut imperatorum erga duces invidia, sopito belli gerendi motu, terminatur. Qvod ubi fit, belli tumultus, non belli redeuntis metus, aufertur. Germanicum Drusi filium Tiberius, pacis perpetuæ cupidus, aut gloriæ Germanici invidens, à bello gerendo abstraxit. Spe-

Belli diruptio.

ciosa more Tiberiano prætendebantur: *satis jam eventuum, satis casuum, prospera illi & magna prælia: eorum qvoq; meminisset, qvæ venti & fluctus, nullâ ducis culpâ, gravia tamen & sæva damna intulissent. se novies à divo Augusto in Germaniam missum, plura consilio qvam vi perfecisse. sic Sugambros in deditionem acceptos, sic Svevos, regemq; Maroboduum pace obstrictum. posse & Cheruscos, cæterasq; rebellium gentes, qvando Romanæ ultioni consultum est, internis discordiis relinqvi.* Tacit Annal 1.

Frustrà Germanicum blanditiis renitentem, & annum unum efficiendis cœptis precantem, bellum abrumpere oportuit. Germani bello gravissimo liberati, *Reciperatam libertatem, trucidatas legiones*, jactabant. Nec Tacitus ad calcem libri abnuit: Arminium prœliis ambiguum, bello non victum, appellans. Aliud sub Claudio, belli sine victoriâ abrupti, exemplum. Lauream Corbulo non in mustaceo, sed in rebellione Chaucorum, qværebat. Jam castra in solo hostili moliebatur: cum illi Claudii literæ, novam in Germanias vim prohibentes, redduntur. *Ille re subitâ, qvanqvam multa simul offunderentur, metus ex imperatore, contemtio ex barbaris, ludibrium apud socios: nihil aliud prolocutus, qvam Beatos qvosdã duces Romanos, signum receptui dedit.* Nec alium Trajani in Dacas expeditionis finem fuisse, vel è poëta Martiali elicias.

Germanicus.

Corbulo.

Annal. XI.

Trajanus, nisi Domitianus.

Præda canum lepus est: vastos non implet hiatus.
Non timeat Dacus Cæsaris arma puer.

Epigrammatum libro primo.

Sed & Augusto imperante bellum sine victoriâ in eosdem Dacas gestum, sine victoriâ legiones reductæ. Ἐγγὺς μὲν ἥκουσι τοῦ ὑπακούειν Ῥωμαίων· οὔπως δ᾽ εἰσὶν ὑποχείριοι τελέως, διὰ τὰς ἐκ τῶν Γερμανῶν ἐλπίδας. Augustus. Strabo lib. 7.

Non procul qvidem à suscipiendo Romanorum jugo abfuerunt: nondum tamen servitutis patientes sunt, propter spem à Germanis auxilii. Sed & Julius Cæsar, victoriarum cupientissimus, è Britannis bello tentatis legiones ante victoriam abduxit. Idem Rheno duobus in locis ponte devincto, Germanis ostentavit magis bellum, qvam intulit. Tulit & nostra ætas bellorum, sine plenâ victoriâ cum Turcis & aliis barbaris decertatorum, monumenta. Et superiori seculo Hispanicum in Anglos bellum, simul susceptum, simul cum classis labefactatione, ventorum impetu excitatâ, & aliqvâ Anglorum operâ, depositum.

Cæsar.

Anno 1588.

Victoria vel generosioris animi, vel truculentioris, vel deniqve lucro minoris nutum seqvitur.

Generosa priscorum hominum belligerandi ratio fuit, qvi fortitudinis gloriam, non prædam aut imperii adjectionem, in bello qvæsiverunt. Qvalem fuisse Sesostrim Herodotus, omnes ante Ninum reges, Justinus Pompeji Trogi compilator tradit. Gloriosæ vetustatis vestigia qvædam Romani, prisca seculorum memoriâ, retinuerunt, qvi gentibus devictis aliqvando ignoverunt. Imò & Lacedæmonii in Athenarum, æmulæ potentiæ & nominis civitatis, debellatione nihil aliud nisi virium & cupiditatis imminutionem spectaverunt. Alii efferatioris ingenii, aut magnarum injuriarum dolore puncti, deletis hostibus

Gloriosa militia.

Truculenta:

hostibus & urbibus eorum eversis, abscesserunt. Plures emolumentum in bello, luculentum victoriæ præmium, exoptant. *Lucrosa.* Quo de armorum fructu, ut in bellis freqventiori, & moribus hominum accommodatiori, nobis deinceps verba facienda.

Belli gerendi lucrum vel universalius est, vel particularius.

Universale est, imperii in res & homines devictos acqvisitio.

Aliena sumuntur, Jure, beneficio, imperio: id est, dominio, precariò, vi: *Tertull. adv. Herm.* inqvit antiqvitatis Ecclesiasticæ autor eruditissimus. Imperio vim magno judicio comparat; & utrumq; à jure & à beneficio dirimit. Vis enim, & imperium in coactos, cum jure *Imperium violentum.* qvod naturæ est ægerrimè côciliari potest. Qvanqvam gentium, à naturæ ortu deficientium, consvetudine justum habetur. De Philippo, Alexandri Asiæ prædonis parente, Demosthenes: Οὔθ' ἡ ἑλλὰς, οὔθ' ἡ βάρβαρος, τὴν πλεονεξίαν χωρεῖ τ' ἀνθρώπου. *Philipp. orat. 3.* *Nec Græcia, nec barbara regio, aviditatem hominis exaturat.* Hic tamen in violento imperio tuendo ad jus belli, tanqvam nulli mortalium ambigendum, provocat. Καί τοι πάντες οἰκοῦμεν τὰς πόλεις, ἢ τῶν προγόνων παραδόντων, ἢ κατὰ πόλεμον κύριοι καταστάντες. *Epistolâ ad Athenienses.* *Qvanqvam omnes oppida habitamus, aut à majoribus accepta, aut bello acqvisita.* Qvam in Macedo-

ne habēdi cupiditatem Athenienses redarguunt, in se communis juris titulo commēdant. Ἡγούμεθα γὰρ τό, τε θεῖον δόξῃ, τὸ ἀνθρώπειόν τε σαφῶς διὰ παντὸς ὑπὸ φύσεως ἀναγκαίας οὗ ἂν κρατῇ ἄρχειν. *Deum existimatione superiorem esse arbitramur: homines non dubitamus necessitate naturæ illi, qvem vicerint, imperare.* Qvem morem vetustissimum esse, & gentium ubiq; receptum, opinantur. Καὶ ἡμεῖς οὔτε θέντες τὸν νόμον, &c. *Nos neq; autores ejus legis, neq; primi ejus latæ usurpatores: sed à prioribus acceptâ, & in omne ævū futurâ, utimur.* Juris illi & gravitatis assertores Romani, Nullum bellum à civitate benè moratâ, nisi aut pro fide aut pro salute, suscipi existimabant. De his tamen ingenuè civium Romanorum non postremus fatetur: *Noster autem populus, sociis defendendis, terrarum jam omnium potitus est.* Rapinam inexplebilem in animo, speciosos belli titulos in decretis, gerebant. Unde enim, nisi per splendidam injuriam, à casis pastorum ad palatiorum magnificentiam ascenderunt? Primi in iis locis Aborigines

Thucyd. lib. V.

Cic. de Repub. lib. 3.

Pro domibus frondes norant, pro frugibus herbas:
Nectar erat palmis hausta duabus aqva.

Ovidius Fastorum libro 2.

Idem de ipsis Romanis:

O qvam de tenui Romanus origine crevit!
Turba vetus qvam non invidiosa fuit!

Fast. lib. 3.

lib. 3.

At de crescente Romanorum opulentiâ Propertius:

Omnia Romanæ cedent miracula terræ:
Natura hic posuit qvicqvid ubiq; fuit.

Non tam natura, nugator, qvam picatæ Romanorum

norum manus, & insatiabilis eorundem aviditas, gentium spolia Urbis incrementum & nitorem fecerunt. *Raptores orbis, postqvam cuncta vastantibus defuere terræ, & mare scrutantur. si locuples hostis est, avari: si pauper, ambitiosi. qvos non oriens, non occidens satiaverit.* Omnium primum & pacis & belli actionum summa necessitudo esse debebat honestatis; proxima incolumitatis; commoditatis postrema. Sed perversitate adultum hominum judicium, res à naturâ suggestas invertendo, postremum summo loco, summum postremo posuit. *Tacitus in Agricolâ.*

Imperio in victos alii mitiori, acerbiori alii utuntur.

Ut in re, qvæ factis hominum nixa sit, qvæ ad certitudinem rationis non sæpè perveniat, qvæ opinationes gentium & sæpè errores aucupetur, ita versamur. Ariovistus judicio gladii usus, jus esse belli ait, ut qvi vicissent, iis qvos vicissent qvemadmodum vellent imperarent. Hanc ad judicii normam nihil victis libertatis in vultu & sermone, nihil in arca aut agro tuti relinqvebatur. Scythæ in Asiam, Cymmeriorum insecutione, illapsi; duo de triginta annis amœniori orbis parti imperarunt. καὶ τὰ πάντα σφι ὑπό τε ὕβριος καὶ ὀλιγωρίης ἀνάστατα ἦν. &c. *omnia præ contumeliâ & rerum negligentiâ pessum ibant. Præter tributorum enim exactionem, à singulis, qvod cuiq; obtigit, exigebant Tributis non contenti, vagati per domos & agros, cuiq; suum eripiebant.* Verè hæc Scythica, & Arimaspia, & si qvid his nominibus indignius. Aliæ nationes, imperio gerendo magis idoneæ, ad munimentum imperii atrocitatem aliqvam expediverunt. Assyrii, & ho-

Jus belli varium. *Cæsar De bello Gallico lib. 1.* *Herodot. lib. 1.*

rum exemplo Babylonii, transportatione gentium & habitantium confusione, sublatâ virium & consilii communicati fiduciâ, regnum constabiliebant. Qvem morem & in Persis, violentis Babyloniorum successoribus, Plato notat, ὧν πέρσαι τυραννοῦσι τὰ νῦν, διαπεφορημένα καὶ ξυμπεφορημένα κακῶς ἐσπαρμένα κατοικεῖται. *Qvæ subsunt Persis, translata & confusa & malè culta habitantur.* Darius, præter hæc jam antiqvata, ut Scythicâ rapinâ abstinuit, ita modum in exigendis tributis excessit. Idem Babyloniis, post rebellionem astu ad pristinum obseqvium reductis, qvæ Cyrus intacta reliqverat mœnia disjecit, & portas omnes diruit. Qvod multis posthæc populis, imo & ante Darium regibus, imperii munimen placuit. Romani coloniarum misso examine, & gentem suam propagabant, & colla subditorum premebant. Et hoc qvam maximè sensu, *Ubicunq; vicit Romanus habitat.* Pauca mitioris in victos imperii, maximè ferventi recentis victoriæ cursu, exempla. In qvibus illud Belisarii, Carthaginis & Vandalorum victoris, eminet. *In urbe captâ, mutato statu, translato regno, ne ulla qvidem in foro taberna clausa est; sed, ut in longâ pace, milites à scribis publicis in hospitia libellis assignata introducti,* &c. Si in hac lenitate Justiniani omnes ministri perstitissent, militaris rei ab illo exempla ætates inseqventes petivissent.

De legib. lib. 3.

Herod. lib. 3.

Seneca ad Albiam.

Procop. Vandal. lib. 1.

Capto rege, aut sede regni principe, non ipso jure regna transeunt.

Variatur hic non tam sententiis doctorum, qvam

qvam rerum multiplici eventu. Capto Crœso, Lydorum regnum Persarum ad regem transiit. Amasis jam defuncti filio capto, Ægyptus Persarum juris facta. Sed nimirum victor Cambyses in regni visceribus hærebat: illic Lydorum vires per Cyrum cōciderant. De Canuto Danorū rege Cranzius: *Capto enim Adolpho Comite, qvid nisi in potestate habuit captivi omnia dominia?* Sed Adolphi dominia, inprimis urbs Lubeca, jam anteà in regē Daniæ, ut juris observantiorem & potentiâ simul validiorem, inclinaverant. Voluntas igitur obseqvii pro jure belli, potentiæ respectus pro æqvitate juris fuit. At in contrarium, si factis hominum agendum, exempla luculentiora, nec minoris regnorum amplitudinis, accersi poterunt.

Impugnatio Canonis defensio.

Vandal. lib. VII.

Mitto Polycratem Samiorum tyrannum, Græcorum eâ tempestate potentissimum; qvo per fraudem Oretæ Persæ capto & cruci affixo, Samus cum adjacentibus insulis Persarum sceptra nondum adoravit. Ad propiora nostro ævo venio. David Scotorum rex prœlio insigni victus, in potestatem Edoardi Angli, sed non cum eo regnum Scotorum, venit. Bajazetes Turcici nominis fulmen, à Timuro post infelicem pugnam in caveâ circumductus, regnum incolume superstitibus liberis, non victori ne qvidem affectanti, tradidit. Francisco Galliarum rege ad Papiam capto, & in Hispaniam abducto, fortè ne in mentem qvidem Carolo V. possessio Galliarum venit. Nam ubi supersunt masculi ditionum hæredes, proceres regni rebus non diffidentes, vires belli calamitate non exhaustæ: parum in juris opinione victori præsidii.

Polycrates.

Scotus.

Childerun.

Franciscus.

Ne urbibus qvidem dominatricibus, aut dominationum sedibus, in potestatem redactis, cætera in accessionem semper cedunt. Qvâ in re exemplis ab ætate nostrâ remotis, nec iis domesticis, libenter utor. Habet enim *Ut in ætatibus autoritatem senectus, sic in exemplis antiqvitas.* Româ aliqvoties à barbaris invasâ, per partes Italia nihilominùs vincenda fuit. Byzantio à Muhammedo secundo expugnato, Athenæ, & qvod Græciæ superfuit, caudam victoriæ non traxit. Et anteà Byzantio à Venetis occupato, Lascaris imperii reliqviis non excessit. In virium enim desperatione, & periculi tædio, non in juris certi præscripto, hæc talia posita creduntur. Nec enim, ut de recenti memoriâ aliqvid adjiciam, Cracoviâ à Sveonibus & Varsaviâ Polonorum regi ereptis, Poloni se victos & possessione agri exutos credebant. Nec si Regiummontem, urbem sine munimentis diffusam spatio, Sveones aut Russi cepissent, Borussiæ ditione Fridericus excessisset. Urbes enim hominibus, non homines urbium fato serviunt.

Cic. in Oratore. Roma. Constantinopolis. Varsavia.

Principali non semper accessorium adhæret.

Sed eo extincto, aut in servitutem mancipato, aliqvando separatur. Cyrus, adversus Crœsum & Lydum movens, Græcis Asiaticis Crœso servientibus edixit; si sui juris esse qvam servire mallent, Lydico bello ne implicarentur. Qvod cum illi sprevissent, Lydis devictis dicto Persis audientes minimè fuerunt. Qvia igitur hosti auxilium tulerant; & variis obortis offensionibus, bello ad singulas civitates circumlato, tandem servientibus

Herodot. lib. 1. Jones & Æoles.

bus

bus & ipsi accesserunt. Qvod igitur milites Annibal oratione animat: *qvicqvid Romani tot triumphis partum congestumq; possident, id omne nostrum cum ipsis dominis futurum est:* id de congestis præcipuè; de populis Italiæ, Siciliæ, Iberiæ, qvatenus victori Romanorum non resistunt, intelligendum est. Nec Syria, post Tigranem devictum, provincia Romanorum facta esset, nisi gladio judice causam Pompejus disceptasset. Syria.

Thebanorum causam si qvis contra Alexandrum susceperit, idem fecerit, ac si qvis cum capiti mederi non possit, reduviam curet. Urbem eorum solo Alexander æqvaverat: bona diripienda militum ferociæ concesserat: ipsos venundandos hastæ subjecerat. Qvid mirum, si Thessalos obligatione centum talentorum, ad qvæ exsolvenda naturaliter obligati manebant, liberavit? An victoriæ jure exigere ea centum talenta Alexander potuerit, non est hujus loci inqvirere. Qvanqvam nomina & obligationes, qvæ manu prehendi non possunt, incensum victoriæ venire non arbitror. Jus qvidem aliqvod est belli: sed jus ex violentiâ ortum: qvod cum jure pacato ægrè per omnia comparatur. Nec in jus belli omnes judiciorum legitimorum, omnes arbitriorum honorariorum, omnes officiorum domesticorum, normæ & formulæ concludi & compingi possunt. Non igitur planè de nihilo est Qvintiliani pro Thebanis dissertatio; id demum victoris esse qvod ipse teneat: jus qvod sit incorporale apprehendi manu non posse: aliam conditionem esse hæredis, aliam victoris, qvia ad illum jus, ad hunc res transeat. Speciosè qvidem à viro magno dicitur: Thebanæ causæ disceptatio.

qvi dominus est personarum, idem & rerum est, & juris omnis qvod personis competit. Sed hoc eo rigore, qvo hic proferri videtur, ne in mancipiis qvidem ære emtis locum habet.

Servorum privilegia.

Habēt enim peculium suum, habent rationes à domini rationibus separatas. Habent ad qvem confugiant, si domini æqvitatis omnis obliviscantur, judicem.

Seneca de Benef. lib. 3.

De injuriis dominorum in servos qvi audiat, positus est: qvi & sævitiam & libidinem, & in præbendis ad victum necessariis avaritiam compescat. Si omnia defecerint, in dominii mutandi postulatione refugium servis relictum est.

Plutarch. Moralibus.

Ἔστι καὶ δούλοις νόμος ἐλευθερίαν ἀπογνοῦσι, πρᾶσιν αἰτεῖσθαι. *Est & servis, libertatis redemtionem desperantibus, jus venditionem sui petere.* Non igitur pejoris conditionis cives, qvanqvam victoris arbitrio cedentes, qvam vilia mancipia esse cōvenit. Cum applausu qvidem dici videtur: *Qvi possidetur, non possidet sibi: nec in potestate habet, qvi non est suæ potestatis.* Sed hoc & ab humanitatis jure refellitur, & ab imperiorum usu redarguitur. Suos enim pagos civitates, altiori imperio subjectæ, possident. Sin minus: armenta sua, domos, & supellectilem possident.

Sicilia.

Sicilia à Romanis, ut cæteræ provinciæ, possidebatur. Tamen contra raptorem provinciæ suæ, prætorem Romanum; defensorem calamitatum suarum, ultorem injuriarum, cognitorem juris sui, actorem causæ totius Ciceronem esse voluerunt.

Cic. in Cæcilium.

Imò peculiaria sua jura, juri Romano non subjecta, in ea servitute Siculi tenebant.

In Verrem libro 2.

Siculi hoc jure sunt, ut qvod civis cum cive agat, domi certet suis legibus: qvod Siculus cum Siculo non ejusdem civitatis, ut de eo prætor judicet. & cætera qvæ sunt legis pro Siculis Rupiliæ. Desinamus igitur, splendidâ violen-

violenti juris interpretatione, vestigia libertatis hominum obruere, & ipsa humanitatis jura homines & ipsi infringere.

Particulare belli gerendi lucrum vel ad res captas, vel ad personas porrigitur.

Res bello captæ capientium antiqvo gentium jure fiunt.

Πάντα τὰ τῶν νικωμένων ἀγαθὰ, τῶν νικώντων γίγνεσθαι; *Omnia eorum qvi vincuntur bona, vincentium fieri,* *Primo de Legibus.* Plato ut ex Apollinis tripode pronunciat. Merum *Bona devictorum.* qvidem naturæ jus aut paria tantum damno illato reposcit, aut pœnâ infligendâ nec lucri cupididati immolat, nec pœnæ modum excedit. Gentium jus, freni magis qvam calcarium indigens, nec ulciscendi carceres, nec rapiendi metam sibi figit. *Scelera non ulcisceris, nisi vincis:* cum ab Atreo dici- *Seneca in Thyeste.* tur, impium ac immane videtur: cum gentium consensu profertur, non vituperatur. *Arma tenenti* *Lucan. lib. 1.* *Omnia dat, qvi justa negat:* magnanimè magis, qvam ad naturam justè, & tamen ad jus gentium accommodatè, à Cæsare jactatur. Nec tamen ita sentio, qvasi hoc jus gentium planè cum jure naturæ pugnare videatur. Nam qvod in exæqvatione damni illati superest, vitæ in bello periclitatione compensatur. Alióqvi nec Deus devictæ civitatis prædam, ut belli laborum fructum, capientibus *Deut. 20. v. 14.* diripiendam & fruendam concessisset: nec sibi qvingentesimam è spoliis Midianiticis, ad taber- *Num. 31. v. 28. 29.* naculi functionem sacrandam, selegisset. Qvin

& ad sibi devotorum virorum, qvorum plena historia veteris testamenti, hostiles exuvias non cōnivisset. Decimas per Abrahamum Melchesedeco oblatas non tango: qvandoqvidem naturalem prædæ reducendæ modum Abrahamus non excessit. Nihil enim qvatuor illis regibus, qvod non ipsi prædando avexerant, eripuit.

Gen. 14.

Agri etiam victurum gentium in deprędationem abeunt.

Primus agros, qvos bello Romulus ceperat, divisit viritim civibus. Qvi mos paulatim exolevit: agris bello devictorum, nisi coloniis assignarentur, tributariis faciendis, aut publico reditui assignandis. Scriptura ex pecorum pastu, ex agris decumæ, vectigal è portubus ærarium senatus Romani saginabat. Præter decumanum frumentum, æstimatum & emtum provincialibus imperabatur. Decumanum ex decumâ aratores, nullo appenso pretio, populo Romano solvebant. Æstimatum erat, qvod præses provinciæ exactum, in cellam suam, id est, in usum familiæ alendæ, seponebat, sæpiùs pecuniam pro frumento, avidiùs qvam modestiùs, exigebat. Emtum frumentum dicebatur, qvod ad alendum populum Romanum, qvi agriculturâ Italiæ neglectâ ventis & otio pascebatur, qvotannis aut extra ordinem mittendum fuit. Præter hæc frumentorum genera, vectigal certum, qvod stipędiarium dicebatur, qvasi victoriæ præmium aut pœna belli, imponebatur. Aliis censoria locatio, ut Asiæ ab Attalo donatæ, constituebatur. Sic agros qvondam suos, nunc per censorem à populo Romano locatos, antiqvi

Cic. de Rep. lib. 2.

Agri provinciales,

Frumentatio.

Cic. in Verrem lib. 3.

Locatio.

antiqvi possessores arabant. donec his ipsis colendis, aut culpæ aliqvâ specie inventâ, aut militaribus coloniis immittendis, pellerentur.

Etiam belli naturâ injusti spolia sunt acqvirentium.

Jure nimirum antiqvæ, & passim apud gentes receptæ, consvetudinis. Non enim sibi gentes, qvæ bello non permistæ sunt, judicium de causâ belligerantium sumunt. Hosti autem si judicium illud permittas: nunqvam is causâ se minorem, aut jure sibi ereptas facultates, pronunciabit. Sed fit aliqvando, ut bellicus prædator, vel conscientiâ convictus aut magnitudine animi, vel jussu superiorum, capta bello restituat. Animi celsitudine Pyrrhus Romanis captivos, nullo redemtionis pretio accepto, reddidit. Non enim cauponari bellum, sed armis de eventus favore periclitari, voluit. Senatus jussu consul, qvi bellum sibi non mandatum gentibus nihil culpæ meritis intulerat, captivos reqviri & in libertatem redire curavit. Pekâ autem Israëlitis imperante, qvi à Judæâ bello injusto avecti erant, etiam calceati & vestiti ab hoste remissi sunt. Hæc una est ratio contra regulam nostram exceptionis. *Juris belli durities:* *Repagula.* *2. Chron. 28. v. 15.*

Altera est: si bellum pactione, non plenâ victoriâ, finiatur. Fit enim persæpè, ut qvæ usu absumta non sunt, utrinq; ablata ad dominos antiqvos redeant. Ita bellum inter imperatorem Ferdinandum, & Christianum Daniæ regem, hac ratione sopitum est; ut urbes arcesq; utrinq; restituerentur, captivi dimitterentur, expensæ & damna illata neutri parti fraudi essent. Pace autem, qvæ inter *anno 1629.*

anno 1660. Polonos & Svecos nuper convenit, etiam in Sveciam & Livoniam avecta, Polonis & fœderatis eorum restitui jubebantur. Fit interdum ut belli prætereà expensæ, & damni illati compensationes, exigantur. Nec rarò qvæ capta bello sunt,
1641. apud recentes possessores remanent. Qvod Monasteriensi, inter Hispanos & Belgas fœderatos, pacificatione conclusum. Exceptionibus igitur nullis obstātibus, firma manet Aristotelica regula: ὁ νόμος ὁμολογία τίς ἐστι, ᾧ τὰ κατὰ πόλεμον κρατούμενα τῶν κρατούντων εἶναί φασι. *Lex qvædam conventio est, qvâ bello superata superantium fiunt.*

Res bello capta capientium fieri videtur, ubi persecutionem effugerit.

Verbum consideratissimum Romanæ consvetudinis ARBITROR, & Aristoteli familiare δοκεῖ, in ejusmodi assertionibus, qvæ à variante hominum voluntate dependent, locum qvam maximè habet. Non enim temporibus omnibus pro lege esse potest, qvod aliqvando placuit. Priscis mortalibus placuit, res captas capientium fieri, ubi intra hostium præsidia perductæ fuerint. Recentiori Germanicarum gentium jure temporis aliqva mora, puta civilis diei, reqviritur. Sed hæc de rebus loco amotis intelligi, perspicuum est. Nam ager castris hostilibus occupatus, non statim fit occupantium. Ineptè igitur Athenienses locum, qvem in agro Thebano non satis firmo præsidio tenebant, ut suum vendicabant. Nec indignandi causam Annibal habuit, cum agrum

Consvetudo belli varians.

Agri occupatio.

antemo-

antemœnianum Romæ, quem castris fixis insedebat, venditum à cive Romano & emtum audivisset. Stultumq; vindicandi genus fuit, qvod fori Romani pretiosa qvæq; in castris suis venum proclamavit. Ipsi enim ad Flavii consulis adventum agro Romano excedendum fuit, forum Romanum nunqvam invisuro.

Hostibus erepta, qvæ vero domino reddenda sunt, non optimo jure retinentur.

Romanorum, ante corruptionis qvidem irrepentem tabem, laudatur integritas: qvi hostibus erepta sociis, qvibus illi eripuerant, cognoscenda & domum auferenda exhibuisse memorantur. Scipio etiam signa, Siculis qvondam per belli vim erepta, Carthagine abducta antiqvis possessoribus restituit. Qvantum ab hac integritate degeneravit posterior populus, qvi agrum Gallicanum, qvem Cimbri insederant, victis Cimbris sibi adjudicavit! Non enim veri possessores Cimbri erant: qvi latrocinando, non bello legitimè gerendo, vagabantur. Κίμβροι, λῃσταὶ apud Lexicographum est: qvod rapiendi consvetudine, nullo belli gerendi jure, grassabantur. Perexiguum Gallorum interfuit, à Cimbris jam exaturatis, an à novis Romanorum hirudinibus, agrum suum teneri. Imò cum subinde sedes Cimbri mutarent, aut opulentiâ jam & otio emollirentur: spes Gallis recuperandi sua superfuit. Qvâ spe & jure suo à Romanis, raptorum tenacioribus, in perpetuum orbabantur. *Nec vi, nec clàm, nec preca-*

Victorum victor.

Cimbri.

Possessionis limites.

rio: in Romanis de possessione legibus erat. Qvod si Romani docere possunt, Cimbros nec vi agrum Gallorum tenuisse: non est qvod illos facti sui pudeat. In Syriæ, qvam Antiocho Pio per vim ereptam Tigranes tenuerat, retentione magis ab antiqvo candore qvam ab habendi aviditate Romani degeneraverunt. Præsertim cum sua recuperandi aut spem, aut etiam facultatem, Seleucidæ non plane abjecissent.

Judic. 11. Jephtæ ad Ammonitam legatio, qvam aliam opinionem foventes in frontispicio collocant, sententiam eorum non tuetur. Amorrhæi enim, qvi agrum Ammonitis eripuerant, ante trecentos annos naturæ satisfecerant. Imò nulla habetur in sacris, de agri Ammonitici per Amorrhæos privatione, literula. David, qvem alterum injuriæ patronum qværunt, nullos Palæstinorum agros ab Amalecitis invasos occupavit. Spolia suis civibus erepta, & incertum qvibus aliis, periculi præmium & oppidi instaurandi materiem, reduxit. Volsci antiqva nimium, & jure belli legitimi amissa, repetentes, meritò à Tito Largio rejecti sunt. Livii locus: *De Ligure captus is ager fuerat: Ethruscorum ante qvam Ligurum fuerat:* istuc non pertinet. De diuturnæ enim memoriæ possessione, cujus recuperandæ spem Ethrusci abjecerant, agebatur.

Ammonitæ. 1 Sam. 30. Amalecitæ. Volsci. Ethrusci.

Jus in personas bello captas aliud antiqvum est gentilium, aliud Christianorum recentius.

Jus

Jus antiqvum aliud in mediocris conditionis homines, aliud in reges & dynaſtas viguit.

Qvi, nobili qvamvis loco nati, infra ſummi imperii dignitatem ſubſliterunt, eorum plerunq; vita tutiori in loco poſita erat. Vendi ſolebant, *Servorum conditio.* aut ad viliores operas addici, aut ad ſplendorem familiæ & comitatus pompam ſervari. De venditione, Græcis cum barbaris communi, Plato: Τὸν δὲ ζῶντα εἰς τοὺς πολεμίους ἁλόντα, ἆρ' οὐ δωρεὰν διδόναι *De republicâ, lib. V.* τοῖς ἑλοῦσι χρῆσθαι τῇ ἄγρᾳ ὅ, τι ἂν βούλωνται; Κομιδῇ γε. De liberali qvidem donatione captivi agere videtur: ſed qvem donare aliis, eum & vendere permiſſum. Operæ ſervorum plerunq; duræ & ſordidæ, parcaq; demenſi qvaſi mercede compenſatæ. Moderati qvidem illi ſervitii cenſores, qvi ſervis *ita jubent uti, ut mercenariis, ad operam exigendam, & juſta præbenda.* *Cic. offic. lib. 1.* Sed vita eorum plerunq; ludibrio, venter fame conflictabatur. Qvanqvam alii amplâ in dominorum familiâ lautiores, inerti otio ſaginati, à luxu propè aberant. Manſit ſervilis cõditio etiam in poſteris: ita tamen ut matris fortunam, ob incuſtoditos nec lege ullâ conſtrictos ſervorum concubitus, traherent. Legem naturæ *Lex Naturæ.* id Ulpianus vocat: id eſt, vetuſtate radicatâ, nec à naturæ lege abhorrentis, conſvetudinis.

Effugere autem ſervitutem, & ſe arreptâ fugâ *Fuga ſervorum.* in libertatem vindicare, maximè cum duriori cõſtringaris vinculo ſerviendi, nec æqvitati naturali videtur, nec juri divino eſſe contrarium. Homi-

nem enim captivitate detineri, non est ex æqvitate naturæ; sed ob vitandum majus malum, occisionem nimirum, concessum. Nec fugam servo jus divinum interdicit: sed fugientem domino antiqvo tradere prohibet. Puniuntur tamen fugitivi è fugâ retracti: & vel compediti arctantur, vel ut apud Romanos furcæ collo inserto per civitatem traducuntur, vel planè in crucem tolluntur. Nimirum qvia dominis expedit, servos tali spectaculo à simili fugæ conatu absterrere; & qvia jus civile, ad civium utilitatem conditum, ad dominorum severitatem connivet. Qvanquam servos, qvi minùs duriter nec inhumaniter habentur, dominis fideliter adhærescere, & fidei est & gratitudinis. Fidei, ob dominorum in eos fiduciam: gratitudinis, ob vitam à cæde servatam, & alimoniam præstitam.

Deut. 23. v. 15.

Regum conditio.

Reges in bello capti, superiorum armis gloriæ, & sæpè ostentationi superbæ potentiæ, servierunt. Josuam, regum captorum colla pedibus terenda subjicientem, & arborum densatis ramis appendentem, in Politicis excusare studui. Sesostrim v Osirim, reges currui suo jungentem; Cyrum c ptos reges rogo incenso imponentem, & alia Orientis sævitiam, profani scriptores argu Adoni Besecum, septuaginta reges mutilatis m nibus & pedibus humi, legendis mensæ reje neis, sternentem; & talionem pœnæ recipient sacra scriptura suggillat. Eadem Saulis, cru manu in seipsum usi, post fatum obitum cap truncum muro Palæstinorum cum ignomini fixum, notat. Nec Assyrios reges & Babylon reges vel carceris sqvalori mancipantes, vel

Judic. 1. v. 7.

1. Sam. 31. v. 10.

torm

tormento enicantes, præterit. Hyrcanum, Asmonæorum regum ultimum, Parthi auribus accisis vivere in gentis ludibrium jusserunt. Qvod genus in captos dehonestameti Parthis non infreqvens fuisse, Gotarzis in Meherdatem bello captum sævitia demonstrat. Nec mitior oriente humanitatem exuente septentrio, & in septentrione Scandinavia. Ericum Sveciæ regem, pugna navali per insidias captum, Haldanus Daniæ rex, qvasi per misericordiam religatum misit in loca feris bestiis freqventata. Sed multa sunt ejusmodi Scandinaviæ, multa confinis Scythiæ & Sarmatiæ, crudelitatis vetusta monumenta. Nec Roma, humanæ sortis magis aliqvando memor, captorum regum reverentior. *Cum de foro in Capitolium currum flectere incipiunt, illos duci in carcerem jubent: idemq; dies & victoribus imperii, & victis vitæ finem facit.* Triplex miseris eventu pugnę regibus supplicium: per ora hominum superbo spectaculo traductio; in carcerem ignominiosa detrusio; vitæ in carcere ademtio. Adeò in reges, acriori sensu dolorem sortis mutatæ ferentes, graviùs qvam in vulgus fortuna domina rerum intonat. Sed hæc qvidem non solum tenebris vetustatis, verum etiam luce libertatis exortæ oppressa transeant.

Tac. Ann. lib. 12.

Crantz. Dan. lib. 1.

Cic. in Verrem lib. V.

Sapientes tempora caliginis & lucis regnantis dispertiunt.

Multa antiqvorum duritiæ, in mitiorem tramitem detorta, usus ad molliora flexit, dies hesterno sapientior leniit, ætas mundi senescens mitigavit. Sed inprimis tenacibus præceptorum

Christianitatis radii.

Christi studiis patrum ætas flagrans, non pauca, ad posteritatem & nostrum ævum transmittenda, de veterum bellandi scabritie remisit. Reverentia igitur Christianæ legis, nec gregarios captos ad serviles operas detrudit, nec reges ad triumphum reservat. Redemtio captis & permutatio proposita est: aut in durissimis continuatio carceris. Nam qvod Turcæ triremi addicuntur, in talionis justam vindictam cedit. Pretio igitur, vel pactione convento, vel ad arbitrium victoris constituto, captivi dimittuntur. Nec ducum tantum est, verum etiam inferioris ordinis militum, pretium pro libertate captivorum, qvos ipsi ceperint, exigere. Nisi qvem splendor eximiæ dignitatis communi sorti eximit: qvem ad superiores adduci, & ab iis vel pretio vel gratis dimitti, moris est. Atq; hæc, satis laborum in scribendo, satis etiam molestiarum in legendo, habentia sufficiant. Nos bellorum cum exteris, & victoriarum etiam, superato spatio:

Dignitas exemta.

Στήσαμεν δ' ἀθύμως τὸ μυκχόνον ἀδὲ τρόπαιον.

CAPUT VII.

DE BELLO PACTIONE FINIENDO.

Ut navigationis portus, ita belligerationis meta pax habetur.

Sidera pace vigent, consistunt terrea pace:
Nil placitum sine pace Deo:

inqvit poëta Christianus.

Prud. Psych.

Nulla salus bello: pacem te poscimus omnes:
inqvit poëta alius. Virg. Æn. 11.

Prurigo tamen gentis humanæ, eundem semper statum non ferentis, ut in qviete navigationem, ita in pace bellum freqventer exoptat. Ad qvod cupido plura acqvirendi; & spes è bello amplioris lucri sæpè exstimulat. Pacis intolerantia.

Certa amittimus, dum incerta petimus:
non ineptè Plautus argumentatur. Sed ut in navigatione ventis turbulentis abrepti, inani cœptorum pœnitentiâ litus frustra respicimus: ita armis temerè commotis clades, & damna non reparabilia, serò ingemiscimus. Pseudolo.

Tum deniq; omnes nostra intelligimus bona,
Qvum qvæ in potestate habuimus, ea amisimus:
ait alio in loco Comicus. Captiv.

Est tamen belligeratio, ut æstu ingravescente nimbus, nonnunqvam necessaria. Ἐκ πολέμου μὲν γὰρ εἰρήνη μᾶλλον βεβαιοῦται. *E bello enim pax magis confirmatur.* Navi autem post fluctuationes in tranqvillum subductâ, & serenitate pacis post atras belli procellas affulgente, constantiùs qviescimus. De pacificatione igitur nobis, postqvam belli tumultum scribendo exhausimus, agendum. Thucyd. lib. 1.

Ejusdem est finire bellum, cujus est & suscipere.

Nam qvi belli gerendi potestatem, is & pacis constituendæ rationem habet.

Pacis conventio est vel æqvalium armis & animo, vel inæqvalium.

Æqvales hic accipio, qvorum pars utraq; sibi confidit, neutra se victam fatetur. Hi vel capta bello utrinq; restituunt: qvalis pacificatio Hispaniæ & Galliæ regibus non semel isto sęculo placuit. vel possessione nihil loco mota, res in qvo sunt inventæ dominio manent. qvo pacto inter Hispanos & Belgas, olim pacis præludiis induciis, nuper plenâ pace convénit. Sunt qvibus qvod armorum felicitati deest, animus cedere nescius resarcit: & iniqvam belli fortunam temporum commutatio supplet. Christianus Daniæ rex, bello magnanimus magis qvam fortunatus, æqvissimas à Ferdinando Cæsare pacis conditiones impetravit. Nimirum novas ex insularibus thesauris, qvos penetrare à navibus non instructo Cæsari negabatur, copias Daniæ monarcha cogebat. Nec Ferdinando, aliis rebus intento, in Jutiæ miserabili angulo hærere è re suâ aut publicâ visum. Inæqvales voco, qvi etsi non plenâ victoriâ concessâ animo concidunt, temporibus tamen cedentes aliqvid de æqvalitate conditionum remittunt. Hi aut impensas belli resarciunt, aut parte agri capti cedunt, aut alio quovis modo pacem efflagitatam redimunt. In re minùs jucunditatis habiturâ, priscis & cum ævo sepultis exemplis, qvam recenti memoriæ obversantibus, uti malo. Non semel victi à Græcorum manu Persæ, Atheniensibus belli reliqvias ad Asiam persequentibus, in has pacis habendæ leges consensere, ut insulis Ægæi maris Atheniensibus excedentes, nec navigatione ad eas fauces Phœnicum tentatâ, qvantum diei iter esset à mari recederent. Bello peloponnesiaco post Siculam cladem, non tam victi

Pacificatio æqvalium.

vel qvasi æqvalium.

Inæqvalium.

victi qvam calamitate obruti Athenienses, insularum imperium sibi eripi, & muros ad exemplar Spartæ dejici, passi sunt. Sed hos, pro victis exitu belli habitos, commodiùs in aliam classem rejicio.

Spartanorum, victoriæ tum temporis moderatorum, exemplo discamus: non omnem opprimendi hostis jam jacentis occasionem esse rapiendam. Qvod est difficile factu, idem præclarum. Difficiliùs autem ab animo vindictæ cupido impetraveris, hosti in manus tradito parcere, qvàm prostratum erigere. *Ulciscendæ injuriæ facilior ratio est, qvam beneficii remunerandi. propterea qvod superiorem esse contra improbos, minùs est negotii, qvam bonis exæqvari.* Nec omnis discordiarum exitus, aut in universo interitu, aut in victoris dominatu terminandus.

Victoriæ moderatio.

Cic. post reditum ad Qvirites.

Nulla conventionem pacis perfidiæ nebula obfuscet.

Solertes Galli in fraudulentiâ sibi videbantur: qvi gladio stateræ appenso, aurum ex pacto pendendum prægravârunt. Qvos imitatus in Germaniâ Henricus, dolosâ staterâ missâ, Vendos pacem petentes omni auro ad assem exuit. Sed nec Galli, à Camillo ad internecionem cæsi, fructu fallaciarum diu lætati sunt: & Henrici posteritas non diu post illum dolum commissum defecit. Alii verborum offutiis fidem, & jurisjurandi religionem, fractam incrustant. Sic Persæ, Barcæos in Cyrenaica regione frustra oppugnantes, perjurii integumento ad ultionem expetitam perve-

Prava solertia.

Cranz. Vand. l. 5.

Juramenti cavillatio.

nere. Terræ clàm excavatæ tignis impositis, terram aliam aggesserunt. Cui insidentes Barcæis juraverunt, ἐς' ἂν ἡ γῆ αὕτη οὕτω ἔχῃ, μένειν τὸ ὅρκιον κατὰ χώρην. *dum terra ista ita se habet, jusjurandum firmum mansurum.* In urbem igitur Barcen ut amici intromissi, disjectâ qvam tignis superstraverant terrâ, vinculo religionis se exolutos arbitrati, ad cædem & supplicia oppidanis inferenda vertebantur. Non prorsus dissimile facinus de Hispano qvodã, bono militiæ duce, memoratur. qvi, ut à Belgis dimitteretur, juratus; neq; eqvitem se neq; peditem contra ipsos deinceps militaturum; lecticâ se in aciem deferri jussit. Levia hæc esse, & risu qvam odio digniora, arbitrantur. Non ita Demostheni, duci Atheniensium & oratori, visum. Τὸ δ' εὐσεβὲς, καὶ τὸ δίκαιον, ἄντ' ἐπὶ μικρῷ τις, ἄντ' ἐπὶ μείζονος παραβαίνῃ, τὴν αὐτὴν ἔχει δύναμιν. *Religionem & justitiam, sive in parvo qvis, sive in magno violaverit, eandem delinqvendi vim obtinet.* Sed nec parvum existimandum est, qvod stragem gentium perseqvitur; nec leve, qvod jurisjurandi sanctimoniam ludibrio obducit. Etiam cum emolumenti neglectu, etiam cum damni perceptione, fidei omnibus in rebus & honestati consulendum. *Hoc sentire, prudentiæ est: facere, fortitudinis: & sentire verò, & facere, perfectæ cumulatæq́; virtutis.*

Herodot. Melpom.

Delicti extenuatio.

Philipp. 1.

Cic. pro Sextio.

In pacis conventione conservandâ qvantum à fraude absumus, tantum nos à crudelitate sejungamus.

In

In dubiæ igitur interpretationis fœderibus, qvi ſenſus plus in oppreſſos favoris habet, in eum potiùs qvàm in contrarium inclinemus. In omni deniq; belli & pacis actione non pareamus dolori noſtro, nec iracundiæ ſerviamus. Interdum etiam ab eo, qvod belli & pacis conventæ jure licet, ſi ad crudelitatem vergat, abſcedamus. *Eſt enim aliqvid, qvòd non oporteat, etiamſi licet: qvicqvid verò non licet, certè non oportet.* Extorqvere igitur tributa vel auxilia, qvæ non pactus fueris, nec licet, nec oportet. Extorqvere conventa à miſeris & peſſum euntibus, licet illud qvidem, ſed non oportet. Antiqvior enim eſt humanitatis, qvam homini natura inſevit, qvam juris belli ratio. Ultionis capiſtrum. *Cic. pro Balbo.*

Captivorum nomine tranſfugæ non veniunt.

Illi enim inviti; hi ſponte apud hoſtem remanent: illi reditum ad ſuos deſiderant; hi metu pœnæ refugiunt. Niſi igitur nominatim de tranſfugis actum fuerit: lege captivorum poſtliminii non comprehenduntur. Id & ad oppida, non vi ſed ſpontaneâ tranſitione recepta, à viris doctis trahitur. Qvæ ſententia vereor, ne à bellorum uſu refutetur. Transfugæ.

Nihil poſt reconciliationem in vultu & ſermone offenſarum hæreat.

Ne videatur nimirum infirmior gratiæ reconciliatæ fides. Si qvid igitur poſt pacem ſancitam in mentem venerit, qvod bello durante commiſ-

Oblivio doloris.

ſum vel exactum fuerit; diſſimulatione ſepelire, qvam exprobratione refricare, ſatius. Κράτισται διαλλαγαὶ, ἐν αἷς οὐδὲν ἐστιν ἔγκοτον οὐδὲ μνησίκακον. *Optimum reconciliationis genus eſt, in qvo nihil ab inteſtinâ irâ purulentum, nihil ab injuriarum memoriâ qverulum, ſubſidit:* inqvit in hiſtoriâ Romanâ Dionyſius. Nam craſſamento irarum ſubſidente, & ſe verborum indicio proferente, facilè vulnus obductum recrudeſcit.

In reddendi poſt pacificationem promtitudine res alia aliis præfertur.

Prærogativæ liberationis.

Rei nomine generaliter hic utor: ita ut & hominum ſignificationem comprehendat. Primò igitur homines vi belli ablati, cæteris omnibus præferuntur. Nihil prius Lacedæmoniis fuit, qvam ut Spartani, à Cleone Athenienſium duce in Pylo intercepti, redderentur. Perſæ verò, poſt excitatam è ruderibus ab Artaxerxe Perſarum potentiam, adeò indignè tulerunt, aliqvem ſuorum captum detineri, ut prodigii inſtar haberetur, Perſam in Romanorum ſervitute remanere. Proximo poſt homines loco agri habentur: qvi rebus mobilibus in repetitione præferuntur. Nec mirum: cum de agrorum proferendis, aut conconſervandis, limitibus freqventatiſſima bella moveantur. Ut rem in populo Romano novam ſcriptores notant: Jovianum, poſt Juliani imperatoris cædem, Nini & urbium circumjectarum poſſeſſione ceſſiſſe. In eum enim diem, qvanqvam graviſſimis belli calamitatibus contuſi, nullâ agro-

agrorum spontaneâ cessione se victos fateri volebant. Et hoc est, qvod victor terrâ mariq; Constantius semper Augustus, ut se apud Ammianum gloriosè jactat, ad Saporem Persarum regem scribit, populum Romanum prœliis sæpè, bellorum exitu nunqvam victum. *Marcell. lib. 17.*

Mobilibus in rebus favoris plus habent, qvæ in publico reperiuntur. Nam & conqviri faciliùs, & reddi expeditiùs possunt. Qvæ à privatis possidentur, minùs ægrè extorqveri possunt, si ipsi ceperint, aut donatione acceperint, qvam si per emtionem aut mercedis loco acqvisiverint.

Sed istæc omnia de iis, qvæ bello vigente capiuntur, per pacificationem reddenda, intelligenda sunt. Nam qvæ pace conventâ rapiuntur, ipso jure ad verum possessorem transeunt.

Fructus percepti. Illud monere supervacuum est, cui terra aliqva per pacificationem conceditur, ei & fructus concedi, à tempore concessionis, non retrò. Inepti enim Sveones fuissent, si concessæ sibi à Danis Hallandiæ & Scaniæ fructus antecedentium annorum exegissent. ut planè ineptus fuit & bardus Sextus Pompejus, qvi Peloponneso ab Octavio & Antonio sibi concessâ, tributa exactorum annorum sibi vindicabat. Nihil enim juris in Peloponnesum, qvę privatæ possessionis non erat, unqvam habuerat. At si qvis agri per vim sibi erepti fructus perceptos exigat, eosq; ab adversario per pacificationem extorqvere possit, nihil meo judicio absurdi committit.

Appellatio. Nec illud difficultate laborat, Nomina regionum accipienda esse ex usu præsentis temporis. Nam si qvis Galliarum nomine Helvetiam im-

perio suo adjici postulaverit; si Galliæ Belgicæ Picardiam, & qvicquid est ad Rheni tractum ad Alpes usq; terrarum, ex Augusti Cæsaris divisione, adjecerit; si Trajectensem agrum, cum Frisiâ & magna parte Geldriæ, à Belgio sejunxerit, Germanorum imperio adjiciendam: nihil judicio & vulgi & peritorum egerit.

In dubiis interpretatio contra conditiones ferentem accipitur.

Interpretatio cui damnosa. Ut si qvis prædia in usum vel proprietatem concesserit, si nihil nominatim excepit, immunia concessa intelliguntur. Ut enim in rebus venditis & emtis, contra eum qvi mercium pretium indicat; ita in hujusmodi contractibus, contra conditiones elocutum fieri solet interpretatio. Ferre autem pacis conditiones ejus est, qvi armis & belli exitu plus potest. Plutarch. Qvod autem Sylla regi Pontico ait: τῶν δεομένων ἐστὶ τὸ πρότερον λέγειν· τοῖς δὲ νικῶσιν ἐξαρκεῖ τὸ σιωπᾶν. *Pace indigentium est priùs loqvi: victoribus autem satis est tacere.* de petendis pacis conditionibus, non de ferendis intelligitur.

Non omnibus in pace facinoribus pax restituta rumpitur.

Rumpendæ pacis limites. Liv. lib. XXXV. Primò qvod paucorum audaciâ committitur, à publico consilio sejungendum. Rectè à Rhodiis Romani, causam belli arripientes, admonentur: *Ne unius amentiam civitati assignarent: suo qvemq; pericu-*

periculo furere. Deinde qvo animo qvid, qvo consilio factum sit, benignè interpretandum. In omni enim injustitia *permultum interest, utrum perturbatione aliqvâ animi, qvæ plerunq; brevis est & ad tempus, an consultò & cogitatò fiat injuria Leviora enim sunt, qvæ repentino aliqvo motu accidunt, qvam ea, qvæ meditata & præparata inferuntur.* 3. Distingvendi conatus à factis prorumpentibus, & à conatibus verborum non atroces contumeliæ. 4. Non omne ob hostile facinus fœdere pacis rupto, omnia cædibus & flammis miscenda. Saltem tumidi gloriâ militari bellatoris monitionem, in præparandâ hominum strage, non spernamus: Cic. offic. lib. 1. Terent. Eun.

Omnia priùs experiri, qvam armis, sapientem decet. Grotius hostiles actiones, qvæ paci infringendæ faciant, ad tria genera reducit. Si qvid fiat contra id qvod omni paci inest, vel contra id qvod in pace sanciendâ dictum est, vel deniq; qvod specialis pacis natura desiderat. Qvorum dictorum explanatio ab ipso autore, si cui desideratur, petenda. Detrahendam tamen & hic facto invidiam, nec statim ad promiscuam ultionem prorumpêdum, rectè monebitur. 5. multò minus qvæ in læsionis opinione, non in ullâ injuriâ, consistunt, amicitiæ rumpendæ pondus adjiciunt. Ut si qvis cives emigrantes, non magno nimirum cœtu, in civitatem suam recipiat. Si exulibus, non certo loco astrictis, perfugium præbeat. De fugitivis, & ad vindictam qvæsitis, alia ratio censetur. Eliam certè, pacis judicio regio perturbatorem, crudelitatem reginæ fugientem, omnes apud reges & nationes ad dedendum, cum juramento exacto, Achab qvæsivit. Pactyen regis Persarum fugitivum, ut est apud Lib. 3. c. 20. Fugitivi. 1. Reg. 18. v. 10.

Herodotum, insulani belli vitandi causâ poscentibus Persis dediderunt. Et hic qvidem Pactyes indignâ rebellione, & thesaurorum Sardiensium inversione, iram regis meruerat. Democedem verò medicum, amore patriæ ad suos fugientem, Darius à Crotoniatis cum belli indictis minis repoposcit. Ut enim pulsos à civitate suâ aliqvo loco consistere necesse est, ita per crimen ultrò fugientes recipere, omnibus non est concessum.

Herodot. Thalia.

Modi pacis inveniendæ varii.

Dramate, qvod pacem Aristophanes inscribit, Græci universi pacem, alto puteo demersam, magno nisu vix tandem extrahunt. Difficultatis causæ aliæ à publico, aliæ à privato impedimento. Publicè & progressus fortunatioribus pacem, & calamitates pressis remorabantur. Currente ad votum belli navigio, hosti ad internecionem instandum clamitabatur. Remittente victoriarum aurâ, & nimbo gravioris procellæ insurgente, hosti vel pacem æqvâ lege offerenti fides non habebatur. Privatim paci obicem ponebant, aut bellum in pacis portu qværebant, qvibus opera dabatur τῷ τῆς πόλεως κινδύνῳ ἰδίᾳ ἐλλαμπρύνεσθαι, *cum civitatis periculo privatim splendere.* qvod Nicias de Alcibiade pronunciat. Cujusmodi pacis remora apud Romanos Marius fuit, ἀφυὴς πρὸς εἰρήνην καὶ ἀπολίτευτος, *ad pacis & civilia negotia ineptus.* Aliqvando fluctu belli arepta navi, intricati tumultus exitum non inveniunt. Nec semper verum est illud de Pompejo effatum, Ὅτι τῶν αὐτῶν ἐστὶ, καὶ ποι-

Pacis impedimenta.

Thucyd. lib. VI.

Plutarch. in Mario.

idem in Pompejo.

εἶναι τὰ μεγάλα κακὰ, καὶ ποιεῖν, *Eorundem esse, magna mala efficere, & ad exitũ perducere.* Non semper tamen frustrà, modò seriò res sit suscepta, laboratur.

Modus pacificationis simplex antiqvis fuit; missis legatis pacem petentium vel offerentium. qvod, ubi pars neutra se victam fatebatur, plerumq; eorum fuit, qvi belli initium fecerant. Lacedæmonii igitur, qvi bello Athenienſibus indicto in Atticam irruperant, mittendis de pace legatis priores fuere. Nostro seculo convenientius est, arbitris interpositis, causam pacis & belli disceptare. Nec abhorret ab ævi more; legatos utrinq; de pace acturos, loco ab armis qvieto, convenire. Inter rariora antiqvitùs fuit, selectis utrinq; ad duellum viris, paucorum periculo cõtroversiam finire. Qvod qvoad dirimendam litem, & majorem hominum stragem præcavendam, minimè improbamus. Qvanqvam ubi de servitute & imperio agitur, ægrè ad illam periclitationem venitur. *Imperium agebatur, in tam paucorum virtute atq; fortunâ positum:* de Curiatiorum duello & Horatiorum Livius. Re in discrimen perductâ, qvi exitus armorum fuit? *Imperio alteri aucti, alteri ditionis alienæ facti.* Qvod inter cognatos populos, miti imperio regendos, qvales Romani & Albani, ferendum. qvanquam hi, seqviorem fortunam experti, fremebant: *Tribus militibus fortuna publica commissa.* Ubi verò de crudâ servitute agitur, liberis hominibus barbarorum libidini dedendis, nolim ejusmodi armorum aleam svadere. Ut enim qvondam Græcis Persarum arrogantia, ita Germanis Fastus Turcarum, extremâ conaturis, depellendus.

Pacis petendæ & dandæ instrumenta.

Monomachia.

Liv. lib. 1

Gg

Sortes. De belli exitu sorti committendo, de unius prœlii decertatione, & dubiæ victoriæ indiciis, cæterisq; similium qvæstionum, qvæ sunt rarioris, vel potius nullius, usus; calamum non habeto. Græcorum sunt ista delitiæ, in labore otiosorum, in otio laboriosorum.

Pacificatorum ingenia. Ad pacis porrò recuperationem facilè venitur; si aut de pervicaciâ animi, aut de imperii cupiditate utrinq; remittatur. De bello Pompejano Cicero: *Proximo bello, si aliqvid de summâ gravitate Pompejus, multum de cupiditate Cæsar dimisisset; & pacem stabilem, & aliqvam rempublicam nobis habere licuisset.* Qvod dictum oratoris latiùs patet, & ad varia bellorum genera traducitur. Pauci sententiam suam utilitate reipublicæ, plures aut spe suâ aut ambitione moderantur. (Philipp. XIII.)

Sunt ut belli gerendi, ita & finiendi pignora.

Philipp. XIV. *Mars ipse ex acie fortissimum qvemq; pignerari solet:* inqvit vir consularis. Sed ne maris æstu resorbente à tacto jam pacis litore relabamur: de finiendi potiùs belli pignoribus agamus.

Pignora belli finiendi vel qvid agatur intelligentia sunt, homines nimirum; vel sensu & ratione carentia. Illi obsides Romanis, hæc propriè pignora dicuntur. Obsides. Obsidum est, nihil in statum pacificum moliri, nec fœdere manente fugam capessere. Qvod si fugâ sibi consuluerint, nec redditi à paciscentibus fuerint: pro rupto fœdus habebitur, nisi aliud ei, cui jus minutum, visum fuerit. Conditione autem impletâ, & pace stabilitâ, obsides reddendo, nec in unam causam dati in aliam

retinen-

retinendi videntur. Si verò hominis alicujus, non causæ, pignus accesserint: mortuo eo, & jure pignoris extincto, liberantur. Obsidum autem conditio pro servili, & amplâ familiâ indignâ, non est habenda. Nobiles enim, & altioris fastigii viri aut fœminæ, plerumque loco obsidum funguntur. Austriacæ domus nomine Guilielmus Auraicus apud Galliæ regem, apud senatum Romanum pro Macedoniæ regibus Demetrius regius filius, pacis pignora Parthorum regum liberi apud Augustos non semel obierunt. Qvãquam vel humili obseqvio aliqvid de summâ libertate decedere, vel odiosâ obligatione vitam eorum & dignitatem in discrimine versari, fatendum est. De Vonone, qvi obses Augusto datus à Phrahate fuerat, in regnum accersito Parthorũ proceres: *Ubi illam gloriam trucidantium Crassum, exturbantium Antonium: si mancipium Cæsaris, tot per annos servitutem perpessum, Parthis imperitet?* Mancipium vocât, & servitute qvasi inqvinatũ, qvi se obsidẽ externis dari permiserit. *Tacit. Annal. 2.*

De propriè dictis pignoribus, non est qvod multum laboremus. nam aut communia cum obsidibus jura, in belli causâ & pacis, nanciscuntur; aut facilioris sunt retentionis & manus injectionis, aut è communi jure deciduntur. Pignora.

Coronidis loco

Versiculos, Herbornensi deambulatione mihi suggestos, adscribo.

Μῦθος ὁ πᾶς ἀνδρῶν περιεργὴς βίος ἠδὲ γυναικῶν.
Δρᾶμα λόγοι, σκηνὴ πράγματα, σχῆμα τρόποι.
Οὗτος ἔχει δούλου τὸ πρόσωπον, ἐκεῖνος ἄνακτος.
Ἄλλος ἐπικλαίει, καὶ σὺ παρεῦσι γελᾷς.
Ὡς βίον ἐξ ἀρετῶν σοφὸς ὢν διαγνώσμεις πάντα.
Παίγνιον ὡς θεάτρῳ πέπλασθε δρᾶμα τύχης.

DE JURE BELLI AC PACIS
LIBER TERTIUS.
Qui eſt
DE BELLO CIVILI.

Civile bellum eſt armata civium, in partes diſcedentium, & in civitatis viſcera ſævientium, commotio.

Belli civilis deteſtatio.



Oc nec ſine impietatis notâ ſuſcipitur, & cum acerbitatis vituperatione geritur, nec ullam in victoriâ adoream meretur. *Omnes omnium caritates patria una complexa eſt: pro quâ quis bonus dubitet mortem oppetere, ſi ei ſit profuturus? Quò eſt deteſtabilior iſtorum immanitas, qui laceraverunt omni ſcelere patriam, & in funditus delendâ occupati & ſunt, & fuerunt.* Antonium notat, & ejus prægreſſorem Julium Cæſarem. Nec Athenienſium reſpublica ſuo poſt Piſiſtratum tyrannum Hippiâ caruit: qui Sardes profectus, Perſas quieturos in bellum patriæ ſuæ inferendum concitavit. Hi tamen amplo ut ipſis videbatur præmio, tyran-

Cic. offic. lib. 1.

Hippias.

tyrannide principatus nomine gerendâ, incitabantur. Naturâ truculenti sunt, qvibus in ipsâ patriæ ruinâ satis oblectamenti est; aut qvi exigui spe emolumenti ducti, belli domestici concitatione gaudent. *Nam nec privatos focos, nec publicas leges, nec libertatis jura, cara habere potest, qvem discordia, qvem cædes civium, qvem bellum civile delectat: eumq; ex numero hominum ejiciendum, ex finibus humanæ naturæ exterminandum puto.* Hoc sibi dictum capiant, qvi Germaniæ è diuturno bello vix respirantis paci ingemiscunt; qvi belli novi causas nectunt aut exoptant. Laudabile Atlanticorum apud Platonem institutum, nunqvam fore ut arma sibi mutuò inferant jurantium. Qvod vel sine juramento, & sine legum instituto, naturæ bonitas Indos & Seras docuit.

Cic. Philipp. XIII.

Atlantici. in Critiâ.

Sed ingeniosa fingendis malo suo causis nostrorum hominum protervia est: *cum omninò nulla causa justa cuiqvam esse possit, contra patriam arma capiendi.* Alii graves offensas, & contumelias ingratæ patriæ, ultum se ire profitentur. Qvorum exulceratis animis hoc monitum inscriptum esse velim: *Ut parentum sævitiam, sic patriæ patiendo ac ferendo leniendam.* ὥσπερ οἱ παῖδες πρὸς τοὺς γονέας, οὕτω πρὸς ἅπαντας τοὺς πολίτας ἔχειν: inqvit sensu non multum diverso Demosthenes. & parvo intervallo: Ἡ γὰρ ἐν τούτοις ἧττα, καλὴ καὶ προσήκουσα νίκη τοῖς εὖ φρονοῦσι γίνεται. *Nam his in rebus vinci, honesta & conveniens prudentibus victoria est.* Alii qvasi pio in patriam affectu, aberrantem à viâ cogere, & qvasi delirantem sævâ medicinâ sanare conantur. Qvibus persvasum esse debebat: *Tantum contendere in republicâ, qvantum probare tuis civibus possis. Vim neq; parenti*

Cic. in Philipp. 2.

Causæ bellorum civilium. Offensa.

Liv. l. 27.

Epist. 1.

Medela.

Cic. ad Lentulum episi. 9.

Salustius in Jugurtha. *neq; patriæ afferre oportere.* Nam vi qvidem regere patriam, aut parentes, qvanqvam & possis, & delicta corrigas, tamen importunum est: cum præsertim omnes rerum mutationes cædem, fugam, aliaq; hostilia portendant.

Bellandi consvetudo. Multum etiam ad civilem bellorum agitationem cōfert, vita semper in armis, & in hominum laniena occupata. In suos enim arma convertunt, qvibus ad rabiem explendam hostis foris defuerit. Qvare ferendæ paci institutam rempublicam rectè Plato & Aristoteles, Philosophorum Græciæ columina, præ bellicosâ laudaverūnt. Penum Aristotelis in Politicis scribendis exhausi: insignis Platonis eâ de re locus superest. *Legum, lib. 8.* Γενομένη μὲν ἀγαθὴ, βίος εἰρηνικός. πολεμικὸς δὲ ἔξωθέν τε καὶ ἔνδοθεν, ἂν ᾖ κακή. τούτων δὲ ταύτῃ σχεδὸν ἐχόντων, οὐκ ἐν πολέμῳ πόλεμον ἑκάστοις γυμναστέον, ἀλλ' ἐν τῷ τῆς εἰρήνης βίῳ. i. e. *Bona qvidem qvæ fuerit respublica, ei vita pacifica placebit. Vita autem foris & domi bellicosa malæ adhæserit. Hæc cum ita se ferè habeant, non in bello ad belli opera omnes exercendi, sed in pacis vitâ.*

Gloriæ stimulus. Sunt & qvi bella ad scribendi materiam, & ad ingenii exercitationem, exoptant. Civilium enim commutationum in animo comprehensio, & vel in explicandis caussis rerum novarum, vel in remediis incommodorum cognoscendis, vel in exponendis commotionum rationibus dexteritas, ingenii sagacitatem commendabit. *allusum ad Ciceronis ad Luccejum epistolam.* Temporum præterea varietates, fortunæq; vicissitudines, in experiendo qvidem non optabiles, in legendo tamen jucundæ, non minùs interno qvam quovis alio bello occurrent. Ac nescio qvomodo naufragium maris elapsis, ita bellorum nimbo ereptis, præte-

præteritæ calamitatis ſecura recordatio delectationem adfert. Verùm ſit hoc viri, ſit ſapientis etiam, præteritorum malorum vel oblivisci, vel cum qvâdam jucunditate meminiſſe. Periculorum metum ob ſpem delectationis, depulſionē malorum eventuræ, qværere; ejus eſt, qvi brachium ſibi morſu vel ſciſſione vulnerat, ut ſanitate reductâ gaudeat. Exclamet gaudii ſolatio orator: *Vacare culpâ magnum eſt ſolatium: præſertim cum habeam duas res, qvibus me ſuſtentem: optimarum artium ſcientiam, & maximarum rerum gloriam: qvarum altera mihi vivo nunqvam eripietur: altera ne mortuo qvidem.* Rempublicam à Catilinâ nunqvam perturbari, qvam Ciceronem compoſitę gloriam auferre, vel eo ſtatu perſcribendo ingenium oſtendere, præſtitiſſet. Beatiores ruricolas, pace ſecretâ abditos, nec laceſſendis aliis bellorum gloriam qværentes, nec ingenii oſtentationem ſuâ vel alienâ calamitate deſcribendâ captantes, judico.

ad Marium epiſt. 3.

Digreſſio.

O fortunatos nimium, ſua ſi bona norint,
Agricolas: qvibus ipſa, procul diſcordibus armis,
Fundit humo facilem victum juſtiſſima tellus.

Virg. Georgic. lib. 2.

Nos tubam Maronianam, ſed ſtridulo culmi pendentis flatu, imitati: vitam agreſtis otii per otium, altero jam luſtro exacto, expreſſimus.

RUSTICÆ VITÆ Encomium.

Agricolæ vitâ non eſt præſtantior uſu
Altera, nec rebus qvæ ſic oblectet agendis.
Nec pars ulla ſuas anni prætervolat horas,

Aut operum vacuas,aut commoditatis inanes,
Vere novo ſtirpes putat & vineta: bidentes
Ducit ad irriguas labentis fluminis oras.
Cum bove lætus eqvum ſtabulis emittit apertis,
Pratorumq; novas pecori non invidet herbas.
Vere ſecat terras,occat, ſerit, occulit agro
Semina, qvæ gravidis æſtu glomerentur ariſtis.
Hæc inter qverulas cœlum mulcere volucres
Audit, & arboreos cantu diffindere ramos.
Surgere cernit humo flores, & ab arbore frondes,
Vincentes vario pictorum ſerta colore,
Ducit odoratas plantarum naribus auras:
Et modò nata capit miranti fraga palato.
Omnia qvæ tactu vincit molliſſimus aër,
Et Zephyri blando circum caput ære ſtrepentes,
Tempore non alio teneri primordia mundi
Emerſiſſe reor: Phœbi cum prima niterent
Cornua, cumq; novâ fulgeret lampade Phœbe,
Ver erat: & blando generata Favonius ictu
Mulebat: ſemen ver ſufficiebat & ortum.
Agricolas reficit maturis meſſibus æſtas
Torrida, ſolſtitii non deficientibus umbris,
Qvos arguta juvat viciná ſtirpe cicada
Arboris, alarum qverulo ſtridore ſonora.
Tibia præterea folles imitata vel utres
Ruſtica, rurigenas delinit flatibus aures.
Parte juvat victâ vino reparare laboris
Membra: juvat viridi menſam ſtruxiſſe ſub ulmo.
Et dapibus veteres æqvare heroas inemtis.
Jam cumulis onerata gemunt & mergite plauſtra:
Jam congeſta vehunt pandi frumenta jugales:
Area jam qvaſſis reſpondet trita flagellis.
Jam Cereri Bacchus veniens ſuccedit, & uvis

Lætior

Lætior autumnus pomisq; rubentibus instat.
Pampineâ tumidos decerpunt fronde racemos;
Candida detractis aspergunt crura cothurnis
Germine, nectareis non inferiore fluentis,
Excipitur dolio Bacchi liqvor: arbor olivæ
Stringitur, & pressâ tenuatur succus amurcâ.
Concutiunt qvernas prono jam sidere glandes;
Corpora pigra suum cædunt, genitalibus escam
Frigoribus: tauros adjungunt fronte minaces.
Paulatim sic intrat hyems, & marmore stringit
Najadas, ac niveâ canent aspergine montes.
Illa frui partis torrente laboribus anno (cembri:
Tempora, mensæ monent genio indulgere De-
Ante focum cyathis epulisq; vocare calentem;
Autoriq; Deo frugum persolvere grates.
Sic formica cavis congesta cibaria cellis,
Dum redeant soles, tranqvilla per otia rodit.
Ne tamen, hyberno dum sævit flamine Caurus,
Nil agat: imbelles lepores agitare licebit,
A stabulis arcere lupos, circundare saltus
Retibus; æstati simul instrumenta futuræ
Scalpere; vel fruges igni torrere, molari
Frangere vel saxo; vallos aptare bisulcos.
Exercere toros luctâ, saltare per utres:
Pignus amicitiæ festis renovare diebus;
Dulcia cum natis & conjuge cædere verba;
Et pietatis opus pingvi ratione docere.
Palladiis nondum veteres ita mœnibus urbis
Inventis vixisse ferunt: ea fama per orbem (phis
Spargitur: Ausoniis cum nondum Roma trium-
Clara, nec Alba fuit. nondum decus arma tulere;
Nondum ferre rates undæ didicere marinæ;
Non titulos auro cuiqvam jactare redemtos

Cura fuit. folâ naturæ lege retentos
Plus apud hos variæ valet ignoratio fraudis,
Qvā præcepta regunt dociles fine moribus artis.
Felices humili contentos forte colonos,
Et procul armorum ftrepitu, procul urbis agẽtes!
Trajiciant alii vafti freta marmoris alno:
Bella, cicatrices, & eqvos & vulnera jactent.
Hic tranqvilla colit patrio fecretus in agro
Otia, nec lituo trepidus neç jactus ab undis.
Purpura non regum, neceum diadema, nec aula
Sollicitat: fafces & cum lictore fecures
(Ignoti non urit amor) qvia nefcit omittit.
Summovet occurfum populi non ira ruentis
Virgea: neç rauco feqvitur clamore viator.
Mollia tranqvillo ponit veftigia greffu,
Cum libet: ex agris urbes aliqvando revifit
Integer: excedit fumofæ mœnibus urbis,
Liberiore fruens in campis aëris hauftu.
At fi qvando domus fubeunt faftidia claufæ:
Aut petit aërii fpatiatus culmina montis,
Aut ad aqvæ rivum patulâ procumbit in umbrâ,
Aut numerat fluctus undæ venientis, arenâ
Litoreâ tutus. vel aves fectatur, & hamo
Infidias tendit præfixâ pifcibus efcâ.
Deniqve mille labor pariet folatia vitæ
Rufticus, agreftem non dedignata cothurnum.
Arbuftis igitur cedant & vallibus urbes:
Sepibus affurgant hortorum mœnia, flabris
Fumus, & æthereo domibus via claufa fereno.
Carrorum taceo ftrepitus, incendia, morbos,
Funera: fumofis magis infultantia feptis.
Parva loqvor: vitiis non eft obnoxia tantis
Vita, racemifero qvæ gaudet fola calore.

Invi-

Invidiam cenſus, cenſus parit urbibus iram:
Cenſus avaritiam, cenſus faſtidia ſvadet.
Pauper ab aſſiduo contemnitur; urit egenum
Dives: & æqvalis tolluntur vincula juris.
Hinc ad luxuriem labuntur; & aurea collo
Vincla trahunt; ſcapulis & veſtimenta pudendis
Mutantes, alios alii ſuperare laborant.
Luxuries pedicis conſcenſa palatia vincit:
Luxuries uſu captat fora, templa, platæas:
Luxuries ipsâ prohibentis in æde docetur.
Laſcivos oculi jactus, alimenta choræas
Ignis, & eſuri correptas mitto medullas.
Ad graviora piis auditu verto tabellam.
Non ita ſubtiles pertexit aranea caſſes
A trabe pendentes, qvam qvæ mendacia ſutis
Deprendas in cive dolis arguta forenſi.
Simplicitas agri verbis expromit apertis
Clauſa ſinu mentis: vel, ſi juvat eſſe locutum
Ficta, minùs penetrant hebeti ſub temine ducta.
Vafrities furtis alitur: qvæ maxima magnis
Urbibus. alterius thalamos intrare mariti,
Materies riſus confeſſis crimen habetur.
Tela reconduntur fuſo tepefacta cruore:
Pars etiam laudem ſocium putat eſſe duello
Sternere: qvæ rabies animos vix intrat agreſtes.
Seditione tument veluti mare fluctibus urbes
Mœnia, ventoſos lingvâ ſortita tribunos.
At ſecura qvies, placidus velut amnis, agellos
Diligit, aut nullis aut raris jacta procellis.
Indigenâ ſi forte ſuo, ceu Sparta, remotis
Stirpibus externis, patrio coaleſcat in horto:
Profuerit, primæ ſi compeſcatur amaror
Frondis, & in leges diſcat jurare juventus

Moribus, auſteri monitis parere magiſtri,
At qvotus excuſſis temerè non errat habenis,
Deteriora lubens exempla ſecutus? & ipſi,
Serò doctrinæ delituri damna, parentes
Spernere ſępè docẽt humili qvaſi ſorte magiſtros,
Ergo ſui juris, pœnæ terrore ſoluti,
Efferati, pronâ rident ætate parentes.
Inde magiſtratus, oracula, jura refringunt,
Hinc animi labes, hinc tanta licentia cives
Nocturnos raptare ſolet, merſare diurnos,
Vertor ab humanis ad ſacras Numinis aras,
Errores fateor pagis reſidere vetuſtos
Sæpiùs, & gliſcente ſuperſtitione teneri
Sylveſtres animos, at ubi lux clara tenebras
Diſpulit, & craſſos vicit fulgore vapores:
Luminis impreſſi mordacius hæret imago.
Non eadem vanis conſtantia cœtibus urbis.
Ingenio fidens alius, nova qværit, & arti:
Pars inventa probat ſtudio; pars altera priſcis
Plaudit, & in turbas prono ruit amne furentes,
Sunt qvos nulla movet ſacri reverentia cultus;
Omnia naturâ credunt vel ſorte moveri,
Invexiſſe deos nullâ ratione timorem,
Conſilio regum tumidæ retinacula plebis,
Et miramur adhuc terræ ſævire per oras
Bella, famem, peſtem? non ulla feracior ætas
Criminis, aut tantis involvit cladibus orbem,
Aurea ſimplicitas culti ſi ruris honori;
Si foret enſe novi præſtantior uſus aratri;
Si venerante Deum puri coleremus amore;
Res hominum ventis puppim pellentibus irent,
Garrula lectori ſed ne moveatur amico
Nauſea, vitemus longi faſtidia curſus.

In manibus terræ: læto capiamus arenam
Omine: collectis intremus litora velis.

Simplicitatem simplici, humilitatem ruris humili stylo effinxi. Qvam tetigi urbanæ gloriæ inanitatem, præcepto Ciceronis, gloriolæ cupidissimi, obsigno. *Qvæ habent speciem gloriæ, collecta ex inanissimis splendoris insignibus, contemne: brevia, fugacia, & caduca existima. Verum decus in virtute positum est: qvæ maximè illustratur magnis in rempublicam meritis.* ad Plancum epist.12.

De suscipiendo, vel non suscipiendo potiùs, civili bello satis. Mitiùs externo gerendum esse, societatis natura svadebit: sed hic affectibus plerunq; indulgetur. Nec nullum causæ bellandi, ad indulgentiam vel ad sævitiam, momentum faciunt. Qvibus non ira in partes, non factionis odium præsultat, sublato adversario bellum incruentum conficere festinant. Ex eo politicæ observationis fundamento Achitophel, Absolonis in patrem rebellis corculum, consilium qvod extat in sacro codice suggerebat. Ex eadem belli civiliter gerendi conjecturâ, populus Davidi in aciem prodituro adversabatur. Joab etiam sublato rebellionis autore, classico receptui canens, populo in fugam conjecto parcebat. Qvod & anteâ in bello Isbosetico, & posteà in defectione Sibæ fecit. Non igitur mitiori tantum Cæsaris ingenio, sed belli etiam coorti rationi adscribendum: qvod laudem in cives clementiæ captavit. Omnes qvi se loco non movissent, pro suis habiturum professus; captos cum Domitio gratis dimisit; urbem à Pompejo desertam pacificè intravit; tres cum

Gestio belli civilis.

Mitior.

2. Sam. 17. v. 1. 2. 3.

cap 18. v. 3.

v. 16.

2. s. v. 18.

2 Sam. c. 20. v. 22.

Cæsaris

Petrejo & Afranio legiones, cum conficere fame vel gladio stricto in Hispaniâ potuisset, sub conditione arma contra ipsum non capiendi incolumes domum abire sivit. Illa verò in acie Pharsalicâ exclamatio, *Miles parce civibus*; & illa ignoscendi victis promtitudo, utramq; paginam historicis faciunt. Pompejus verò ex alterâ parte, qvi ante manum consertam Sullaturiit & proscripturiit, vincere cives indignus erat. Nam & inter Galbam, Othonem, Vitellium, & Flavii administros Primum Antonium & Mucianum, bellum ita confectum est, ut ab inermium civium injuriis & cæde abstineretur. Qvanqvam & Pompejus prælii cum Cæsare conferendi cunctatione, & ipsâ Urbis ac Italiæ cessione, id agere videbatur, ut cives qvam plurimos conservaret. nisi verè de eo à Cœlio dictum: *tantas turbas, qvi tam nugax esset, commovit.*

Pompejus Sullaturiens.

Sævior belli civilis gestio.

Ubi autem non imperii ab uno & altero cupiditate, sed exacerbatis factionum & civium dissentientium animis, in arma discessum: non incruenta manuum pollutione à ludo semel cœpto disceditur. Noti Marianarum & Sullanarum procellarum furores: optimatum à popularibus dissentientium nimbi noti. Qvos verò præceps væcordiâ animus, non causa ulla discordiæ, ad arma civilia rapit, ii non levi sæviendi tempestate defunguntur. Qvalis fuit non tam genere insignis, qvam vitiis nobilis, Catilina. Qvo crudelitatis ministro Sulla, Marianis partibus nimium offensus, in multis usus erat. *Cujus primus ad rempublicam aditus in eqvitibus Romanis occidendis fuit.* Cui in nefaria conjuratione decretum: *ut omnes qvi salvâ urbe*

Sergius Catilina.

Qvintus C. petit. consulatus.

urbe salvi esse possent, in hostium numero ducerentur. Cic. in Catil. 1. Qvi senatum cum omnibus bonis contrucidare, urbem incendio dejicere, civium insontium facultates diripere constituit. Ejusmodi belli civilis incendium, nullâ causæ suspicione conflatum, omni disciplinæ exorbitatione gerendum, quovis externo bello gravius habendum.

Belli civilis effigies qvædam est, & sæpè prælu- Corcyra. dium, flamma civilis discordiæ. Qvalis Corcyræ fuit civium sine duce & acie, non sine cęde mutuâ, dissensio. Ὁ φθάσας τὸν μέλλοντα κακόν τι δρᾶν ἐπῃνεῖτο, Thucyd. lib 3. καὶ ὁ ἐπικελεύσας τὸν μὴ διανοούμενον. *Qvi malum illaturum pravenit, laudabatur: nec minùs qvi nihil mali cogitantem tolli pracepit.* Qvà in commotione non tantum de statu civitatis discordantes, sed etiam ἰδίας ἔχθρας ἕνεκα, privatum ob odium, multi de vitâ periclitabantur. Qvod est sceleratius: ἄλλοι χρημάτων σφίσιν ὀφειλομένων ὑπὸ τῶν λαβόντων (ἀπέθανον) *creditores à debitoribus occidebantur.* De his dissensionum civilium tempestatibus autor gravis pronunciat: γιγνόμενα μὲν, καὶ ἀεὶ ἐσόμενα, ἕως ἂν ἡ αὐτὴ φύσις ἀνθρώπων ᾖ: *qva fiunt, & futura sunt, dum idem hominum genus perstabit.* Non enim Corcyræ in recéssu, nec illo in seculo, furor civilis substitit. Guelphorum & Gibellinorum sangvinolenta Italia commota. factio, omnes Italiæ artus igne pervadens, etiam extra Alpium nives scintillas projecit. Nam singularum civitatum, Florentiæ imprimis & Genevæ, ventosa factionũm nomina referre, operæ non arbitror. Qvid verò religionum virulentæ Europa. disceptationes turbarum, etiam bello sedato noxiarum, in Europæ theatrum invexerint: animus à recordatione, lingva & calamus à commemoratione refugit.

Belli C. exitus minus acerbus.

Ad finem belli civilis, abjiciendi magis qvam deponendi, propero. Cum laudis commemoratione Græci, interno belli tumultu commissi, à Platone referuntur. Ἡγούμενοι πρὸς μὲν τὸ ὁμόφυλον μέχρι νίκης δεῖν πολεμεῖν, καὶ μὴ δι' ὀργὴν ἰδίαν πόλεως τὸ κοινὸν τῶν Ἑλλήνων διολλύναι· πρὸς δὲ τοὺς βαρβάρους μέχρι διαφθορᾶς. *ad gentis ejusdem homines ad victoriæ stabilimentum bellum gerendum, non odio civitatis privato publicum Græcorum bonum perdendum, cum barbaris autem usqve ad internecionem, arbitrabantur.* Egregiè Lepidus populum Romanum monuit: *Privatis offensionibus omissis, summæ reip. consulatis, neve misericordiam nostram exercitusq; nostri in civili dissensione sceleris loco ponatis.* Egregiè: si non Antonio importunâ misericordiâ recepto, patrum victoriâ impeditâ, bellum civile gravius è cinere sopito suscitasset. * Opprimi enim Antonium, qvam ea qvæ secuta sunt evenire, præstiterat. Cadaverosa Romæ sub Triumviratu facies, & eo disjecto, veteribus Italiæ incolis ejectis militares passim coloniæ, multorum eo seculo lacrymas expresserût. Qvas Meliboeus Virgilianus, gregem suum in Scythiæ aliqvam solitudinem abducens, imitabatur.

in Menexeno

cum grano salis.

Ecl. 1

Impius hæc tam culta novalia miles habebit?
Barbarus has segetes? en qvo discordia cives
Perduxit miseros? en qveis consevimus agros?

Mitius Julius Cæsar belli fortunâ usus, exitum tamen armorum civilium arroganti imperio, & fracta libertate patrum, terminavit. Hi sunt fructus bellorum, hæ ut sic dicam vindemiæ, civilium. Erat qvod in Germaniâ, & maximè in Palatinatu & Alsatiâ, deplorarem: sed tempus aliis prævertere admonet.

Belli

Belli civilis inflammationi nec temerè se vir bonus immiscebit, nec patriæ ruinam securus spectabit.

Legem Solon Atheniensis tulerat: qvâ capite sancivit, si qvis in seditione non alterutrius partis fuisset. Otiosum malorum publicorum spectatorem, qvi publicâ calamitate non tangatur, civem suum esse noluit. Fortè sibi vir sapiens persvadere non potuit, fieri posse ut ab utraq; parte pro injustitiâ pugnetur: atq; in eo casu tutius esse & melius, ab utraq; parte recedere. Ut in civili inter Pompejum & Cæsarem dissensione: ubi amicæ interpositioni loci nihil supererit, illud ad Ciceronem Cœlii valebit: *Eligas censeo aliqvod oppidum, vacuum à bello, dum hæc decernuntur.* Nam qvid viro bono & qvieto & bono civi magis cõvenit, qvam abesse à civilibus controversiis? ut ipse Cæsar eundem Ciceronem, inter fugæ & apprehensionis scopulos nutantem, monet. In eo rerum commotarum salo, ut idem Cæsar suggerit, *Neq; tutius, neq; honestius reperies qvicqvam, qvam ab omni contentione abesse.*

Solonia lex. In dubium vocata. Ep fam. l. 8. epist. 16. Attic. l. 10. ep. 9. d. l.

Constituerat Pompejus, non pati C. Cæsarem consulem aliter fieri, nisi exercitum & provincias tradiderit. Cæsari autem persvasum erat, se salvum esse non posse, si ab exercitu recesserit. Conditionem tamen tulerat, ut ambo exercitus traderent. Qvibus cum non pareret Pompejus, veteres illi amores, & invidiosa illa conjunctio, non

Fam. l. 8. ep. 14. Pompejani belli origo.

ad occultam obtrectationem recidit, sed in apertum bellum erupit. Cum de dominatione certamen inirctur: utricunq; te parti adjunxeris, victus proscribére aut occumbes, victor tamen servies. Civium alii publicâ causâ mœrebant: aliis bonam mentem iracundia in hunc, amor in illum auferebat. Erant & qvi prædæ amore, aut honorum è reip. naufragio conseqvendorum, in publicum excidium furerent. Nonnulli, cum in otio se continere potuerint, vel officii opinione, vel famâ eorum qvi dicuntur boni & pudore victi, ut in fabulâ Amphiaraus, sic illi prudentes & scientes, ad pestem ante oculos positam in bellum

Cic. pro Ligario. ruebant. *Fatalis qvædam calamitas incidisse videtur, & improvidas hominum mentes occupavisse, ut nemo mirari debeat, humana consilia divinâ necessitate esse superata.* Concursum prœlio fatali, & decertatum

exitus. armis ad Philippos Thessaliæ est. Pompejus & magnitudinis prioris, & causæ susceptæ oblitus, cum non infirmus à re navali esset, turpiter in Ægyptum usq; & ad externam fidem fugâ abripitur. Qvid hic agendum viris qvietem amplexuris; qvid patriæ amantibus civibus? Qvi officium,

Fam. lib. 9. ep. 5. non spem secuti fuerant; reliqverunt non officium, sed desperationem. itaq; verecundiores fuerunt, qvam qvi se domo non commoverant: saniores, qvam qvi amissis opibus domum non reverterunt.

Civilia Germaniæ bella. In Germaniâ sæpè magnis concurritur motibus, cum electorum pertinaci dissensione binis vel ternis regibus electis, aqvila verè biceps per campos volitat. Qvæ res inter Ludovicum ac Fridericum de imperio certantes, & sæpè alias, sangvino-

sgvinolentis sententiis Germaniam distraxit. Cujusmodi coortâ tempestate, viro splendore dignitatis insigni in portu se continere, ægrè cõcessum. Alterum enim esse qvi imperet, alterius conatu deprimendo, è publicâ tranqvillitate est. Qvanquam suffragiis de integro ineundis, & aliqvâ de jure suo cessione, qvam cruentatis civium sangvine telis, res meliùs publica componeretur.

At in nefariorum hominum contra incolumitatem patriæ, & in legum & honestatis eversionem, conjuratione; cujusmodi fuit Romæ Catilinaria; omnes bonos ad commune incendium restingvendum concurrere, mandati à naturâ præcipiente officii est. Hic enim illud Platonis, tanqvam oraculo depromtum, locum habet. Ἕκαστος ἡμῶν οὐχ αὑτῷ μόνον γέγονεν, ἀλλὰ τῆς γενέσεως ἡμῶν τὸ μέν τι ἡ πατρὶς μερίζεται, τὸ δέ τι οἱ γεννήσαντες. τὸ δὲ οἱ λοιποὶ φίλοι. πολλὰ δὲ καὶ τοῖς καιροῖς δίδοται τοῖς τὸν βίον ἡμῶν καταλαμβάνουσι. *Nemo nostrûm sibi soliùm natus est: sed ortus nostri partem patria, partem parentes, partem reliqvi amici sibi vindicant. Multa etiam temporibus, vitam nostram complexis, transmittuntur.* Ex eo fundamento, turbatâ patriæ salute, ferri pôtest sangvinaria Solonis constitutio.* Qvanquam patriæ laboranti opitulationem ferre, æqvius meò judicio erat, si voluntate fieret. *Nam hoc ipsum ita justum est, qvod rectè fit, si est voluntarium.*

Catilinarii motus.

Epistolâ ad Architam.

Cic. offic. lib. 1.

Armis civilibus externa non sunt immiscenda.

Flagitiosè Labienus,* Cæsaris olim desertor, Parthos Romano nomini inimicos in fines Romani imperii, vastandi anteqvam liberandi, in-

Parthorum & Maurorum auxilia. troduxit, qvanquam & Pompejus anteà, sed fluctuanti animo, illud consilii susceperat. Nec magnâ mihi in admiratione virtutis Cato, & earundem partium Petrejus & Scipio: qvi superbissimo Mauritaniæ regi Jubæ auxilium inane ablaturi, fasces Romanos summiserunt. *Non esse barbaris auxiliis fallacissimæ gentis remp. defendendam, præsertim contra exercitum sæpè victorem*, prudenter Ciceroni visum. ad Attic. lib.11 ep. 7. Mihi ne qvidem cum spe victoriæ externi, iiq; hostes aut barbari, rerum nostrarum armati arbitri alliciendi videntur. Qvin & repudiandi sæpiùs, auxilium vel cum dedecore nostro, Civilis. vel temporibus insidiosè offerentes. Re Romanorum civilibus furoribus afflictâ, Claudius Civilis natione Batavus, Romanis dudum infensus, copias popularium qvasi in gratiam Vespasiani, reverà imperium Romanum si posset eversurus, cogebat. Non abludentia præsenti rerum statui locutus: *Ne Romanis qvidem ingratum id bellum, cujus ambiguam fortunam Vespasiano imputaturos, victoriæ rationem non reddi.* Tacit. Histor IV. Nec infœcundo doli partu, legiones qvasdam cum ducibus Romanorum, qvasi contra Vitellium, in partes suas traxit. Nec satis hoc vafritiei: cum res ad votum illi flueret, *consilii ambiguus, & vim Romanam reputans, cunctos qvi aderant in Verba Vespasiani adigit.* cum idem sacramentum iis legionibus, qvæ ad Vetera concesserant, obtulisset, animosè ab iis & rebus convenienter responsum: *Perfuga Batavus arbitrum rerum Romanarum ne ageret, sed meritas sceleris pœnas exspectaret.* Auxilium enim contra cives à subdito desertore accipere; Romanæ gloriæ maculosum: ab irato utrisq; & bellicoso, periculorum plenum.

Mini-

Minimè ſtuporis arguendi Angli, qvi qvoties armis civilibus decertant, exteros in auxilium nec accerſunt nec temerè admittunt. Et ſi qvi nuper res ſuas exterorũ tibicinibus fulcire conati ſunt, ut patrii moris violatores accuſabantur. Recentiori Poloniæ tragœdiâ, proceres regni, à rege ſuo diſcordes, conſilii opitulationis externæ citò, reipublicæ propè ſerò, pœnituit. Nam Germaniæ vix dum obductam cicatricem refricare, & qvaſi ungve admoto vellicare, non allubeſcit. Qvanqvam nos, qvaſi jam ad præterita obduruimus, & humanitatis omnem ſenſum exuimus; ita novos bellorum motus, nova alienigenarum pollicita ſuſpicimus. Qvem qvidem bellorum motum, in carcerum procinctu ſtantem, Callipedem aſſiduo curſu cubitum nullum procedentem, qvam Mercurium talaribus indutis volantem, imitari malim. Sed ſatis in præſentia qverelarum; ſatis etiam, qvanqvam nunqvam ſatis, pro publicâ incolumitate votorum conceptorum.

Anglorum ſolertia.

Polonorum lapſus.

Germanorum neglectus.

Eſt & in pace & ſociis in populis, rapinis impunè agendis, qvædam civilis belli ſpecies.

Qvalis in Medis qvondam, poſt Aſſyriorum jugũ excuſſum ſummâ in libertate, ſed & mutuâ vicinorum prędatione, viventibus. Qvæ eos cauſa ad Dejocen ad jus de rapinis dicẽdum, & mox ad imperium gerẽdum, efflagitandũ impulit. Qvalis in pace belli ſpecies in maritimæ Aſiæ populis, Joniæ nimirum & Myſiæ, qvondam deprendeba-

In pace bellum.

tur. Jonibus, modò ſub imperio Perſarum qvie-tis, modò pro libertate tuendâ conjuratis, pace in altâ pace opus fuit. Hos igitur Artaphernes, Sardiorum pro rege Dario præfectus, ad fœdus ineundum compulit, ἵνα δοσίδικοι εἶεν, καὶ μὴ ἀλλήλους φέροιέν τε καὶ ἄγοιεν. *ut jure diſceptantes, à mutuis rapinis & latrociniis abſiſterent.* Myſas aſtricto ſub Romanorum imperio, non pacificè in ſe animatos fuiſſe, locus Ciceronis indicat. *Sublata Myſiæ latrocinia: cædes multis locis repreſſas: pacem totâ provinciâ conſtitutam.* Bellum nuſqvam terrarum erat: pace tamen gentes, donec coërcerentur, minimè fruebantur. Non jam ſolutam veterum qvorundam & avorum memoriâ multarum Americæ gentium, vitam ſine imperio, in qvoſvis extra bellum latrocinantium, attingo. Qvem morem tangit ex parte Ariſtoteles: Ζῇ ἕκαστος ὡς βούλεται, κυκλωπικῶς θεμιστεύων παίδων ἠδ' ἀλόχου. *qvisq; arbitrio ſuo degit, Cyclopum more liberos & uxorem regens.* Sed hæc ut qvæ nec ordine nec lege ullâ gubernantur, ad belli ex more gerendi rationem, atq; adeò ad commentationem de bello, non pertinent.

Herodot. Erato.

ad Qvinct. fratrem. lib. 1. ep. 1.

Ethic. Nicom. 10.

In regnis freqventiſſima civilium bellorum cauſa, ſubditorum in imperantes exardeſcens commotio.

Xenophon, libro 1.

Οὐδεμίαν πώποτε ἀγέλην ᾐσθόμεθα συστᾶσαν ἐπὶ τοὺς νομέας, οὔτε ὡς μὴ πείθεσθαι, οὔτε ὡς μὴ ἐπιτρέπειν τῷ καρποῦσθαι. *Nullum unqvam gregem ſeditiosè contra paſtores agere, vel non obediendo, vel fructus perceptionem impediendo, percepimus:* inqvit rerum à Cyro geſtarum

rum scriptor. Ἄνθρωποι δ' ἐπ' οὐδένας μᾶλλον συνίστανται, ἢ ἐπὶ τούτους, οὓς ἂν αἰσθάνωνται ἄρχειν αὐτῶν ἐπιχειροῦντας. *Homines autem in nullos magis commoventur, qvam qvos imperium in se capessere senserint.* Naturâ enim homo ad imperandum aliis magis, qvam aliorum imperiis obsecundandum, fertur. Hinc aut solutam legibus vitam multi amplectuntur, aut fasces imperantium autoritati populari submitti gestiunt. In ejusmodi populum Theseus, Atheniensium moderator, incidit. Πολὺ τὸ διεφθαρμένον ἑωρᾶ, καὶ θεραπεύεσθαι βουλόμενον. *Cum populum indulgentiâ perditum, & superiorum blanditias in se captantem, cerneret:* ἀπειπὼν τὰ πράγματα, rebus desperatis imperium abjecit, seq; ab urbe proripuit. Multi enim sunt in populo effreni, qvalis Terentianus Æschinus depingitur. *qvem neq; pudet qvicqvam, neq; metuit qvenqvam, neqve legem putat tenere se ullam.* Hi stimulis, non poppysmo; pœnæ acerbitate, non conniventiâ, coërcendi sunt. Οἱ γὰρ πολλοὶ ἀνάγκῃ μᾶλλον ἢ λόγῳ πειθαρχοῦσι, καὶ ζημίαις, ἢ τῷ καλῷ. *Vulgus enim necessitate magis qvam verbis, pœnis qvam honestate, ad officium flectitur.* Hinc populare in correctores odium: ex odio obtrectationes, & sæpè commotio. Nec causa, qvamvis bono sub principe, conqverendi defuerit. Τὸ παρὸν γὰρ ἀεὶ βαρὺ τοῖς ὑπηκόοις. *Præsentia enim semper graviſſima subditis videntur.* Pauci igitur sunt Principum, qvi livorem populi, qvi maledictiones, qvi deniqve Tyranni nomen effugiant. *Nemo est Principum, qvem non gravis fama perstringat:* inqvit in M. Antonino, qvem sanctitate vitæ omnibus Romani prætulerunt, Julius Capitolinus. Nec in sermone populari ea famæ dilaceratio subsistit: ad monumenta

Imperii homo impatiens & appetens.

Plutarch. Theseo.

Adelph.

Arist. Nicom. 10.

Capistro indigens.

Thucyd. lib. 1.

Capitolin.

Maledicum in imperantes vulgus.

æternitatis,& ad historiæ scribendæ morsum prorumpit. Qvid Constantino Magno, qvid filiis ejus in imperio moderatius? Hi tamen falsè à Marcellino, scriptore inter gravissimos habito, perstringuntur. *Proximorum fauces aperuit primus omnium Constantinus: sed eos medullis provinciarum saginavit Constantius.* Salsa verborum perstrictio; de virtutibus interim Constantini, verè Magni, altum silentium. Nec Julianus, pro sapientiæ & virtutis idéa gentilibus habitus, censuram Ammiani effugit. *Prosperis Julianus elatior, ultra homines jam spirabat.* Svetonius verò & impudicam duodecim imperatorum vitam, victam in multis ut ego arbitror, & arcanos in secreto sermones, qvasi cubiculi consiliis admotus, profert. *Aut frugi hominem esse oportere, aut Cæsarem:* Caligulam prolocutum memorat. *Hoc agamus, ne qvis qvicqvam habeat:* Nero successor Claudii profatus fertur. *Optimè olere occisum hostem, & meliùs civem;* petulans Vitellio sermo tribuitur. Cum tamen Vitellium naturâ segnem, & ad civile bellum ægrè à militibus perductum, Tacitus introducat. Sed insitum est prurienti lingvæ & calamo, vitia principum vel fingere vel detegere; lectoribus & audientibus, livorem pronis auribus accipere.

Ammian. lib. XVI.

lib. 22.

Svetoniana virgula.

Jam ut serpentes à sibilo ad punctionem, canes à latratu ad morsum; ita à lingvæ & calami vibratione, adferri & telorum jaculationem sæpè protervia popularis prorumpit. Ne vetera semper & à memoriâ nostrâ subducta moveam: cruentæ per Europam fabulæ dictum à nobis comprobant. In Carolum Britanniæ regem verborum jaculationes; etiam in sacris pulpitis ferventes, Londini

Commotiones populares.

dini præſens audivi. Nec mora: verba in jacula, obtrectatio in flammeas catapultas convertebantur. Poſthæc in Galliâ ſiniſtri rumores typis vulgati (*gazetes* vocant) de regis nondum adulti natalibus, generoſo principe indigni, ſpargebantur. Belli inteſtini prænuncias chartas averſatus, tempeſtati mox coorturæ maturè me ſubduxi. Qvæ non ſuperiori ſeculo in reges Henricos conviciorum, mox tormentorum grandine permiſtæ, fulminationes? Dum machina hæc mundi ſtabit; dum genus humanum vigebit: ſeveritas imperantium odio habebitur; & clementiæ ipſi ut diſſolutæ obtrectabitur.

Faciliùs in petendis honoribus ſubmiſſi, qvam in gerendis moderati reperiemur.

Ut plebejorum coërcemus audaciam, ita regentium infinitam dominandi libidinem reſtringimus. Ex ipſorum ſæpè regum utilitate eſt, χαλάσαι τὸ σύντονον ἄγαν, intentam vim cogendi relaxare. Vis enim acrior potentiæ in ejus remiſſione, autoritatis in aliqvâ ſui demiſſione, fundatur. Sui in faſtigio demiſſio. De Valerio διαῤῥήδην Plutarchus: αὐτῷ δὲ προσέθηκε τοσοῦτον μέγεθος δυνάμεως, ὅσον ἀφαιρεῖν ἐδόκει τῆς ἐξουσίας. in Publicolâ. *Tantum ſibi potentiæ adjunxit, qvantũ de poteſtate detraxit.* Nec omnia terrorũ fulmine; multa ſerenitate benigni imperii, ad exemplar ſupremi omniũ monarchæ, flectenda. Τὸν κόσμον ὁ θεὸς λέγεται διοικεῖν, οὐ βιαζόμενος, ἀλλὰ πειθοῖ καὶ λόγῳ παράγων τὴν ἀνάγκην. Plutarch. in Phocione. *Mundum Deus adminiſtrare dicitur, non violenter cogendo, ſed ſvaſu & ratione neceſſitatem proferens.*

1. Reg. 19. v. 11. 12. Nec in venti procellâ montes & ſcopulos rumpente, nec in terræ concuſſione, nec in igni obvia depaſcente, ſed in leni ſuſurro Deus comorabatur. Boni communicatio. Amore magis, qvam excandeſcentiâ; beneficiis qvam ſtudio nocendi, Deus in ſuos cognitus, ad cujus imitationem, regi in eos qvi reguntur Ariſtot. Eth. 8. amicitia, ἐν ὑπεροχῇ εὐεργεσίας, *in benefaciendi eminentiâ*, eſſe debet. Qvod non cum Ariſtotele eò uſq; extendo, qvaſi nòn liceat regibus munera à ſubditis, tributa & vectigalia excipere. d.l. Οὐ γὰρ ἔστιν ἅμα χρηματίζεσθαι ἀπὸ τῶν κοινῶν, καὶ τιμᾶσθαι. *Non poteſt fieri*, inqvit, *ut à publico ſimul pecuniam, ſimul honorem qvis accipiat.* Nam & gentium ferè omnium antiqviſſima conſvetudo, & oneris in imperio gerendi neceſſitas, eam ſententiam refellit. Immoderatam tamen exactionem, ut & faſtum in Deut. 17. v. 20. cives, è vivi Dei præcepto, fugiat. Nomina etiam arrogantiam ſpirantia, & qvandam inter homi- Dominatio. nes divinitatem affectantia, devitet. Pater potiùs qvam Dominus, Princeps qvam Deus noſter, ap- Tertull. Apologet. pellari malit. *Qvi pater patriæ eſt, qvomodo dominus eſt? Sed & gratius nomen eſt pietatis qvam poteſtatis.* Alexandrum, è Syro Romanum, ex humili natione maximum imperatorem, potiùs qvam illum Lamprid. ſui oblitum Macedonem, imitentur. Hic cuncta inſignia & honorificentiæ genera ſimul recepit, ſuffragante vitâ & moribus. Favorem hominum, ex meritis in omne genus collectum, conſtans fortunæ favor ſeqvebatur. Vela tamen ſecundâ navigatione ſapienter colligens, *Dominum ſe appellari vetuit. Epiſtolas ad ſe qvaſi ad privatum ſcribi juſſit, ſervato tantùm nomine imperatoris.* Alias etiam inſignium nominum cohoneſtationes, ut onerosas

roſas

rosas principi, rejecit. *Ex eo constantiæ ac plena gravitatis famam obtinuit.* Domini qvidem nomen, ut est honoris, non aspernandum principi: sed ut, Romanæ locutionis more, herilem in mancipia potestatem innuit, non admittendum.

Immensi supra homines fastigii persvasio sæpè regibus à nimia honorem deferentium abjectione.

Ut oblatrantium protervia majestatem in se irritat: ita adulantium ineptiæ reges dementant, Nimii in colendis regibus Persæ & Medi fuerunt: Indi & Sabæi modum enormiùs excesserunt. *Mauri verò manifestè reges colunt, nec ullo velamento hoc nomen obtexunt:* de seculo suo Cyprianus. Cultum divinum sibi reges non arrogassent: nisi qvi θρησκείᾳ novâ à Deo deficerent fuissent. Nostris moribus, & Europæi succi genio, minus istinc periculi. Ab infinitæ tamen potestatis omnibus vindicandæ assertione, & sensus in sacris & civilibus autoribus depravatione, in scriptione cavendum. Multi vel mentem scripti non penitùs introspicientes, vel gratificandi regibus torrente abrepti, Jus regium Samuelis in ore habent. Inter eos & Grotius[1]: qvi tamen interpretatione benignior, effectum saltem juris, & non resistendi obligationem, urget. Qvid sibi velit dehortatoriâ oratione Samuel, non uno in loco indicavimus. Superest, ut Josephum, nec literarum sacrarum, nec divini & regii Hebræorum juris ignarum, interpreta-

Cultus regum.

De Idolorum vanitate.

Pro infinitâ dominatione loci non intellecti.

1. *1. Sam. 8.*

tionis

tionis assertorem adducamus. Is libro antiqvitatum Judaicarum sexto. Samuelem introducit, προδηλώσαντα τοίαυτε πεισομένοντα βασιλευόμενοι κακῶν, *vaticinatum, qvæ mala sub regis imperio subituri essent.* Samuelem nimirum ἐκδιηγήσασθαι τὰ παρὰ τῶν βασιλέων ἰσόμενα, καὶ ὅσοις συνεχήσονται κακοῖς. *commemorasse, qvæ à regibus eventura essent, & qvibus ipsi malis premendi.*

2\. Proximæ ad inferendum freqventiæ est, ponderis in argumentando majoris, Christi dictum: *Date qvæ sunt Cæsaris Cæsari.* Sed qvod violentæ dominationis propugnatores parum juvat. Primò enim non præcipientis Christi sanctio, sed non repugnantis concessio, hic fundatur. Ad qvæstionem enim responsio, ad propositionem illatio accommodatur. Qvæstio autem non An oporteat, sed an Liceat, Cæsari tributum dare movebatur. ἔξεστι δοῦναι κῆνσον καίσαρι, ἢ οὔ; qvæstio tribus ab Evangelistis, constanti verborum consensione, proposita. nisi qvod apud Lucam pro censu φόρον, qvod rei substantiam non variat, legamus. Pharisæorum plerique, acerrimi Judaicæ libertatis, sed in occulto, propugnatores, à tributo Romanis ferendo abhorrebant. Alii Herodi, qvam vel Judaicæ nationi, vel Romanorum dominationi, addictiores, Herodi ut non externo regi potiùs, qvam Romanis, tributum ab omnibus pendendum censebant. Hi per vafritiem conjuncti, non sincero animo Christum, ad se civilium rerum curas non trahentem, captiosa qvæstione adoriuntur. ὅπως αὐτὸν παγιδεύσωσιν ἐν λόγῳ, *ut illum sermone illaqveatum tenerent.* Lucas eodem sensu explicatiùs: ἵνα ἐπιλάβωνται αὐτοῦ λόγου, εἰς τὸ παραδοῦναι αὐτὸν

Matth. 22.

Herodianos alii capiunt, Herodem pro Messiâ colentes.

Luc. 20. v. 20.

αὐτὸν τῇ ἀρχῇ καὶ τῇ ἐξουσίᾳ τοῦ ἡγεμόνος. *ut cum sermone captum medium tenerent, ad tradendum eum imperio & potestati præfecti.* Pessimi mortalium! qvod ipsi mussitabant, Christum palàm proferre cupiebant. ob sententiam qvam ipsi animo fovebant, tributi Romanis non ferendi, damnari insontem volebant. qvare & ἐγκαθέτους, qvasi viæ per qvam iter faciendum occultos insessores, nuncios Pharisæorum Lucas appellat. Christus in qvæstione non sui fori, insidiarum perplexitate devitatâ, monetam census adferri sibi jubens, ex imagine & inscriptione eos temporum mutatorum, & tributi pendendi necessitatis, coarguit. Erat autem & aliud census genus, templo Salomonis inferri solitum: qvod alium inscriptionem, effigiem aliam gerebat. Hoc, ut tributo alio levarentur, Judæorum non devotissimi Romanis pro tributo offerendum censebãt. ab eorũm se sensu alienum esse Christus annexis verbis, καὶ τὰ τοῦ θεοῦ τῷ θεῷ. *& qvæ sunt Dei Deo reddite*, ostendit. Sic nec sua sacris auferendo, nec Romanorum jura invadendo, medius Charybdin & Scyllam evasit. Siclus.

Sed sit sanè præceptum Christi, sint verba necessitatis non evitandæ, *Reddite igitur qvæ sunt Cæsaris Cæsari:* habeant eandem vim cum cõseqventibus, *Et qvæ sunt Dei Deo.* De pecuniâ qvæstio, & eâ qvidem ordinatâ, movebatur. Non ille pudicitiam nostram, non conjuges & liberos, non vitam deniq; ipsam in prædam concessit. ac ne omnem qvidem rem pecuniariam, & omnem vivendi facultatem. De censu enim & tributo, id est reditu principis publico consensu, pactione, aut ordinariâ conferendi via, convento, agebatur. Reddenda Census.

igitur tributa, ſolvenda etiam vectigalia. CUI? Cæſari: legitimo magiſtratui, & ſeut talem gerenti. Qvalis fuit Chriſto docente Tiberius: qvi ad provinciales præfectos, tributorum ingravationem ſvadentes, reſcripſit: *Boni paſtoris eſſe, tondere pecus, non deglubere.* Qvi igitur qvaſvis etiam graviſſimas indictiones, qvi rapinas & ſpoliationes tyranno ſuggerunt, hoc Chriſti dicto minimè juvantur.

Sveton.

3. Videndum an plus in verborum Pauli, accuratè ad Romanos ſcribentis, clypeo ſit præſidii. Qvo loco eorum primum infringenda opinio eſt, qvi qvod epiſtola Nerone imperante ſcripta ſit, violentiſſimam tyrannidem eâ muniri arbitrantur. Certum enim eſt ex temporum ſupputatione, aut Claudium etiamnum Romanis imperaſſe, aut recens fuiſſe & tenerum Neronis imperium. Priorem ſententiam Chronicon Euſebii, non refragante Joſepho Scaligero, tuetur. Poſterior etiamſi convicta vel conceſſa fuerit, nobis ne hilum qvidem adverſatur. Primis enim imperii annis Nero omnes ante ſe imperatores, non modò Claudium, mitiſſimâ imperandi ratione ſuperabat. Teſtis Cornelius Tacitus, teſtis Dio & Xiphilinus, teſtis Tranqvillus, teſtes qvicunq; Auguſtam hiſtoriam ſcribendo attigerunt. Qvare hoc obice dimoto, ad ipſa Pauli verba conſideranda veniamus.

De tempore ſcriptæ à Paulo epiſtolæ.

Legum omnium & honeſtatis conculcatrici tyrannidi Apoſtolus non patrocinatur: ſive fundamentum dominii, & cauſam ejus efficientem; ſive formam imperii; ſeu finem deniq; & operationem ſpectes. Fundamentum legitimi imperii eſt

Imperii fundamentum.

est ἐξουσία: Dei & hominum autoritate commissa imperandi potestas. Qvi igitur vestigia ingressi Tarqvinii Superbi, cum qvo simul justa ac legitima regna occiderunt, nihil ad jus regni præter vim habent; æqvitatis patroni Pauli patrocinium ne qværant. Suprema imperiorum causa Deus est: qvanquam ab humano instituto originem trahere videantur. Cum igitur Deo nec injustitia, nec injusti placeant: violatores justitiæ tyranni tam nobili origine, fonte divini seminis, ne glorientur. Forma imperii in ordine, & ordinatâ inter æqvales & cives eminentiâ, consistit. Ut autem nullus inter hominem & jumenta; ita nec inter superbum dominum, omnia ex libidinis præscripto agentem, & abjecta mancipia regiminis ordo. αἱ δὲ οὖσαι ἐξουσίαι ὑπὸ τοῦ θεοῦ τεταγμέναι εἰσίν. *qvæ sunt potestates, à Deo ORDINATÆ sunt.* nec otiosa vocis ὑποτάσσεσθαι, qvæ lenior est qvam Romanorum subjiciendi, expressio. ὑποτάσσεσθαι enim propriè Græcis est, sub duce exercituum in legione vel acie, τάξει, collocari. Finis imperii & operatio est; bonorum defensio, malorum averruncatio. οἱ γὰρ ἄρχοντες οὐκ εἰσὶ φόβος τῶν ἀγαθῶν ἔργων, ἀλλὰ τῶν κακῶν. *Principes enim formidini sunt non bonis operibus, sed malis.* Qvod qvam Neroni, post matris cædem in omne flagitium demerso, qvadret; tractatu, qvem Principem Absolutum inscripsi, ostendi.

Liv. lib. 1.

Causa efficiens.

Rom. 13.

Subordinatio.

Imperii finis.

Omninò contra eos, qvi magistratum omnem, & omnem imperii eminentiam, tanqvam libertati Christianæ adversam, rejiciunt; epistola Pauli militat. Παρεισέδυσαν γάρ, irrepserant enim in cœtum Christianorum homines perversi ingenii, τὴν τοῦ θεοῦ ἡμῶν χάριν μετατιθέντες εἰς ἀσέλγειαν, *Judæ, v. 4.*

Pauli mens.

gratiam Dei nostri in petulantiam convertentes. Hi v. 8. præter carnis fœdam pollutionem, κυριότητα ἀθετοῦσι, δόξας δὲ βλασφημοῦσι. *dominationem rejiciunt, eminentias autem vituperant.* adeò ut piorum nonnulli in eam persvasionem abriperentur; superiorum, maximè ut iis temporibus gentilium, jussa libertati Christianorum adversari. E qvorum ingenio de omnibus Christianis judicatum esse, Tertullianus ad Scapulam innuit. *Sic & circa majestatem imperatoris infamamur.* Quod crimen retorsione in criminantes refellit. *tamen nunqvam Albiani, nec Nigriani, vel Cassiani inveniri potuerunt Christiani.* Gentiles rebelles. Cassius contra Antoninum Philosophum, Albinus & Niger contra Severum, castra adversa moventes, multos è gentilibus asseclas, nullos è Christianis duxerunt. Altera opinionis de Christianorum rebellione conceptæ refutatio, à qvieto in tantâ multitudine silentio desumitur. *Pars penè major civitatis cujusq; in silentio & modestiâ agimus.* Hoc ut à Christi & ipsius modestiæ discipulis impetret, & ne ulla offensionis causa vel calumniandi occasio præbeatur, Paulus in seriam adhortationem exardescit. Nullum tamen tyrannis, & non tam populi, qvam luxuriæ, avaritiæ, crudelitatis magistris licentiæ munimen vel velamen suppeditat.

4. Paulo succenturiatus circumcisorum Apostolus, per eadem vestigia ingreditur. Obseqvium ita à suis & superiorum reverentiam exigit, ut istos officii non segniter admoneat. Creati enim sunt principes, & qvi vicariâ eorum potestate funguntur, εἰς ἐκδίκησιν μὲν κακοποιῶν, ἔπαινον δὲ ἀγαθοποιῶν, 1. Petr. 2. v. 14. *in malorum punitionem, bonorum laudem & honorem.*

Qvibus

Qvibus igitur boni invisi sunt, mali oblectamento; qvi Burrhos & Senecas aversati, è medio tollunt, Tigellinos flagitiorum magistros juxta se evehunt: ii nihil in verbis Petri, nihil in Pauli verbis præsidii inveniunt.

Postremò consvetudo veterum Christianorum, optima legis interpres ut ajunt, pro normâ patientiæ adfertur. Sed nec facultas resistendi Christianis, nec causa sufficiens adfuit. Non facultas: qvia disjectus pauperculorum numerus Christiani, sine capite civili, sine dignitate & viribus fuerunt. Non causa sufficiens: qvia plerique mala Christianis infligentium, probatæ vitę principes, moris inculpati, aut saltem non projectæ neqvitiæ, fuerunt. Tyrannos autem, & reipublicæ ac honestatis eversores, erant in populo & senatu qvi coërcere poterant. Singulari præterea Christianorum patientiâ iis temporibus, ut sufferendo ferertum de mundanâ gloriâ extruerent, opus fuit. Ne dicam, Christianorum plerosque, in appetendâ martyrii coronâ, offerendo se ultrò suppliciis, modum propemodum excessisse. 5. Christianâ patientia.

Balistæ lapidum, & reliqva tormenta telorum, eò graviores emissiones habent, qvo sunt contenta, atque adducta vehementius. Sic Grotius qvo majori vi in verè tyrannos deinceps fulmina jaculetur, adducto qvasi arcus flexu, rem eorum sub imperantium personâ agere videtur. Præter sacræ scripturæ autoritatem, & veteris ecclesiæ consvetudinem, gentilium qvosdam recessus pro stabiliendo imperantium jure scrutatur. Agmen sententiarum illud poëtæ tragici ducit: Cic. Tusc qu. lib. 3. Grotii simulata severitas. Veterum sententiæ de monarchiâ absolutâ. I.

Τραχὺς μόναρχος, κ' οὐχ ὑπεύθυνος, κρατεῖ.

Rex asper, & sensus sui, nunc imperat.

Subdola enim est, aut obscura, Grotii versio:

Rex est suo utens jure, nulli obnoxius.

Examinatus Æschylus: Nam qvis in lectione Æschyli versatur, non videt, asperum Jovis imperium, desiderato Saturni
2. mitiori, à Prometheo reprehendi. Illud Sophoclis difficultatem non habet:

Ἄρχοντές εἰσιν, ὥσθ᾽ ὑπεικτέον. τί μή;

Sunt principes: obediendum. qvippe ni?

Sophocles Benè enim imperantibus διὰ τὴν συνείδησιν, conscientiæ causâ; asperius agentibus διὰ τὴν ὀργὴν, ad iram eorum vitandam, obseqvendum est. in rebus nimirum nec gloriæ divinæ, nec societati hominum adversantibus. Nec qvicqvam iniqvi
3. aut obsurdi versus Euripidæus præ se ferre videbitur.

Τὰς τῶν κρατούντων ἀμαθίας χρεὼν φέρειν.

Regnantium feramus imperitiam.

Euripide. Nam & in privatâ vitâ multum casus à neqvitiâ, erratum à scelere, inscitia à deliberato facinore differt.

4. Principi summum rerum arbitrium Deos dedisse, subditis obseqvii gloriam relictam esse, è
Tacitus. Tacito jactatur. Sed non attendunt homines, à qvo, qvo temporum articulo, qvibus de rebus hoc dictum proferatur. Amicitiæ cum Sejano cultæ reus, & jamjam condemnandus, ad sui defensionem, & ad emolliendum principem offensum, nihil non molitur. Arbitrium amicos eligendi vel repudiandi Tiberius habebat: pars gloriæ subditorum fuit, eos qvos princeps honorat in honore habere. Hoc ad omne genus obse-

qvii,

qvii, etiam in reip. & virtutum pessundatione ferendâ vel exeqvendâ, diducere, nimis importunæ obediendi gloriæ fuerit,

Plautinum illud 5. Captiv.

Indigna digna habenda sunt, herus qvæ facit,

parum ad nostrum institutum. Nam nec herile Plautus: cum regio imperium confundendum: nec ulla acerbioris iniqvitatis à Comico fit mentio. Tragicum è Senecâ depromtum, 6.

Æqvum atqve iniqvum regis imperium feras,

ut & Sophocléum simile, loqventis personæ, non Seneca: rei veritati accommodatur. Iniqvissima enim mortalium esset conditio, si omnia superborum regum, aut iis protervè adulantium, dicta pro oraculis exosculari cogerentur.

Vehementer infinitæ dominationi applaudentibus illud Salustii abblanditur: *Impunè qvidvis* 7. *facere, id est regem esse.* Qvasi non hæc aversantis Salustius: magis, qvam agendi libidinem approbantis, verba Salustii audiremus. Multa regum non voluntate, sed cupiditate facta, timore rescindere patres convocati non audent. Qvid autem inter hæc discriminis intersit, Tullius in dissertatione morali doceat. *Voluntas est, qvæ qvid cum ratione desiderat.* Tusc. qv. *qvæ autem adversâ ratione incitata est vehementiùs, ea* lib. I V. *libido est, vel cupiditas effrenata.* Voluntati igitur regum omnes boni viri & cives non adversantur: cupiditati gratificari vel coguntur vel interdum simulant. Nec illa vel coactio, vel approbandi simulatio, jus aliqvod integrum constituit. Temporibus ob metum datur, qvod juri non debetur. Cupiditate Græciam invadendi Xerxes incitatus, 8.

8. qvamvis nolentes ire in ſententiam ſuam Perſas
Herodotus: volebat. Vocatis in concilium proceribus, orationem ſententiæ ſuæ ſvaſoriam his fermè verbis concludit. Ποιητέα μὲν νῦν ταῦτά ἐστὶ οὕτω. ἵνα δὲ μὴ ἰδιοβουλεύειν ὑμῖν δοκέω, τίθημι τὸ πρῆγμα ἐς μέσον, γνώμην κελεύων ὑμέων τὸν βουλόμενον ἀποφαίνεσθαι. *Hæc qvidem ita facienda ſunt. ne autem meo tantùm ſenſu uti vobis videar, rem in medium propono, ſententiæ cuiqve promendæ copiam faciens.* Qvanqvam ſecundo rerum flatu dementatus homo, qvanqvam imperium totius jam mundi ſpirans, non ſui arbitrii rem tantam audet facere. Qvanqvam autem cæteris metu defixis, nemo diſſvadere expeditionem auderet, Artabanus tamen & contrarium diſſerere, & à conatu Xerxem avertere non verebatur. In qvem qvidem, ut ſuæ libidini adverſantem, in præſens Xerxes invectus eſt, ſed animi in poſterum mutati, ultrò ad Artabanum deprecatum venit. Si igitur regum potentiâ ſimul & faſtu elatiſſimus, non omnia ſuo arbitrio permittit: regium ſimpliciter non eſt, impunè qvidvis facere vel ſuſcipere. Nec tamen, qvamvis Xerxi aliud videatur, à regiæ cupiditatis exorbitatione ad jus
9. regium argumentandum eſt. Nec vel cauſidici, vel jus militiæ, cauſam labentem ſurrigunt. *Miles qvi caſtigare volenti ſe centurioni reſtiterit, ſi vitem tenuit, militiam mutat: ſi ex induſtriâ fregit, vel manum centurioni intulit, capite punitur.* Non enim id qværitur, an legitimè imperanti, legitimè punienti, reſiſtendum non ſit: ſed an qvidvis in qvoſvis, & in ſeipſum, imperanti liceat. Nec idem eſt, viteâ virgâ qvamvis inſontem cædi, & orbem

reipu-

Herodot. Polymniâ.

JCtus:

reipublicæ unius non impeditâ culpâ deflagrare. Illud verò Aristoteléum, εἰ ἀρχὴν ἔχων ἐπάταξεν, οὐ δεῖ ἀντιπληγῆναι, præsenti dissertationi inconveniens est. Non enim de impunitate magistratum gerentium, sed de pœnâ talionis vitandâ, Stagirites agit. Qvam leviorem sustinere magistratum, graviorem infligi privato civi vel extero, non profuturâ Grotio sententiâ, apertè differit. 10. Aristoteles.

Illud non inconvenienter à Grotio dictum est: *Si maneat promiscuum illud resistendi jus, non jam civitas erit, sed dissociata multitudo.* Non enim vel servos ad pileum vocamus, vel Cyclopæam turbæ dissolutæ vitam ab inferis excitamus. Sed exardescentem qvidvis agendi libidinem, consilia rebus agendis non admittentem, omnes mortales & ipsam rationem, cum universitatis detrimento, sibi subjicientem cupiditatem non svademus. Omnia mente sagaci rectè prospicere, nec pravo nocendi studio unqvam abripi, liberamque habere ad omnia agenda potestatem, Dei solius est. Concessio.

Ob unam & alteram Principis in vitâ exorbitantiam ad ferrum & ad sectionem confugere, præproperæ medicinæ est.

Multa enim interveniunt, qvæ manum cohibere, & patientiæ portum arripere svadebunt. Vindictæ insurgentis remoræ.
1. Ipsius dignitatis, divino honori proximæ, re- 1.

Respectus imperantium. verentia. Patrem qvamvis impium, qvamvis in liberos crudelem, filius pro pietate in parentes tolerat. 2. exorbitantiæ etiam in libertate pu-

2. Sui respectus. blicâ, etiam in populari dominatione, recordatio. De Rhodiorum, in libertate degentium, intolerando jugo Lycii qveruntur. *Regiam servitutem*

Liv. lib. 41. *collatam cum præsenti statu, præclaram libertatem visam. non publico tantùm se premi imperio, sed singulos justum pati servitium.* De Spartanorum, Græciæ ab Atheniensium scilicet dominatione liberatorum altitudine, Xenophon. ἱκανοὶ δ᾽ εἰσὶ καὶ εἷς ἕκαστος Λακεδαιμονίων ἐν ταῖς πόλεσιν ὅ, τι βούλονται διαπράττεσθαι. *Qvisqve Spartanorum in civitatibus qvod vult potest efficere.* Qvam Athenienses in cives suos, & qvidem meritis aut genere insigniores, qvam Carthaginienses crudeles fuerint, qvoties Corcyræorum factiones prævalentes alteram civium partem presserint, ejecerint, jugulaverint; commemorare in re manifestâ supervacuum est. Romani qvidem novo insvetæ libertatis gustu, leges de provocatione adversus magistratus ad populum, sacrandoque cum bonis capite ejus, qvi regni occupandi consilia inisset, tulerunt. Sed quem ex eâ regni fugâ, qvem ex immodicâ libertate fructum tulerunt? Potentiorum in plebem licentiùs erumpentem sævitiam, plebis in patres & nobilitatem lasciviam, civitatis ex eo distractionem, & Consulum unitæ potentiæ discissionem. In populari sævitiæ tempestate, *Appius vehementis ingenii vir, imperio consulari rem agendam censebat: uno aut altero arrepto, qvieturos alios. Servilius lenibus remediis aptior, concitatos animos flecti.*

De Exped. Cyri lib. 6.

Liv. l. 2.

d. l.

qvam

qvam frangi, putabat cum tutius tum facilius esse. Appius ex eo in summo plebejorum odio esse: Servilius *medium se gerendo, nec plebis vitavit odium, nec apud patres gratiam iniit.* Ad regni igitur speciem, unum status turbati remedium, dictaturam confugerunt. Id modò cautum Patribus, ut *imperium suo vehemens, mansveto permitteretur ingenio.* Id qvod tamen incidere, casus magis, qvam firmi semper judicii fuit. Sacrum deinde montem, tribunitium tumorem, auxilii ferendi jus in sævam dominationem, aut populi proterviam convertentem, tempori parcens prætereo. Eò enim res primo ortu pervenit, ut gravium virorum admonitione opus esset, *Tribunitiæ potestatis vires salubres vellent Reip. esse.* d. l. 3. Famæ suæ, & exterorum de facto suo judicii futuri, circumspectio. Arma in reges 3. Pudor. capta, reges ad supplicium protracti, ne apud libertatis qvidem suæ vindices, laudantur. Omnium in ore nuper Anglorum natio, parcâ cum laudis commemoratione, jactabatur: plurimorum non occultis convitiis proscindebatur. 4. Qvid, Cui, in qvem liceat non defunctoria consideratio. Est enim blanda conciliatrix, & qvasi sui lena, uniuscujusque natura. Licere nobis volumus, qvod aliis negamus: & ademtam aliis agendi facultatem, in nostram operandi plenitudinem convertimus. Privatæ vitæ humilitate depressis nulla tyrannis resistendi potentia conceditur: 4. mediam potestatem gerentibus plenis velis la- Sui cognitio. xatur. At subditorum non minùs hi, qvam privati, ad superiorem relati personam gerunt. Tantò majori defensionis vinculo principibus obligati,

qvantò celſiori beneficio iis devi[illegible]i, qvantò plus fidei illis habetur. *Restrictio.* Qvanqvam diſſimulandum non eſt, eſſe alicubi imperiorum proceres, qvi non principi altitudinem ſuam, ſed populo aut patrimonio ſuo & generationi debent. Sunt alibi libertatis & populi cuſtodes, ad Spartæ Ephororum ſimilitudinem à populo aut legibus dati. Nonnunqvam & reges ipſi, vitæ ſuæ moribus fidentes, aut regno magis qvam ſibi in futurum conſulentes, provinciarum rectoribus gladium etiam in ſe, à viâ forte deflexuros, ſtringendum ad exemplum Trajani committunt. Senatus Romanus qvid in imperatores potuerit, Neronis ad ſupplicium condemnatione oſtendit. Teſtantur idem non fauſtæ in Commodum decreti acclamationes: *Lamprid.* *Qvi pretia vitæ exegit, & fidem non ſervavit, unco trahatur.* Ut Heliogabali, Maximini, & aliorum à ſenatu & provinciarum præſidibus damnationes non referam. Habuerintne Judæorum primores jus à Deo ſibi conceſſum, Joaſem & Amaziam reges vitâ privandi: an hæc narrentur in teſtimonium divinæ providentiæ id permittentis, non in facti humani approbationem: cum viris doctis ferram contentionis non ducam. Pro ſuo qviſque ingenio & inclinatione, fidem rerum non oppreſſurâ, demat vel addat magnatum licentiæ.

5. *Rerum intellectus.* 5. Vocis *Tyranni* genuina acceptatio. Platonis in definitionibus Tyrannus eſt, *ἄρχων πόλεως κατὰ τὴν ἑαυτοῦ διάνοιαν, civitati pro arbitrio ſuo imperans.* Atqvi in παμβασιλείᾳ, qvam juſti imperii ſpeciem Ariſtoteles recenſet, princeps pro arbitrio ſuo imperat. Itaque Ariſtoteli,

& ipſi

& ipsi alibi Platoni, tyrannus est, qvi in imperando commodum suum, non subditorum, spectat. Sed & hæc est periculosa, principibus paucis bonum suum negligentibus, definitio. Senecæ, ad vulgi sensum propiùs accedēti, *tyranni ex voluptate sæviunt, reges nonnisi ex causâ & necessitate.* Hoc demū sensu famosus inter tyrannos Phalaris, cujus est præter cæteros nobilitata crudelitas, à multorum calamo perstringitur. in qvem, è medio qvā primùm tollendum, universa Agrigentinorum multitudo impetum fecit. Qvanqvam neminem præter meritum Phalaris punivit; modum duntaxat in puniendo excessit. Nostri ævi politicis, qvi qvidem principum saluti prospiciunt, tyranni sunt reip. commissæ eversores, legum fundamentalium suppressores, civium & omnium bonorum capitales hostes. Et in hos demum ferrum stringendum, cum nimirum aliâ medicinâ desperatâ integritas eorum conclamata est, concedunt. Alias vocis acceptiones, ad qvæstionem hanc non pertinentes, transeo. 6. Pœnæ tyrannorum divinitùs non emansuræ, & qvæ in ipso vitæ præsentis morsu capitur, cogitatio. In hos enim qvam maximè illud Plutarchi in Moralibus qvadrabit: Ἐν πλείονι χρόνῳ τιμωρίαν μακροτέραν, οὐ βραδυτέραν τίνουσι. *In tempore diuturniori pœnam longiorem, non tardiorem solvunt.* Et qvamvis voluptate diffluentibus, pœna in longum differatur: πᾶς γε θεοῖς τῶν ἀνθρωπίνου βίου διάστημα, τὸ μηδέν ἐστι. *Deo omne humanæ vitæ spatium pro nihilo est.* Fruantur interim suis deliciis, ut oves ad mactationem saginatæ, aut qvi in carcere ad supplicium edu-

De clem. lib. 1.

Cic. off. lib. 2.

6. Pœnæ solatium.

7. cendi pascuntur. 7. Gravioris ex ultionê intermissa periculi evitatio. *Multi enim, etiam cum obesse vellent, profuerunt, & cum prodesse, obfuerunt.* Qvod, ne remotiora scrutemur, in tyrannicidio non semel contigit. Prodesse patriæ Brutus cum conjuratis, dominum ex humeris civium tollendo, voluit. Multis modis patriæ qviete indigenti, qvod ipsi facti applausores fatentur, obfuit. Bellum enim Pompejano horribilius, & graviores Cæsare dominos non emersuræ patriæ attraxit. In Angliâ Fairfaxium, cum aliis qvibusdam, syncero animo præsentibus mederi, non usque ad necem regis animum indurare, voluisse arbitror. Victoriam cruentam, & exhaustam ære & sangvine Angliam, multò priori gravior dominatio consecuta est. Si hi victoriam fructus, qvi non acceptam cladem in bello civili seqvantur? Dionysius in Sicilia à Dione in arcem obsidendam compulsus, dilacerandâ strage & incendio Syracusarum urbe, συνταφιάσαι τὴν τυραννίδα τῇ πόλει πίπτουσαν, *tyrannidem unà cum ruente urbe sepelire*, constituit. Et reverà ita freqventer accidit: aut victores tyranni, graviorem civibus dominatum inducunt; aut victi, carè redemtam libertatem tradunt. Hæc & similia intuentes, ô qvi ad bellum intestinum ruitis, βουλεύσασθαι βραδέως, ὡς οὐ περὶ βραχέων, *Sensim, ut non de rebus unius momenti, deliberate.*

Cautio.

Cic. de Nat. Deor. Lib. 3.

Plutarch. in Dione.

Thucyd. lib. 1.

Ea demum sunt justa in imperantes bella, qvæ summa

con-

contra violentiam neceſſitas exprimit.

Tria ſunt violentorum in dominando, tria & reſiſtendi neceſſitatis vel permiſſionis, genera. In prima claſſe eos pono, qvi nullo ad imperandum jure admiſſi, fraude aut violentiâ ſe ingerunt. In proximâ eos, qvi imperium legitimè adepti, ſæviendo in omnes, vel curam reip. abjiciendo, ab officio deſciſcunt. Tertii generis mihi ſunt, qvi Spartæ commiſſæ in cæteris curam gerentes, affectui ſuo indulgentes privatim in qvoſdam iniqvè ſe gerunt. De primi ordinis tyrannis Græcorum fuit ſententia, πάντη περιφανῶς ἀνοσίων, καὶ τῶν φανερῶς προδοτῶν, καὶ τυραννεῖν ἐπιχειρούντων, ὑπὸ πάντων ἀνθρώπων θάνατον κατεγνῶσθαι. *Manifeſtè impios, & apertè proditores, & tyrannidi ſe ingerentes, ab omnibus hominibus ad mortem condemnatos.* Nulla enim majeſtas imperii invaſores, nullum jus imperandi, nulla civium ad obſeqvendum obligatio tuetur. Si tamen indicia numinis imperium deferentis adſint, ſi reſpublica ſtare ſine ejuſmodi moderatore neqveat, ſi deniq; niſi cum maximâ reipublicæ convulſione reſiſti non poſſit: & hic temporibus cedere, qvam ſummo jure experiri, conſultius.

Gradus tyrannidis.

Supremus gradus.

Xenoph. Græcanic. hiſt. L. 7.

Non meliori perniciosis invaſoribus conditione habentur, qvi exercitum ſibi commiſſum, qvi poteſtatem imperii, in committentium perniciem convertunt. *Nunqvam in hac urbe ii, qvi à republicâ defecerunt, civium jura tenuerunt:* inqvit de Catilinariâ factione Cicero. Multò minùs regum jura tenebunt, qui à rep. & à divino jure

Medius gradus.

in Catil. orat. 4.

descifcentes, hoftes patriæ regendæ, & omnium in eâ civium, fe actione profitentur. Nec regi iis temporibus aut confuli refiftitur: fed pro rege aut confule, qvi hoftis eft reipublicæ, non habetur. Romanorum judicio & is qvi majeftatem populi Romani in confulatu minuit, aut qvi fe indecorè gerendo fafces imperii proftituit, dignitate gerendâ indignus habebatur. Qvalis M. Antonius, qvi conful diadema Cæfari populo ingemifcente impofuit, Lupercalia per forum nudus

Philip. 3. cucurrit. *Nec verò M. Antonium confulem poft Lupercalia putare debuiftis.* Qvare & in Galliam tendenti D. Brutus tanqvam privato fe oppofuit, & legiones qvædam judicium Bruti fecutæ, Antonium

d. l. reliqverunt, *nam fi ille conful, fuftuarium meruerunt legiones, qvæ confulem reliqverunt.* qvas tamen fummis laudibus Cicero, fecundo patrum plaufu, evehit. Nec vituperandi patres iidem, qvi contra Antonium, patriæ luctuofum bellum inferen-

Philip. 10. tem, arma & faga induerunt. *Omne enim exercitus & imperii jus amittit, qvi eo imperio & exercitu rempub. oppugnat.* Nec inconcinnè à confulatu ad regnum, Romanorum faltem mente, argumente-

lib. 1. ris. Regum enim fucceffores, regia poteftas

lib. 1. confules Livio vocantur, *Omnia jura,* (regum) *omnia infignia primi confules tenuere.* Qvare & legibus de imperio à Cicerone recenfitis, regii impe-

Cic. de Leg. lib. 3. rii confules dicuntur. *Regio imperio duo funto: iiqve praeundo, judicando, confulendo, pratores, judices, confules appellantor. militiæ fummum jus habento.* Qvanqvam negandum non eft, non per omnia eandem effe, qvoad vim decernendi & agendi, regiam & confu-

consularem dignitatem. Nec statim pro hostibus patriæ reges habendi, qvi factiosorum rebelli contumaciâ ad arma compelluntur.

Qvid in tertiæ classis iniqviores dominos liceat vel non liceat, historia sacra in Saule injuriam faciente, & Davide fugâ armatâ sibi consulente, patefecit. Nam Syriæ regem Antiochum, cui se Asmonæi opposuerunt, in mediam classem, qvoad rempublicam Judaicam, compingo. Strenuè pro patriæ salute Saul vigilando, eamqve hostibus violentissimis liberando, multis populum universum commodis affecit. At idem, tristi qvadam insidiarum & conjurationis in se suspicione, sacerdotum familiam insontem crudelem in modum interemit, Davidem ad mortem pertinaciter qvæsivit. Vitabundis armis David vitam suam defendit: nec in rege occidendo salutem universi populi periclitari, nec suspicionem de se qvæsiti cæde regni præbere, voluit. Attamen cum nusqvam tutæ latebræ concederentur, munito Kegilæ oppido regem armatâ manu excipere, si non à civibus desereretur, constituerat: & ab interficiendo in speluncâ Saule parùm abfuerat. Dignum qvod seqvantur magnanimi viri exemplum: vitam suam non per ignaviam prodendo, & regis injuriosi vitæ qvantum fieri potest parcendo. *Infimus gradus.* *1. Sam. 23.* *1. Sam. 24.*

Qvæ à Barclajo, acerrimo regii juris assertore, distinctiones amittendi dominii congeruntur, qvia ab Hugone Grotio in fasciculum colliguntur, nolim in laboris mei gloriam convertere.

Multa in belli gerendi stadio moveri possint; *Rejectio.*

qvorum postremum non est, nosse bellum suscipientis rempublicam. qvod eam vim habet: nosse *qvid habeat militum, qvid valeat ærario, qvos socios reip. habeat, qvos amicos, qvos stipendiarios: qvâ qvisqve sit lege, conditione, fœdere: tenere consvetudinem decernendi, nosse exempla majorum.* sed ea in alium tractatum, de belli nimirum gerendi prudentiâ, rejicienda commodiùs videntur.

Cic. de Legibus. lib. 3.

Conclusio. Tantummodò ad metam operis decursi Deum, belli & pacis conditorem, animitùs precor: pace ubique gentium restitutâ, bellum omne ab orbe humano exulare jubeat. Sin id per hominum proterviam impetrare nefas: saltem ut fide hominum commercio non ablegatâ, bella consideratè suscipiantur, legitimè gerantur, sine acerbitate deponantur. Cujus voti compotem litando fieri, ita res est divini beneficii, ut hominum non inertium nec mente depravatorum officii esse videatur.



DE



DE JURE MILITIÆ ROMANORUM.

Caput I.

BELLORVM DETESTATIO.

Unqvam ſatis deplorari humani generis vel cœcitas animi, vel fato obveniens miſeriarum cumulus poteſt. Incendia, ruinæ, tempeſtates, maris & fluviorum effuſiones, qvaſi in hominum calamitatem conjurata militant. Hinc terræ dehiſcentes aut concuſſæ, hinc aëris peſtifera lues, & ipſis in corporibus morborum agmina, minantur. Maximam verò ſtragis partem ipſi ſibi homines, ferro in mutuam perniciem graſſantes, accerſunt. Civitas in civitatem, natio in nationem bello inferendo inſurgit. Jure putatur fieri, qvod paſſim fit: & *Defenſio communis furoris eſt furentium multitudo.* Nec defenſio tantum furori qværitur: gloriæ publica gentium in *Minutius.*

Terpsich. ſania ducitur. De Thracum moribus Herodotus: γῆς δὲ ἐργάτην, ἀτιμότατον. τὸ ζῆν ἀπὸ πολέμου καὶ ληϊστύος κάλλιστον. *Terræ cultura, in fœdiſſimis; bello & latrocinio vivere, in honeſtiſſimis habetur.* Nec diſſimilia de veteri Germaniâ Tacitus : *Nec arare terram, aut exſpectare annum, tam facilè perſvaſeris, qvam vocare hoſtes & vulnera mereri. pigrum qvinimò & iners videtur ſudore acqvirere, qvod poſſis ſangvine parare.* Qvod in barbaris ita vocatis Græci & Romani mirantur, ſi in eo ipſi verſantur, in non vulgarem laudem rapiunt. Omne Romanæ urbis ævum luſtra: paucos in eo annos tumultus armorum vacuos reperies. Nobis vero illa Ciceronis ſententia animo ſedet: *Cum ſint duo genera decertandi: unum per diſceptationem, alterum per vim: cumqve illud proprium ſit hominis, hoc beluarum: confugiendum eſt ad poſterius, ſi uti non licet ſuperiore.* Atque eo ſenſu potiſſimum, eo animo Militiam Romanorum, ſi qvid è ſummo malo boni decerpi poſſit, conſiderabimus.

De Morib. Germanorum.

Offic. I.

CAPUT II.

DE MILITIÆ DUCIBUS.

Militia Romana in perſonis & actionibus, earumqve conſeqventibus pœnis & præmiis, verſatur.

Perſonæ ſunt imperantes, vel impe-

imperio militari parentes.

Qvi præeunt militiæ, vel supremo imperio, vel intermedio imperant.

Summum militiæ ductum Consules, vel rebus necessitate urgentibus Dictator, gerunt.

Antiqvis temporibus bini iisdem legionibus, juncto castrorum imperio, consules præfuerunt. Postea cum divisæ in conjunctione potentiæ vel dictaturæ tæderet, unus unum exercitum consul vel consulatu functus, populo vel senatu imperium deferente, rexit. Qvi ne exorbitante potestate animis efferretur, decem è senatu legatorum consilio de bello finiendo plerunque statuebat. *Decem legati.* Qvales & Spartanorum regi aliqvando adjunctos, belli Peloponnesiaci scriptor observat. Circumscripta enim regum eorum, non minùs qvam consulum Romanorum, aut iis etiam ampliùs, potestas fuit. Singulari belli gerendi autoritate Agis munitus, qvamdiu circa Deceliam hærebat, κύριος ἦν καὶ ἀποστέλλειν εἴποι τινὰ *Thucyd. lib. VIII.* ἐβούλετο στρατιὰν, καὶ ξυναγείρειν, καὶ χρήματα πράσσειν; *exercitum qvò vellet emittendi, & militis legendi, & pecuniæ exigendæ potestatem habebat.* Alii apud Athenienses decem legati, sive decemviri, de qvibus apud eundem autorem Pisander: δέκα ἄνδρες α ι.

τελείας ξυγγραφείας αὐτοκράτορας, καθ' ὅ, τι ἄριστα ἡ πόλις οἰκήσεται. *Decem viros legendos, legum non impeditâ potestate conscriptores, qvarum ad normam respublica qvam optimè administretur.* Sed ad Romanos, & eorum regendam militiam, revertor. Consules juventutem Romanam ad delectum cogebant, centuriones, tribunos militum legebant, legatos legionibus præficiendos sibi legabant, in eductas civium & sociorum copias summum militiæ jus habebant. Dictatores eò ampliùs, non reqvisito senatus consilio, nec provocatione ad populum admissâ, summum domi militiæq; in capita civium animadvertendi jus habebant. Non impari coërcendi arbitrio consules aliqvando senatus decreto, *Viderent Coss. neqvid respublica detrimenti caperet*, armabantur. Qvo sensu illud Plutarchi de Cicerone capiendum: λόγῳ μὲν ἀποδειχθεὶς ὕπατος, ἐξουσίαν δὲ λαβὼν αὐτοκράτορος καὶ δικτάτορος, *Verbo qvidem consul declaratus, reverà absoluti imperatoris & dictatoris potestatem nactus.* Qvem enim collegam in consulatu Antonium habebat, ἐν προσθήκης μέρει, ut syrma, non ut manum alteram habebat.

Consulum potestas militaris.

Dictatorum.

Aliqvando præter ordinem in militari imperio, vel detrahendo ducum potestati vel addendo, variabatur. Pompeji non tam splendor auctus, qvam imperandi autoritas accisa, senatu & consularibus viris in castra ejus effusis.

Senatus castrensis.

Nam qvis castra vocet tot strictos jure secures?
Tot fasces? docuit populos venerabilis ordo,
Non magni partes, sed Magnũ in partibus esse.

uti arguto sale Lucanus.

lib. V.

At

At eidem Pompejo *Sertorianum bellum à senatu privato datum est, qvia consules recusabant.* Ita in eodem homine, adolescente & sene, militiæ ordo & ductus inversus. Aliud extra ordinem decus imperii est, cum regimen militiæ à temporum necessitate rapiendum, non à senatu capiendum, defertur. Cujusmodi fuit Antonianis motibus Cassii & Bruti utriusque, nec satis fida partibus Octavii & Planci, conscriptis legionibus commotio. *Necesse est enim in tantâ conversione & perturbatione omnium rerum temporibus potiùs parere, qvam moribus.* Non exspectavit Brutus & Cassius decreta senatus, cum studia patrum pro libertate nosset. Dolobellam, tetrum in cives & provinciales tyrannum, Syria prohibere iste conatus est. *Jure eo, qvod Jupiter ipse sanxit, ut omnia qvæ reip. salutaria essent, legitima & justa haberentur.* Nam rebus & patrum sententiis metu impeditis, tacita senatus voluntas pro autoritate haberi debet.

Cic. Philipp. XI.

Commoto salo gubernatio.

d. l.

d. l.

Qvocunque nutu lectis bellorum ducibus, placet lex de imperio militari: *Militiæ, ab eo qvi imperabit, provocatio ne esto: qvodq; is qvi bellum gerat, imperassit, jus ratumq; esto.* Militiæ, inqvit, provocatio ne esto: ne qvis cum dictaturâ, qvæ etiam Romæ provocationem tollebat, confundat.

De legib. lib. 3.

Illud monere superfluum, militum ferociâ magis qvam voluntate nec imperatorum arbitrium, nec patrum autoritatem regendam esse. *Vobis arma & animus sit: mihi consilium, & virtutis vestræ regimen relinqvite:* inqvit etiam civili in bello Otho. Etiam civili inqvam: qvo imperantium ferè autoritas labascit. *Si veteranorum nutu mentes hujus*

Caput, non pedes, imperet.

Tacit. Histor. 1.

Cic Philipp. 10.

ordinis gubernantur, omniaq; ad eorum voluntatem dicta factaqve nostra referuntur: optanda mors est: inquit orator consularis. Μὴ διαστρατηγεῖν, μηδὲ λογοποιεῖν, è terrâ ne gubernarent: Æmilius Paulus præcepit. Idem suis, de expeditionis consilio nimium curiosis, hanc admonitionem suggessit: *Militem hæc tria curare debere: corpus ut qvam validissimum & pernicissimum habeat, arma apta, animum paratum ad subita imperia: cætera scire de se diis immortalibus & imperatori suo curæ esse.* Qvam in milites & cives autoritatem expeditiùs, qvi justo utuntur imperio, & qvi ipsi non aspernandi, obtinent. Qvi verò patriam injustis armis opprimunt, aut qvi spretâ virtute saginæ se corporis tradunt, reguntur magis à militibus qvam regunt. De Ægyptiorum regibus Ptolomæis Geographus: ξένους ἔτρεφον τοὺς τὰ ὅπλα ἔχοντας, ἄρχειν μᾶλλον ἢ ἄρχεσθαι δεδιδαγμένους, διὰ τὴν τῶν βασιλέων οὐδένειαν. *Peregrinarum gentium milites alebant, ad imperandum qvam parendum proniores, ob vilem regum cum animo autoritatem.* Qvam pendula fuerit Cæsarei nominis imperatorum dignitas, qvam vita ipsa, militum voluntati obnoxia, passim historiæ edocent.

Plutarch.

Liv. l. 44.

Strabo lib. 17.

Intermediis militiæ ducibus, qvatenus à fide in imperatorem non descifcunt, parendum.

Centuriones manipulis, tribuni militum cohortibus, legati legionibus, omnes ab imperatoris

ris nutu pendentes, imperant. Qvi si imperatori recalcitrent, si militum in se obseqvia flectunt, nullo obediendi jure milites devinciuntur. Qvid si tamen supremus militiæ dux à patriâ ipse desciscat, aut si in præruptam perniciem omnes sibi commissos ducat? Patriæ magis qvam imperanti, incolumitati omnium qvam unius proterviæ, consulendum. Nam ita fidem capiti membra debent, si ipsum à fide non degeneret.

Fides obedientiæ mutua.

Et intermediis his, & summis inprimis ducibus, ætas confirmatior & apicem autoritatis, & rerum peritiam adduxit.

Non igitur planè de nihilo leges apud Romanos Annariæ, & rogatio Julii tribuni de annis capiendo magistratui idoneis, fuere. Nam ne senectus qvidem, qvæ vires corporis imminuit, omne animi robur exhaurit, ingenii verò solertiam in multis acuit. Testis Agesilaus, qvi octoginta annos natus, ductor peregrinæ in Ægypto militiæ, pro Tacho primùm, deinde pro Nectanabi, strenuè rem intricatam expedivit. *Non enim viribus, aut velocitatibus, aut celeritate corporum res magnæ geruntur: sed consilio, autoritate, sententiâ.* Qvanqvam ne vires qvidem Agesilaum, nec corporis velocitas illâ ætate defecit. Celeri enim eruptione & se ac Nectanabim servavit, & res hostiles momento afflixit. De qvo, post Xenophontem & Plutarchum, Gregorius Gemistius, primo Græ-

Cruda Agesilai senectus.

Cic. in Catone.

canicæ historiæ, legatur. Nec inconcinnè in eundem Xenophon: Ἡ μὲν τοῦ σώματος ἰσχὺς γηράσκει, ἡ δὲ τῆς ψυχῆς ῥώμη τῶν ἀγαθῶν ἀνδρῶν ἀγήρατός ἐστι. *Corporis qvidem firmitas consenescit: animi autem robur bonorum virorum senectutis tabe non conficitur.* Sed Romani ut nec juvenilem ætatem ad imperium, ita nec senilem & decrepitam captabant. Media ætas, aut non multum à mediâ vergendo recedens, ad res agendas maximè placebat. Aliqvando etiam præcurrentem annos ingenii maturitatem in nonnullis conspicati, ut in Pompejo & in Scipionibus, inertiâ flammam illam extingvi passi non sunt. In magnis enim ingeniis, ut nec senescit animus, ita nec incrementum à procedente sensim ætate mutuatur.

in Agesilao.

Ætas media.

Astrictior castrorum qvam urbis disciplina: major consulum in militem, qvam in togatos animadvertendi potentia.

Causæ diversitatis partim à Romanorum licentiâ, partim à communi militiæ cum aliis gentibus naturâ. Magistratui enim in civem delinqventem animadversuro, leges de provocatione, lex Porcia, & tribunitia auxilii latio obstabat. A castris autem tribunitiâ tutelâ remotâ, civibus novo obedientiæ & firmiori sacramento addictis, nullum nisi in obseqvio præsidium. Nec metuendum ab hoste discrimen, & patriæ salus in manibus gerenda, qvicqvam remissi admittebant.

Consularis imperii remoræ.

Qvare

Qvare & alias apud nationes, legum in pace non adeò obſervantes, belli imperium addictius.

Αὐτίκ' ἐμῷ ὑπὸ δουρὶ τυπεὶς ἀπὸ θυμὸν ὀλέσσεις:

Hector imperiosè Polydamantem, regii ſangvinis virum, & ipſum legionis non extremæ ductorem, increpat. Nec minùs adverſis in caſtris Agamemno, cui belli ductus ab æqvalis dignitatis regibus commiſſus, detrectatoribus pugnæ cædem, & corporum à feris avibus lanienam minatur. Plura ab hiſtoriæ monumentis exempla congeri poterant: niſi recentiora utriuſqve Germaniæ in promtu eſſent. *Iliad. M.*

Vinculo qvodam parendi & ipſi ſummi duces aſtringuntur.

Nam & leges civitatis, & autoritatem ſenatus, & populi ſupremam majeſtatem reſpiciunt. Planè ut Spartanorum reges (nam Athenienſium temporarios belli duces cum conſule Romano non confero) eodem nexu tenebantur. Præclarè in hanc ſententiam Ageſilaus: Σοὶ μὲν, ὦ Χαβρία, κατὰ σαυτὸν ἀφιγμένῳ, χρῆσθαι τοῖς σαυτοῦ λογισμοῖς ἔξεστιν. ἐγὼ δὲ ὑπὸ τῆς πατρίδος ἐδόθην τοῖς Αἰγυπτίοις στρατηγός. *Tibi qvidem, ô Chabria, ſponte tuâ advecto, tuo arbitrio uti conceſſum. Ego autem à patriâ datus ſum Ægyptiis belli gerendi imperator.* Præſentior conſulis Romani conſtrictio: decem, ut ſuprà monui, legati adjuncti. Qvi ne qvid gratiæ in connivendo darent, ab alienâ gente & familia lecti antiqvitùs comitabantur. Ut de re ſuo ævo obſoletâ Cicero: *Atqve hoc etiam accepi, non ſolitos majores noſtros*

Spartani reges.

Gemiſtus, Græc. hiſt. lib. I.

Legati Rom.

Attic. l. 13. ep. VI.

legare in decem, qvi essent imperatorum necessarii, ut nos ignari pulcherrimorum institutorum, vel negligentes potius, &c. Nec leve potentiæ cōstringendæ vinculū, divisa cum collega majestas, & ratio imperii gesti exacto anno reddenda, & rei summâ cum fide administratæ juramentum præstandum. Qvæ omnia & fragilitatis intra memoriam, & intra modestiæ limites imperatorem tenebant.

CAPUT III.

DE CLERICIS.

Nunc pars militiæ potior MILITES, unde militiæ nomen, considerandi veniunt.

Potior; non dignitate imperii, aut ordinis eminentiâ; sed numeri & roboris præstantiâ. Frustrà tribunos & legatos in aciem produxeris, nisi legiones qvæ hostem profligent admoveris.

Ac primò qvidem videndum, qvi à militia excludantur, qvi ad eam legantur.

Excluduntur à militiæ ordine, ob vilitatem servi, ob census tenuitatem capite censi, ob vitæ maculam infames, ob sacram functionem clerici.

Nam

Nam sexus, ætatis, valetudinis infirmitatem recensere supervacuum. Servi igitur, & qvos præterea notavi, militiam nisi summæ necessitatis exceptione non adeunt. Ac servorum qvidem conditio dudum exolevit, capite censos Marius ad militiam evexit, vitâ probrosi magnam militiæ partem nostris moribus constituunt. De sacerdotibus, & cæteris clerici ordinis, ab armorum attrectatione segregandis, edisserendum nobis est. Servi.

Non convenit aris & armis, sacræ & profanæ militiæ.

Non apud Romanos tantum, sed apud plerasque nationes, ab armorum gestione sacrificuli arcentur, Clerici.

Cura tibi divûm effigies & templa tueri;
Bella viri pacemq; gerant, qveis bella gerēda.

inqvit apud Virgilium, mores Romanos & gentium respicientem, Turnus. Apud Hebræos bellorum immunes, præterqvam ad tubarum præcentum, & aræ fœderis interdum gestionem, sacerdotes ac Levitæ fuerunt. Pacifico Evangelii tempore, pacis annunciatores magis ab armis gestandis abhorrere, æqvum & decorum est. Non igitur nullâ de causa jure canonico Curiales, aut post baptisma militantes, aut in foro decertantes, à sacris prohibentur ordinibus. Qvod ad restrictionem duplicem concilium Toletanum arctavit: *Si qvis post baptismum militaverit, & chlamydem sumserit, aut cingulum ad necandos fideles, etiamsi gravia non admiserit, si ad clerum admissus fuerit, diaconii* Æn. 7. Grat. Dist. 51.

non accipiat dignitatem. Sed posterioris ævi decreta & canones, uberiores legis interpretes, omnem militiam sacris ordinibus interdicunt. nec ineptè Joannes Papa argumentatur: *Terram defendere, de prœliis tractare, de armis, terrenæ potestatis est.* Seqventis verò ævi decretales etiam excommunicationis fulmina, in clericos arma gestantes, detorqvent. *Clerici arma portantes, & usurarii excommunicentur.* Et hi qvidem per execrationem militiæ, sacro Christi vexillo indignæ, se & gregales suos armis gerendis exemerunt.

c. 23. qv. 8. cap nimium.

De vitâ & hon. cap. cler.

Civiles imperatorum leges tanqvam per ineptitudinem, & penè dixerim ignominiam, ut monachos ita & sacerdotes, & sacerdotum filios, adjectis qvasi per vilipendium ruricolis, à castris & ab armis removerunt. Ita fastus alio fastu retusus: & animi militares gloriæ, qvasi non omnibus communicandæ, stimulo accensi.

Nec diadema infulæ, nec imperium civili sacerdotio aptatur.

Præter enim decori neglectum, negotiorum dissimilitudini, cum officii intertrimento, multarum rerum curiosi se immiscent. Nec Christi & Apostolorum vel vitæ vel doctrinæ ea uno in agro diversi seminis, ut ad Mosaicam legem alludam, satio respondet. Qvod ad gentium receptam consvetudinem: aliqva sunt, sed raritate magis qvam freqventiâ conspicua, hujus commistionis exempla. De Ægypti more Plato: Περὶ μὲν αἰγύπτῳ οὐδ' ἔξεστι βασιλέα χωρὶς ἱερατικῆς ἄρχειν. *Circa Ægyptum*

De regno.

ptum ne qvidem licet aliqvem regnum, absq; sacerdotii functione, capessere. Quo qvidem dicto aut fallitur divinus Plato, aut sui temporis Judæam, parvo interstitio ab Ægypto avulsam, intelligit. De insulari rege Virgilius: Æn. 3.

Rex Anius, rex idem hominum Phœbiq; sacerdos.

Meminit & Cicero cujusdam in Cappadocia sacerdotis, armis regnum & se defendere, sed contra regem legitimum, parati. Sed qvid antiqva circumspicio? cum Roma ferat, cum Germania Rhenana, sacerdotes ditione & armis potentes. Qvi si non jure pontificio, certè pontificiâ consvetudine, & non amittendi qvæ possidentur animo, defenduntur. Ep. fam. l. 15. ep. 4.

CAPUT IV.

DE DELECTU ET DISCIPLINA.

Delectus, primus & ad militiam, & ad seqventes militiam honores, gradus est.

IN delectu id observabatur, ut primi vocarentur, qvi boni essent nominis: id est, qvi aliqvam salutis, roboris, victoriæ significationem nomine involverent. v. gr. Salustius, Valerius, Victorius. Sed & omnes ut boni nominis essent, id est probatæ vitæ & famæ, antiqvitùs observabatur. Moribus verò in præceps lapsis, accumulabantur, non legebantur milites. Boni nominis milites.

Nulla fides pietasq; viris qvi castra seqvuntur;
Venalesq; manus; ibi fas, ubi maxima merces.

Lib. 10. de Pompejano ævo Lucanus qveritur. de qvo eodem & conseqvente ævo Cicero : *Qvid enim manet* (De Rep. lib. V.) *ex antiqvis moribus, qvibus ille dixit rem stare Romanam? qvos ita oblivione obsoletos videmus, ut non modò non colantur, sed etiam ignorentur. Nam de viris qvid dicam? mores enim ipsi interierunt, virorum penuriâ.* Nihil igitur mirum, si fulcro hoc subducto, libertas civium concussa fuit, respublica in alienas manus incidit. *Nostris enim vitiis*, pergit ille, *non casu aliqvo, rempublicam verbo retinemus, reapse verò jam pridem amisimus.* Qvæ ad delectum plura reqvirantur, & qvanto is civitatum detrimento intercideritt, Lipsius abundè depromsit.

Non una semper militiæ Romanæ facies permansit.

Rudis & tenera sub Romulo & seqventibus regibus; colorata sub Servio & Tarqvinio; robusta in libertate, & maximè Scipionum ævo; innovata & multis modis immutata post calamitosa Marii & Sullæ tempora. Sub Romulo Rhamnetes, Titienses, Luceres; tribus & centuriæ instituta. Sub eo Celeres, regii corporis custodes & satellites, conscripti. Eqvites *Flexumines* dicti, & *Trossuli* : qvod oppidum Tuscorum Trossulum sine operâ peditum cepissent. A Servio cives à censu in sex militiæ classes descripti : *Proletarii* campestris militiæ immunes facti. Campestris inqvam militiæ: nam ab excubiis urbanis non liberabantur. Indicant versus Ennii :

Romuli militia. — Servii. — Proletarius. — Ann. 3.

Proletarius publicitùs excubiis ferróqve
Ornatur : ferro muros urbemqve forumq;
Excubiis curat.

Igitur

Igitur à proletando magis, id est hoste à muris repellendo, qvam à prole generandâ, proletarii dicuntur. Hi *publicitùs*, id est publico ærarii sumtu, & excubabant & ferro armabantur. Cæteri enim cives, ut qvi lautâ in re essent, sumtu suo arma & victum comparabant: sumtu iidem suo, usque ad extrema belli Vejentani tempora, & succo suo militabant. Proletariis, Egerio ob inopiam initiatis, vigiliæ, stationes, præsidia committebantur. Qvid autem inter hæc vocabula discriminis intersit, indicat locus Livii: *Vigiliæ in urbe, stationes ante portas, præsidiaq; in muris disposita.* Cætera Tullianæ militiæ, sunt enim in aperto, è primo Titi Livii libro petantur. Ad robustam crescentis Romæ, & libertatis lacertos moventis, militiam devenio. Liv. lib 3.

Ut fabricator generis humani, intelligentiam in animo, animum conclusit in corpore: ita fabricator boni regiminis senatus Romanus, vim omnem militiæ in ordine, ordinem in gradibus constituit. Jam primùm milites vel ordinarii in acie, vel subsidiarii extra aciem fuerunt. Ne pedites & eqvites, frontem & cornua vel alas, referam: milites vel levis armaturæ, vel gravis fuerunt. Levis armaturæ milites, ut justæ pugnæ præcursores, erumpebant, vel circa latera effundebantur. Rorarios eos, & Ferentarios; nec non Velatos, & tandem Velites, appellitabant. Rorarios Festus Grammaticus describit, *qvi levi armatura primi prœlium committebant, qvod ut ante imbrem ferè rorare solet, sic illi ante gravem armaturam qvod prodibant, Rorarii dicti.* Eidem Ferentarii sunt, *qvi fundis & lapidibus pugnabant.* qvod autem addit: Reipub. militia. Rorarii. Ferentarii.

qvæ tela feruntur, non tenentur, insipidæ locutionis est. qvanquam sensus qvidam subest verbis: feruntur enim in hostem & volant lapides, non retinentur manibus ut gladii: nec ut aclides, & qvoddam hastæ genus, post jactum reducuntur.

Velati. Velatos idem Grammaticus, qvasi vestitos & inermes, velum pro veste capiens, appellat. Pro iis

Velites. *velites*, & pugna levis velitatio, Græcis ἀκροβολισμὸς, Polybio γροσφομαχία, successerunt. γρόσφος enim hasta velitaris est: unde perspicitur, hasta eos, non tantum fundis & lapidibus, pugnasse. Ego à volando eos, qvasi volites, qvod ante aciem levi cursu provolabant, dictos conjicerem: nisi velatorum in locum successissent. Qvare ad vestis genus, qvod cum paludamento pugnabant, vir eruditus confugit. Omnes enim qvadratos & fluitantes amictus, velorum nomine accipit. Qvanqvam Lucilii versu adjuvatur:

Pone paludatus stabat rorarius velox:

qvid paludamentum & vestes fluitantes ad cursus velocitatem faciat, non video. Ego Lucilium, naris corrugatæ hominem, irrisisse rorarium, paludamento gravem & post principia stando delitescentem, arbitror. Imò in fragmentis Lucilii, nam integri libri non exstant, versus iste non legitur. Qvare meâ de velitum nomine conjecturâ, in gratiam eruditi Salmasii, nondum decedo. Alii fuerunt Velites Liviano tempore, in arena nimirum gladiatorii, cum expeditorum cohortibus non confundendi: nec ad militiæ scriptionem hilum faciunt.

Adscriptitii. Adscriptitios an rectè viri eruditionis far singulares rorariis, ferentariis, velitibus adsc

bai

bant; alii viderint. Ego adscriptitios fuisse arbitror, præter numerum exercitui allectos, qvi in demortuorum militum locum subirent. Aut certè, qvos pugnæ laborum immunes, Græci ἐκπάκλες nominant. Quales fuere buccinatores, medici, signiferi, mandatores, & qvi saucios ex acie deportandos curarunt *deportati*. Nec feliciori sagacitatis acumine Accensi, & Accensi velati, Ferentariorum numero comprehenduntur. Modò enim accensus pro optione, qvi dicitur. *Optio qvi nunc dicitur, antea appellabatur accensus. is adjutor dabatur centurioni à tribuno militum, ut qvem vellet eligeret.* Festus. Modò qvi consulem aut prætorem in castra seqvebatur, ad res necessarias acciendas, id est accersendas. modò qvi inter magistratuum, provinciis regendis præfectorum, apparitores; volentes vel citatos admittebat, introducebat, acciebat. εἰσαγωγεὺς Græcis, & εἰσηγητὴς ob id dictus. Res hominum memoriâ obsoletas, & ipsa confectrice omnium vetustate obtritas, exactum ad rationis calculum vocare meritò supersedemus. Accensi. Optio.

Omnibus tam pacis qvam militiæ artibus, primordia rerum natura produxit: perfectionem ars & exercitatio astruxit. *Nihil est enim, qvod aut natura extremum invenerit, aut doctrina primum: sed rerum principia ab ingenio profecta sunt, & exitus disciplinâ comparantur.* Romanâ in militiâ à rudibus Albanorum & Romuli initiis, naturæ simplicis ductum seqventibus, ad celebratam legionum instructionem & ordinem perventum est. Triplex fuit gravis armaturæ, per intervalla separatæ, acies. Hastati in fronte ponebantur; Principes Cic. ad Herenn. lib. 3. Gravis armatura.

in medio; tergum Triarii claudebant. Qvamvis inverso ordine Principes in primâ acie nonnulli locant: nominis ratione inducti, qvod principes, id est primi, pugnam cieant. Qvorum opinionem rejiciens Claudius Salmasius, Principes ab ætate appellatos, non à pugnandi ordine, suggerit. qvia flore ac vigore ætatis virilis Principes essent, inter Hastatos juniores, & Triarios veteranos medii. Ego non tam ab ætate, qvam à pugnandi robore, & armorum genere, & corroborato armorum usu Principes appellatos arbitror. Non enim hastarum vibratione, nec tirocinio militiæ, sed veteranis qvoad stipendia propiores, arte & animo strictis gladiis, cæsim & punctim rem gerebant. Nisi qvis à principio, ἀρχείῳ sive castrensi prætorio, qvod medio castrorum situ habebatur, principes appellatos mavelit. Aliàs facilè nostra cum Salmasio sententia conciliari poterit: nam qvi sunt ætate, ii & robore medii: &, ut apud Romanos, usu ac exercitatione. Et sic tandem pubescens ętas in hastatis, robustior & virilis in principibus, provectior & virtutis usu probata in triariis, qvi veterani milites erant, spectabatur.

Principes.

De Re militari Romanorum.

Salm. d. l.

Hæc paucis & succinctè, prolixitate simul & confusione vitatâ, de rebus vetustate intricatis delibavimus. In omni enim scriptione *non minùs rerum non necessariarum, qvam verborum multitudine supersedendum est.* Illud tamen de sessione triariorum, qvoad ritus Romanos, omittendum non est. Triarii sub vexillis considebant, sinistro crure porrecto: si Livio tradenti credimus. Tangit eum morem & Plautus. *Agite nunc, subsidite omnes, qvasi solent triarii.* Aliud *subsidere* recentioribus Latini-

Cic. de Invent. lib. 1.

Triarii.

latinitatis autoribus: idem nimirum qvod insidiari, viarum occulta insidere. Unde *subsessa*, insidiæ: *subsessores*, insidiatores. ἐφεδρείαν id Græci, usitatiùs ἐνέδραν, dicerent: qvanqvam & stationem ἐφεδρείαν apud Polybium esse volunt.

Triarios veteris reipublicæ, & Veteranos Augustales, eosdem reâpse qvidam arbitrantur. Sanè de veteranis Tacitus: *retineri sub vexillo, cæterorum immunes, nisi propulsandi hostis.* Et triarii sub vexillo considebant: nec nisi re ad extremum deductâ, ad propulsandum hostem provolabant. Nec tamen idem omninò, nominibus tantùm immutatis, triarii qvod veterani. Triarii enim, qvasi tertiarii dicti, tertiam aciei instructæ seriem constituentes, hostem primos & secundos perrumpentem excepturi in loco morabantur. Veterani modo tironi, & ad militiam novo, opponuntur: modò emeritis stipendiis milites dicuntur. Qvi qvidem veteri ævo simplici missione, militiā solvebantur. Sub Augusto & eum seqventibus, gradus inter exauctorationem & missionem constituebantur. Medio enim tempore sub vexillo, dum in colonias præmium laborum accepturi mitterentur, retinebantur. Qvales sunt qvi sub Tiberii imperantis initia, plenam cum munere missionem flagitantes, tumultuabantur. Veterani. *Annal. 1.*

Qvod de Romanorum legibus Antonius: *veteres leges aut ipsas suâ vetustate consenuisse, aut novis legibus esse sublatas*: id ego de inventis & ordine militiæ Romanorum pronunciare non verecundor. Moribus in deteriora prolapsis, majorum institutis floccipensis, militiæ & ordo & gradus *Cic. de Oratore lib. 1.* Cæsarum militia.

& appellationes ipsæ mutabantur. Parca jam hastatorum, rara principum, nulla triariorum mentio. In decem cohortes legio, & ea ipsa numero auctior, distribuebatur. Ætate ac usu exercitatissimi, cum signis & legionis aqvilâ, in primam aciem subducti. Manipulorum nomen retentum: sed à centuriâ ad denos milites, *δεκανίαν*, traductum. In ordinatione intervalla demta: junctura in arctius constipata. Ne socii qvidem Latini, qvorum in locum alares cohortes, & auxiliares exterarum regionum, successerant, ampliùs cornua tenebant. Omnia in novam faciem, nova insignia, non usitatas appellationes commutata. Marius novæ rerum inductioni prælusit, Sulla & Pompejus claustra laxavit, Cæsar confirmationem adduxit. Planè ut iidem morientis libertatis, qvi ordinis militiæ extincti, gradus invenirentur. Legionis propè solum nomen, sed nec ipsum non variatum numero & insignibus, remansit. Qvarum de exactâ ratione, ut & de aciei instructione, in Tacticis, non in jure Militiæ, agendum.

Legio.

Ut militiæ decus disciplina, ita disciplinæ ipsius lumen est educatio.

Educatio militaris.

Qvæ ad gravitatem vitæ domesticâ severitate, ad militiæ laborem assvescendum campo in Martio sumebatur. Præterea *ad militiam euntibus dare solebant custodes, qvibus primo anno regerentur.* At nostris moribus licentiâ qvam maximè corrupti,

Cic. in fragm.

ad

ad militiam tanqvam ad proterviæ ſcholam confugiunt. Non ita priſci Romani: qvibus domus paterna, ſeveritatis; caſtra, virtutis & tolerantiæ officina. Ut cætera diſciplinæ caſtrenſis, ab aliis ſcribendo jam præreptæ, taceam. *qvi labor, qvantus agminis! ferre plus dimidiati menſis cibaria: ferre, ſi qvid ad uſum velint: ferre vallum. nam ſcutum, gladium, galeam, in onere noſtri milites non plus numerant, qvam humeros, lacertos, manus. arma enim membra militis eſſe dicunt. qvæ qvidem ita geruntur aptè, ut ſi uſus foret, abjectis oneribus, expeditis armis, ut membris pugnare poſſint.* *Tuſc. qu. lib. 3.* At noſtra agmina plus calonum ſæpè, proxenetarum, meretricularum, jumentorum deniqve & carrorum, qvam militum exercitatorum, & verè exercitus, trahunt. Arma, qvibus vitam defendant, oneri ſunt: nedum vallum, ſpatham, & dimidiati menſis cibaria gerant. Ne menſtruum qvidem aut novendinũ ſalarium, crumenæ ſæpè vacuæ, grave, multi noſtratum militum ferre apti ſunt. In aleam, aut qvod propius eſt in ſcorta & abdomen, qvicqvid ſtipendii obtigerit profundunt. Non ab hac negligentiæ voragine Romani, rerum non præter meritum domini, ad tanti faſtigium imperii emerſerunt. Virtutis eſt, militaris præſertim, magnarum rerum adeptio: laboris, & ærumnarum ſponte ſuſceptarum, virtutis conſecutio.

Τὴν μέντοι κακότητα καὶ ἰλαδὸν ἐστὶν ἑλέσθαι
Ρηϊδίως. ὀλίγη μὲν ὁδὸς, μάλα δ' ἐγγύθι ναίει.
Τῆς δ' ἀρετῆς ἱδρῶτα θεοὶ προπάροιθεν ἔθηκαν
Ἀθάνατοι, μακρὸς δὲ καὶ ὄρθιος οἶμος ἐπ' αὐτὴν,
Καὶ τρηχὺς τὸ πρῶτον. ἐπὴν δ' εἰς ἄκρον ἵκηται,
Ρηϊδίη δ' ἤπειτα πέλει, χαλεπή περ ἐοῦσα.

Egregiè ad ſenſum noſtrum Heſiodus. *Operum.*

Exercitationem, & parendi ducibus modestiam, fugientibus paratior ab admonitione medicina.

Admonitio. Admonitionem hic non verborum objurgationem, sed gravem in corpore aut honore animadversionem, ut in illo Sejani filiæ apud Cornelium, *posse se puerili verbere moneri*, capio. Est igitur monitio ea vel veteris Romæ, vel novæ & Byzantinæ. Utraqve est vel in honorum detractatione, vel in corporis aliqva læsione. Honoris imminutio vel paterna est, cum spe receptionis; vel judicialis, omnis honorum militarium abscissio. Priori modo extra castra delinqventes metabantur, hordeo pro frumento victitabant, militiæ gradum descendendo mutabant, usqve ad recuperandæ per virtutem stationis occasionem exulabant. Posteriori modo, ignominiosâ missione, vel etiam aqvæ & ignis interdictione, à militiæ vel civitatis corpore rescindebantur. In corpus vel vite expeditâ verberibus, vel securi strictâ aut fuste vitæ ademtione animadvertebatur. Exemplorum historia fœcunda, ipsâ copiâ fastidium pariturâ manum admovendam deterret. Illud peculiare præ cætero orbe Romanis, qvod ne patres qvidem in filiorum castrensibus delictis ad misericordiam commovebantur. L. Torqvatus contra filium, qvi prætor pecuniam in provinciâ cepisse arguebatur, rei cognitione

Ann. V.

Militaris castigatio.

tione susceptâ pronunciavit, *eum non talem videri fuisse in imperio, qvales ejus majores fuissent: & in conspectum suum venire vetuit.* Sed leve hoc præ Manlianâ in filium animadversione, qvem victo patris affectu lictoris manui subjecit: *ut dolore suo sanciret militaris imperii disciplinam, exercitumq; in gravissimo bello animadversionis metu contineret: saluti prospexit civium, qvâ intelligebat contineri suam.* *Cic. de finibus lib. 1.* *Cic. d. l.* *Triste exemplum, sed in posterum salubre juventuti Liv. lib. VIII.*

Qvæ fuerint recentis Romæ castrensium delictorum pœnæ, è Codice Justinianæo patebit. Paucas ex eo leges, exemplo severitatis insigniores, seligam.

Qvi excubias palatii deseruit, capite punitur.

In exploratione manens, hostibus insistentibus, aut à fossâ tunc recedens, plectitur capite.

Transfugiens ad hostes exautoratus, torqvetur & capite punitur.

Arma amittens vel alienans, capite punitur.

Fugam in acie prior, spectantibus militibus, faciens capite punitur.

Qvi agmen excessit, fustibus cæditur, vel militiam mutare cogitur.

Qvi vallum transcendit, aut per murum castra ingreditur, capite punitur.

Tristia hæc, & patientibus acerba: sed toti cœtui severitate salubria.

Sed ad antiqvam Romam, & verè ῥώμην, viris & moribus validam, revertor. Hi non tantùm flagitia, & præfractam obedientiæ abruptionem, sed & remissiùs pugnantes, ignominiâ vel morte puniverunt. Octo hominum millia tenebat Hannibal, non qvos in acie cepisset, aut qvi periculo mortis diffugissent, sed qvi relicti in castris fuis- *Cic. offic. libro 3.*

sent à Paulo & Varrone Consulibus. eos senatus non censuit redimendos, cum id parvâ pecunia fieri potuisset. *ut esset insitum militibus nostris, aut vincere aut emori.* Crudelissimi in hominis manibus, ut pecora mactandos, qvi cladi Cannensi non suâ culpâ superfuerunt, senatus reliqvit. qvid censes facturum fuisse in eos, qvi ex acie periculo mortis diffugissent? Hic qvidem integri sæpè exercitus, decimo qvoqve per sortem neci per fustigationem addicto, puniti. Qvod si tamen non fugiendi hostis, sed capiendi loci causâ recessissent, pro fugâ ignominiosâ, supplicium meritâ, non habebatur. Qvod tamen ipsum rarum apud Romanos, apud Germanos freqventiùs. qui *cedere loco, dummodò rursus instes, consilii qvam formidinis arbitrantur.* Romanis recessus dedecori, fuga supplicio expianda.

Tacit. de M. G.

Atqve hi in militem tam severi, in consulem non benè rem gerentem supra modum benigni fuerunt. Nemo omnium, ob rem ignaviâ aut temeritate corruptam, pœnâ affectus legitur. Varro cladis Cannensis, qvâ nulla Romanis gravior extitit, autor obviam sibi senatum, & reditum non desperatâ repub. gratulatum, habuit. *Gratiæ actæ,* inqvit Livius, *qvod de Rep. non desperasset: cui, si Carthaginiensium ductor fuisset, nihil recusandum supplicii foret. Vbi in crucem tolli imperatores dicuntur, si prosperò eventu, pravo consilio rem gesserunt.* Hi enim, ut & Athenienses, acerbiores in duces, qvam in ignavos milites, fuere. Apud Spartanos custos masculæ virtutis, dedecus fugiens, laudemqve maximè conseqvens,

lib. 22.

lib. 38.

vere-

verecundia fuit. Apud eos Aristodemus, qvi solus à Thermopylis Xerxen evaserat, τοῦ τρέσαντος trepidi nomen, donec maculam ad Plataas elueret, habuit. Nemo ei ignis aut sermonis communicationem, nemo honorem ullum habuit. Bello eo peracto Græci universi, qvi qvidem pro libertate steterant, eos qvi se præter necessitatem Persis dederant, Delphico Apollini decimandos decreverunt. Sed rem Græcorum, in campo Romanorum Martio occupati, nunc non agimus. *Herodot. lib. 7.* *ibidem.*

Præmiis, non tantum pœnæ severitate, res militaris continetur.

Præmia sunt vel ordinaria militiæ Romanæ, vel extra ordinem exposita. Illa sunt vel pecuniaria, vel honorum aut immunitatum. Pecuniaria prœmia stipendia dicuntur: denarius in diem pediti, duplex centurioni, eqviti triplex. Non enim, qvi mos est nostræ militiæ, luxuriari centurionem, gregarium esurire voluerunt. Porrò denarius decem vel asses vel sextertios, unde ei nomen, valebat. Dicerem respondere capitato nostrati, ex Anglia vel Brabantia advecto, nisi majus pretium in asse Romanorum, qvam in albo Rhenano, aut Batavorum stuvero, fuisse constaret. Alio modo stipendia, pro annis militiæ confectæ, dicuntur. qvæ, ut observat Carolus Sigonius, eqviti decem annorum, pediti sex, aut, si honores petere vellet, decem legitima fuerunt. *Stipendium.* *De antiqvo jure Civ. Rom. lib. 1.*

Vacatio. Qvæ sunt vacationis civilium munerum præmia, pleraqve Juvenalis sub finem operis satyrici congessit.

Qvod placitum est, illis præstatur tempus agendi,
Nec res atteritur longo sufflamine litis.
Solis prætereà testandi militibus jus
Vivo patre datur: nam qvæ sunt parta labore
Militiæ, placuit non esse in corpore census,
Omne tenet cujus regimen pater. ——

Qvæ extra ordinem obtingunt præmia, sunt vel prædæ vel adoreæ. Præda ex hostis devicti spoliis militi diripienti obtingit: adorea ob rem præclarè gestam, ex imperatoris assignatione, cum laudis indicio supervenit. De præda, ut qvæ freqventioris usus est, missâ adoreâ dicendum. Nisi enim hæc ordine & præscriptâ lege fiat, calones & ignava castrorum onera in prædando jura militiæ invadunt. Qvi, fuci Hesiodéi,

Præda.
Adorea.

Theog. Ἀλλότριον κάματον σφετέρην ἐς γαστέρ' ἀμῶνται.

Parta metunt alio, ventri mergenda, labore.

Qvod nec juri Romano, nec æqvitati naturali convenit. *neqve enim justum, ut cum alii magno labore fucos exegerint, alii expertes periculi mella auferant.* nec vitæ humanæ conveniens, ut laborem qvæstus hic recipiat, qvæstum laboris alius auferat. Qvare qvid ordinatæ Romanorum militiæ, qvid cultiorum gentium in prædâ diribendâ consvetudinis fuerit, contracto qvasi tabellâ sermone lustrabimus.

Procop. Hist. Goth. lib. 2.

CAPUT

CAPUT V.
DE PRÆDÆ DISTRIBUTIONE, ET ALIIS.

Præda hoste devicto capta, vel militi conceditur, vel in ærarium defertur.

Militi vel in direptionem datur, vel æqvâ portione dividitur.

Direptio vel in agrorum populatione fit, vel in oppidi alicujus expugnatione.

SÆpiùs utramqve fieri, qvam scripto consignari, dubium non est. Non tamen nulla apud scriptores Romanos, talium rerum observationis, monumenta reperiuntur. Celeberrima urbium captarum direptio Vejis in Hetruriâ expugnatis: sed ad qvam populus, qvi domi remanserat, promiscuè admissus fuit. Victo Mithridate, spolia à fugiente abjecta miles Lycurgi legit. Plura in re, qvæ nec artis est, nec arte ullâ indiget, non annoto. Direptiones.

Spoliorum divisio per consules, vel per tribunos militũ,

illis seculis non habuit, exilium multis obversabatur. Qvanqvam ne prædâ qvidem in ærarium delatâ Scipionis frater Asiaticus, ne alios commemorem, obtrectandi & gravioris judicii calumniam effugit. 3. Gratiæ militum per ambitionem qvæsitæ, & disciplinæ per largitionem emollitæ, opinio evitata. Regni enim fundamenta jácere, qvi gratiam popularium escâ objectâ collegerit, credebatur. Imperare igitur militi, salvâ autoritate & apud patres existimatione, qvam palpum & pulpam obtrudere, periclitante apud bonos famâ, malebant. Hæ causæ sunt meo judicio vel primæ, vel inter primas, cur miles prædâ exoptatâ exciderit.

Gentium consvetudo in qvibusdam accessit, in aliis à Romanorum moribus recessit.

Qvæ Hebræorum in prædæ divisione, qvæ Græcorum & aliarum gentium consvetudo fuerit, qvia Hugo Grotius abundè tractavit, nec ad militiam Romanam magnoperè pertinet, diducere supersedeo. *lib. 3. c. 6.*

Major apud generosas mentes laudis, qvam prædæ & pecuniæ, stimulus.

Maximè si in prœlio cæsorum honesta memoria, tumulo publicè extruendo, freqventetur. Qvod apud Athenienses, qvam Romanos, freqventius. Οἱ Ἀθηναῖοι τῷ πατρίῳ νόμῳ χρώμενοι, δημοσίᾳ ταφὰς ἐποιήσαντο τῶν ἐν τῷ δὲ τῷ πολέμῳ πρώτων ἀποθανόντων. *Athenienses patrio more utentes, publicè sepulturas fecerunt eorum, qvi in hoc bello primi mortui sunt.* Funebrem orationem Pericles, civium Atheniensium facilè princeps, habuit.

Thucyd. lib. 2.

Bello capti prò non captis apud Romanos, jure postliminii, habentur.

Bello inqvam capti, non qvovis modo in servitutem redacti. Nam, ut est apud Ciceronem, *qvem pater suus aut populus Romanus vendidisset, aut pater patratus dedidisset, ei nullum esse postliminium,* memoriæ proditum est. Nec cives tantum aut qvicunqve homines, sed res etiam sensu aut intellectu carentes, postliminiò redeunt. De qvibus idem Cicero: *Postliminio redeunt hæc; homo, navis, mulus clitellarius, eqvus, eqva, qvæ frena recipere solet.* Qvo loco idem è Servio annotat, *liminium* illud nihil nisi productionem verbi esse. qvemadmodum in finitimo, legitimò, æditimo *timum*, in meditullio *tullium*. Non igitur vel à limite imperii Romani, vel à limine domestico, qvod captivitate depulsâ adeant, postliminium dictum auguremur. Cætera qvæ sunt hujus juris, obsoleti nimirum & extincti qvoad solennitates Romanas, præter Jureconsultos è Grotio petenda.

De Oratore, lib. 1.

Postliminium.

Topic.

lib 3. c. 9.

Ducum in supplicationibus, triumphis, & statuis triumphalibus belli confecti præmium.

Qvarum rerum, vel potiùs umbrarum, cupiditate multi bella non necessaria, qvantum in ipsis, conflaverunt. Alii provinciæ cupidiores, triumphi nomine spoliandi & rem avarè faciendi cupiditatem velaverunt. Sítne magni an contracti animi, triumphi honorem aspernari, in philosophorum scholâ disserendum erat. Cicero de hac re variè, & ex affectu magis qvam judicio, disputat. Modò contemnentes triumphi gloriam exagitat: ut in illâ in adversarium invectivâ. *Erat angusti animi atqve demissi, triumphi honorem atqve dignitatem contemnere. nam ut levitatis est, inanem aucupari rumorem, ut omnes umbras etiam falsæ gloriæ consectari: sic levis est animi, lucem splendoremq; fugientis, justam gloriam, qvi est fructus veræ virtutis honestissimus, repudiare.* Modò Stoicum animum, suâ se virtute eâqve nudâ metientem, ut in fragmentis, induit. *Sapientibus conscientia ipsa factorum egregiorum amplissimum virtutis præmium est.* & mox: *Non statuas plumbo inhærentes, nec triumphos arescentibus laureis, sed stabiliora qvædam & viridiora præmiorum genera desiderat.* Sapienti nimirum prima virtutis ipsius cura est, proxima hominum de se existimationis, infima ac penè nulla gloriæ vulgaris imaginum. Sed ad ritus Romanos redeo. Supplicatio bellis confectis aut affectis præcede-

Triumphi contemtus culpatus.

in Pisonem.

laudatus.

De Rep. lib. V.

bat: triumphi seqvebantur: victimæ, & interdum statuæ, fabulam claudebant. nec tamen, qvasi perpetuo nexu, supplicationem semper triumphus seqvebatur, vel triumphum semper supplicatio antecedebat. Ex temporum inclinatione ejusmodi res, & variante hominum voluntate, pendebat. Cæterùm ut non nisi de vero hoste, non de cive, triumphi, ita nec supplicationes indicebantur. *Supplicationem modò qvi decrevit, idem imprudens hostes judicavit : nunqvam enim in civili bello supplicatio decreta est.* Aliqvando supplicatio etiam qviescenti, consilio non armis motus bellorum compescenti, decernebatur. Idem de se Cicero: *Nam mihi consuli supplicatio nullis armis sumtis, non ob cædem hostium, sed ob conservationem civium, novo & inaudito genere, decreta est.* De ritu supplicandi & triumphandi, nec non de ovatione & victimis, qvia res usqve ad declamatorum pulpita jam vulgata est, me & lectorem non fatigo.

Supplicatio. Cic. Philipp. XIV. d. l.

Voto conclusum.


Decurso jam ad metam stadio, militiam calamo, pacem voto expromimus. nec tam vel Q. Maximi sagacem animũ, vel superioris Africani in re gerendâ celeritatem, vel Æmiliani profundam mentem, vel Pauli militarem disciplinam, vel Marii vim & impetum, qvam horum nullam indigentiam, exoptamus.

Magis non ardere bello civitatem, qvam armatâ commotione sedari, salutis omnium interest. Non esse patriæ communis incendiarios, qvam vindices eorum excitari, ardentioris voti est. Hunniadem Turcarum flagellum, ut cœlo dela-

delapſum auxiliatorem, Hungari avorum memoriâ colebant. Sed procul abeſſe Turcarum arma, qvam fortitudinem ducis periculo gentis inclareſcere, maluerant.

Qvod primi voti & ſuppremi eſt: maneat gentibus pax inconcuſſa; nec ullus armorum terror commune otium interturbet. Sin mare fluctuum inſaniâ concitandum ſit: ſint qvi furores comprimant; ſint qvi arma armis animosè opponentes, furentem impetu barbariem retundant. Sin pacis perpetuatio ſuſpicionem qvandam luxus, & diſſolutæ vitæ habet: non pacem nunqvam vidiſſe, ſed in pace frugaliter vixiſſe, continentiæ laudem merebitur.

FINIS.



8339